ANTIQUITATUM LITURGICARUM ARCANA. CONCIONATORIB US &...

Floris : van der Haer

Digitized by Google

ONALE
VITT. EMANUELE
ROMA

Digitized by Google

4

22. a

Digitized by Google

Digitized by Google

ANTIQVI-
TATVM LI-
TVRGICARVM

Tomus ſecundus,

QVI INCIPIT A
SEPTVAGESIMA.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARAPHRASES TRIVM DD. VIRORVM IN PSALMVM CXXXVI. SVPER FLVMINA BABYLONIS, &c.

PARAPHRASIS

Auctore D. AND. HOIO Brugenſi, Regio apud Duac. Græc. litt. Profeſſore.

SIONI acerbis cladibus obrutæ
Superſtes, & terram Aſſyriam manus
Tranſlata Hebræûm; turbulento
A ſtrepitu procul opidorum,
Secundùm amœni litora fluminis,
Quod didit aruis ſe Babylonijs,
Conſedimus, mœſti, & nitenteis
Imbre tepente genas adeſi.
Vt exſulantum, Mater amabilis,
Menteis ſubîſti; fletibus vt nouis,
Ah, ciuium, Sion, tuorum, haud-
Immemores maduére ocelli!
Mali leuamen, muta trementibus
Ipſa excidérunt nablia dexteris:
Nec illa pollice increpare,
Nec volupe eſt iterare cantu.
Canis ſalictis, quæ fluuii editas
Virente ripas latè obeunt coma,
Suſpendimus vernaculæ olim-
Delicias numeroſq; Muſæ.
Ora vmbilico dùm taciti hoſticæ
Sic eiulamus; talibus hîc procax
Nos vocibus laceſſit hoſtis,

Digitized by Google

Et patriæ populator vrbis.
Captiui! ſnertes quid citharæ ſilent?
Age huc; ouanti promite carmina
Voce atque plectro, queis Sionis
Sacra domus reſonare amabat.
Neque hoc ſatis. ni mancipiis Herus
Hymnum imperâſſet, cantica patrio
Deuota Diuo; quæ profanas
Relligio cadere eſt in aureis.
Nos ecqua lanæ, nos quæ agat impotens
Lubido mentis; carmen vt, hoſtium
Potita pubes, concinamus,
Sacra Dei, peregris in oris?
Solennis hymnus te decet, ô Deus,
Sione ſacrâ carmina te decent,
Solennibus damnata votis,
Sacrificâ Solymûm ſub Æde.
Hæc teſqua veri expertia Numinis,
Noſtroq́ ſedes exſilio datas,
Quid præter & lamenta, & agri
Teſtem animi deceat querellam?
Hos inter æſtus triſtitiæ, inter has
Gentis repulſas indigenæ; haud tuî
Sedemus obliti, ſed acri,
O Solyme, labefacti amore.
Si me tuî vnquam obliuia ceperint;
Dextra obſtupeſcat, pſallere neſcia,
Oblitaq́ artis: nec canoræ
Plectra lyræ moderetur vmquàm.
Et faucibus vox, & ſimul aridum
Lingua ad palatum immobilis hereat;
Ni prima gaudii mei pars
Tu mihi ſis, Solyme, vſque & vſque.
Ferox Edomi progenies, malis

Noſtris

Noſtris, & Hebræum exſcidio, haud leuis
Auctor; nec ipſe mitiores
Tot ſcelerum luat inde pœnas.
Hi, dum Sionem fert Syrus & rapit,
Vos, Vrbem ab imis vertite ſedibus,
Vos templa, clamabant, & ædeis,
Vaſta truci date, & enſe, & igne.
Miſella, rebus quamlibet, ô Babel,
Tumens ſecundis! ille beatior,
Pro talibus mox vltor auſis
Præmia qui tibi digna reddat.
Qui clade tantâ te ſolidam hauriat;
Vt vel reuolſos de trepido ſinu
Natos parentum, illidat aſpris
Cotibus, excutiatq; vitam.

Myſtica eiuſdem Pſalmi ſententia.

O Domine, Rector Cœlitum & mortalium,
Ne nos profano vmquam ſinas
Eſſe Babylonis filiarum de grege.
In nos neque illa ſanctius
Aut nomen, aut ius, Matris vſurpet ſibi.
Longè alia nobis patria eſt.
Longè alia mater: Solyma, quæ ſupra emicat,
Cœleſtis oræ Regia.
Vndè exſules iactamur, & miſeri infero
Babylonis erramus ſolo.
Gemimusq; preſſi colla ſeruili iugo
Per hos peregrini dies.
Dies, quibus nomen creauit myſticum,
Quarta Decas atque Septima.
Dies, quibus mœrore fracti & lacrymis
Læta abſtinemus carmina.
Te, Solyma, longis pallidi ieiuniis,

Te, ſponte noſtra exerciti,
Suſpicimus: & noſtri indices deſiderî
Ex corde gemitus fundimus.
Babyloniorum dura tandem ſerior
Pudor ora ciuium opprimat:
Meliorq́ mentes improbas ſententia
Abducat offenſis ſuis.
Paſchæ adpropinquet Tranſitus, quo paruoli
Babylonii, atque Ægyptiæ
Primæua pubes gentis, adliſi petram
Ad ſpiritalem, ſub petra
Tumulentur eadem, qua ſepultus Chriſtus eſt,
Qui ſpiritalis eſt petra.
Nouitate vitæ quò redonati, ſimul
Auctore vitæ cum Deo,
Iam morte vacui, & priſtina obliti mala,
Hymnos ſonent Sionios.

PARAPHRASIS
M. D. T.

DVm lacrymoſis pectora ſaucij
Telis dolorum, per Babylonios
Palamur agros, & ferocis
Arbitrio Domini vagamur.
Euphratis alto flumina gurgite
Tigriſque Perſæ concita vidimus,
Curſu fugaci denegare
Delicias fluidas natantûm.
Ergo in tepenti litore penduli,
Illacrymato pectora ſparſimus
Afflicta rore, luctuoſæ
Ah! nimium memores Sionis.
Lyræque quondam fila loquacia
Ignara vocis, neſcia carminum
Obmutuerunt, mutuerunt
Plectra ſonis ſocianda ſacris.
Obmutuerunt ſerua ſaligneis,

Appenſa ramis nablia; nablia
Appenſa, cantata frequenter,
Conciliata modis Sionis.
Hîc conſpicatus qui Solymeïas
Excidit arces, aduolat, expetit
Iniurioſus, canticorum
Chromata, verba, modos priorum.
Non hic ſtat, illis imperioſior,
Qui nos coëmptos diſtrahit auia
Per arua victor, ſed canoris
Concilianda repoſcit hymnis.
Perfaſtuosè barbita, & edere
Iubet ſepultæ cantica patriæ.
Cantata templo ſanctiore
Aure bibat peregrina turba?
Auerte cœlum. Cantica patrijs
Sonent Sionis ſub penetralibus.
Ergóne charam obliuioſo
Opprimimus Solymam dolore?
Inepta plectro dextra rigentibus
Neruis ſtupeſcat, linguaque languido
Torpens palato dirigeſcat,
Immemores Solymæ probroſa.
Si nos amatę, obliuia ceperint:
Vel feriati lætitiæ modos
Prægeſtientis diuidemus,
Dum caput exhilarata prodat.
Tu verò quiſquis vindice bracchio
Crimen flagellas, ne preme perpetim
Tardans in iras, arrogantes
Turpè frementis Edom furores:
Spirante cędes milite, vellite
Superba, dixit, culmina vellite
Radice prima, & funerata
Ciuibus vrbs properet ſepulchrum.
Incontinentis verba ſuperbiæ,
Penſabit vltor. Nec Babylonia
Inulta ſemper exprobrabis,
Ter miſeræ, mala ſeruitutis.
Hic, hic beetur, qui tua mœnia,

Crudelè vaſto proruet impetu,
Primosque & extremos metendo,
Funeribus ſatiabit iras;
Matrumque collo pendula libero,
Reuellet audax pignora, rupium, &
Diffringet incuſſu cerebrum,
Sanguine ſaxa nouo colorans.

Eiuſdem myſtica interpretatio.

NE faſtuoſæ prolibus Babyloniæ
Nos, magne rector, inſere;
Non illa noſtra mater eſt propaginis.
Origo noſtra cœlicis
Sanctè ſuperbit glorioſa ſedibus:
Supera Solyma nobis parens.
Sed luctuoſæ ſanctæ pœnitentiæ
Quamdiu rotantur tempora,
Per vaſta mundi, patrijs à finibus
Peregrinamur exules:
Et inquietis obruti doloribus,
Hic ſeſsitantes, imbribus
Genas coactis ſpargimus: ſublimibus
Suſpirijs, & pallidis
Ieiunijs, afflictione languida
Notam vocantes patriam.
Pudor perurat ora fœdis ignibus,
Turpiſque terga vertere
Formido territata cogat hoſtibus
Babylonis, ex nunc filios.
Qui fraudulenta mente concoquunt ſcelus,
Grauantque nos moleſtijs.
Paſchalis alto Phœbus emergat ſalo
Deſiderati tranſitus.
Affectionum quo tenella turbula,
Illiſa petræ concidat.
Atque tumuletur intimo petræ ſinu,
Quo Petra Chriſtus conditus.
Vt excitemur deinde Chriſto compares
Vitæ nouatæ ad munera:
Et lata lætis intonemus vocibus
Patriæ Sionis cantica.

SIONIDVM CHORVS, AD EFFIGIEM EIVSDEM PSALMI,

Auct. P. C. D. A.

ALCAICO.

GRauata vinclis brachia barbaris,
Eheu! gementes vix ferimus Deo
Manus ſupinas, cui leuare — Captiuæ.
Pondera ſeruitii poteſtas.
Hac vorticoſo territat alueo
Parthi furentis Tigris arundine — Super flumina Babylonis.
Citatior, molles vt vmbra,
Territat accipitri columbas.
Euphratis illac, cui coma plurima
Cœnoſa latè proluuies aquis,
Porrecta ripæ cultiores
Dedecorat, vitiatq́; terga.
Et nos gementes interea loci — Illic ſedimus.
Nos deſidemus reliquiæ Sion,
Vligine inſanos nimis diu
Dum terimus, terimurq́; campos.
Inuſitatos ducere fontibus
Mœroris imbres & iuuat, & graue eſt, — Et flemimus.
Quas luctus exſternat, dolorq́;
Immodico lacerauit ictu.
O cara Sion, numinis vinci — Dum recordaremur tui Sion.
O lecta ſedes vnica, iam face
Torrentiore corda noſtra
Torquet imago tui recurſans!
O cara Sion, immemores nefas
Tui eſſe: noſtris gaudia ſenſibus
Dum erepta oberrant illa quondam,
Multipliciq́; animata voce,

NALE
VITT. EMANUELE
A
5
ROMA

Digitized by Google

4

22. a

ANTIQVITATVM LITVRGICARVM

Tomus ſecundus,

QVI INCIPIT A SEPTVAGESIMA.

Digitized by Google

PARAPHRASES TRIVM DD. VIRORVM IN PSALMVM CXXXVI. SVPER FLVMINA BABYLONIS, &c.

PARAPHRASIS

Auctore D. AND. HOIO Brugenſi, Regio apud Duac. Græc. litt. Profeſſore.

SIONI *acerbis cladibus obrutæ*
Superſtes, & terram Aſſyriam manus
Tranſlata Hebræûm; turbulento
A ſtrepitu procul opidorum,
Secundùm amœni litora fluminis,
Quod didit aruis ſe Babylonijs,
Conſedimus, mæſti, & nitenteis
Imbre tepente genas adeſi.
Vt exſulantum, Mater amabilis,
Menteis ſubîſti; fletibus vt nouis,
Ah, ciuium, Sion, tuorum, haud-
Immemores maduére ocelli!
Mali leuamen, muta trementibus
Ipſa excidérunt nablia dexteris:
Nec illa pollice increpare,
Nec volupe eſt iterare cantu.
Canis ſalictis, quæ fluuii editas
Virente ripas latè obeunt coma,
Suſpendimus vernaculæ olim-
Delicias numeroſq; Muſæ.
Ora vmbilico dùm taciti hoſticæ
Sic eiulamus; talibus hîc procax
Nos vecibus laceſſit hoſtis,

Et patriæ populator vrbis.
Captiui! fuertes quid citharæ silent?
Age huc; ouanti promite carmina
Voce atque plectro, queis Sionis
Sacra domus resonare amabat.
Neque hoc satis. ni mancipiis Herus
Hymnum imperâsset, cantica patrio
Deuota Diuo; quæ profanas
Relligio cadere est in aureis.
Nos ecqua lanæ, nos quæ agat impotens
Lubido mentis; carmen vt, hostium
Potita pubes, concinamus,
Sacra Dei, peregris in oris?
Solennis hymnus te decet, ô Deus,
Sione sacrâ carmina te decent,
Solennibus damnata votis,
Sacrificâ Solymûm sub Æde.
Hæc tesqua veri expertia Numinis,
Nostroq; sedes exsilio datas,
Quid præter & lamenta, & agri
Testem animi deceat querellam?
Hos inter æstus tristitiæ, inter has
Gentis repulsas indigenæ; haud tuî
Sedemus obliti, sed acri,
O Solyme, labefacti amore.
Si me tui vnquam obliuia ceperint;
Dextra obstupescat, psallere nescia,
Oblitaq; artis: nec canoræ
Plectra lyræ moderetur vmquàm.
Et faucibus vox, & simul aridum
Lingua ad palatum immobilis hereat;
Ni prima gaudii mei pars
Tu mihi sis, Solyme, vsque & vsque.
Ferox Edomi progenies, malis

Noſtris, & Hebræum exſcidio, haud leuis
Auctor; nec ipſe mitiores
Tot ſcelerum luat inde pœnas.
Hi, dum Sionem fert Syrus & rapit,
Vos, Vrbem ab imis vertite ſedibus,
Vos templa, clamabant, & ædeis,
Vaſta truci date, & enſe, & igne.
Miſella, rebus quamlibet, ô Babel,
Tumens ſecundis! ille beatior,
Pro talibus mox vltor auſis
Præmia qui tibi digna reddat.
Qui clade tantâ te ſolidam hauriat;
Vt vel reuolſos de trepido ſinu
Natos parentum, illidat aſpris
Cotibus, excutiatq; vitam.

Myſtica eiuſdem Pſalmi ſententia.

O Domine, Rector Cœlitum & mortalium,
Ne nos profano vmquam ſinas
Eſſe Babylonis filiarum de grege.
In nos neque illa ſanctius
Aut nomen, aut ius, Matris vſurpet ſibi.
Longè alia nobis patria eſt.
Longè alia mater: Solyma, quæ ſupra emicat,
Cœleſtis oræ Regia.
Vndè exſules iactamur, & miſeri infero
Babylonis erramus ſolo.
Gemimusq; preſſi colla ſeruili iugo
Per hos peregrini dies.
Dies, quibus nomen creauit myſticum
Quarta Decas atque Septima.
Dies, quibus mœrore fracti & lacrymis
Læta abſtinemus carmina.
Te, Solyma, longis pallidi ieiuniis,

Te, ſponte noſtra exerciti,
Suſpicimus: & noſtri indices deſideri
Ex corde gemitus fundimus.
Babyloniorum dura tandem ſerior
Pudor ora ciuium opprimat:
Meliorq; menteis improbas ſententia
Abducat offenſis ſuis.
Paſchæ adpropinquet Tranſitus, quo paruoli
Babylonii, atque Ægyptiæ
Primæua pubes gentis, adliſi petram
Ad ſpiritalem, ſub petra
Tumulentur eadem, qua ſepultus Chriſtus eſt,
Qui ſpiritalis eſt petra.
Nouitate vitæ quò redonati, ſimul
Auctore vitæ cum Deo,
Iam morte vacui, & priſtina obliti mala,
Hymnos ſonent Sionios.

PARAPHRASIS
M. D. T.

DVm lacrymoſis pectora ſaucij
Telis dolorum, per Babylonios
Palamur agros, & ferocis
Arbitrio Domini vagamur.
Euphratis alto flumina gurgite
Tigriſque Perſæ concita vidimus,
Curſu fugaci denegare
Delicias fluidas natantûm.
Ergo in tepenti litore penduli,
Illacrymato pectora ſparſimus
Afflicta rore, luctuoſæ
Ah! nimium memores Sionis.
Lyræque quondam fila loquacia
Ignara vocis, neſcia carminum
Obmutuerunt, mutuerunt
Plectra ſonis ſocianda ſacris.
Obmutuerunt ſerua ſaligneis,

Appenſa ramis nablia; nablia
Appenſa, cantata frequenter,
Conciliata modis Sionis.
Hìc conſpicatus qui Solymeïas
Excidit arces, aduolat, expetit
Iniurioſus, canticorum
Chromata, verba, modos priorum.
Non hic ſtat, illis imperioſior,
Qui nos coëmptos diſtrahit auia
Per arua victor, ſed canoris
Concilianda repoſcit hymnis.
Perfaſtuose barbita, & edere
Iubet ſepultæ cantica patriæ.
Cantata templo ſanctiore
Aure bibat peregrina turba?
Auerte cœlum. Cantica patrijs
Sonent Sionis ſub penetralibus.
Ergóne charam obliuioſo
Opprimimus Solymam dolore?
Inepta plectro dextra rigentibus
Neruis ſtupeſcat, linguaque languido
Torpens palato dirigeſcat,
Immemores Solymæ probroſa.
Si nos amatę, obliuia ceperint:
Vel feriati lætitiæ modos
Prægeſtientis diuidemus,
Dum caput exhilarata prodat.
Tu verò quiſquis vindice bracchio
Crimen flagellas, ne preme perpetim
Tardans in iras, arrogantes
Turpè frementis Edom furores:
Spirante cędes milite, vellite
Superba, dixit, culmina vellite
Radice prima, & funerata
Ciuibus vrbs properet ſepulchrum.
Incontinentis verba ſuperbiæ,
Penſabit vltor. Nec Babylonia
Inulta ſemper exprobrabis,
Ter miſeræ, mala ſeruitutis.
Hic, hic beetur, qui tua mœnia,

Crudelè vaſto proruet impetu,
Primosque & extremos metendo,
Funeribus ſatiabit iras;
Matrumque collo pendula libero,
Reuellet audax pignora, rupium, &
Diffringet incuſſu cerebrum,
Sanguine ſaxa nouo colorans.

Eiuſdem myſtica interpretatio.

NE faſtuoſæ prolibus Babyloniæ
Nos, magne rector, inſere;
Non illa noſtra mater eſt propaginis,
Origo noſtra cœlicis
Sanctè ſuperbit glorioſa ſedibus:
Supera Solyma nobis parens.
Sed luctuoſæ ſancta pœnitentiæ
Quamdiu rotantur tempora,
Per vaſta mundi, patrijs à finibus
Peregrinamur exules:
Et inquietis obruti doloribus,
Hic ſeſsitantes, imbribus
Genas coactis ſpargimus: ſublimibus
Suſpirijs, & pallidis
Ieiunijs, afflictione languida
Notam vocantes patriam.
Pudor perurat ora fœdis ignibus,
Turpiſque terga vertere
Formido territata cogat hoſtibus
Babylonis, ex nunc filios.
Qui fraudulenta mente concoquunt ſcelus,
Grauantque nos moleſtijs.
Paſchalis alto Phœbus emergat ſalo
Deſiderati tranſitus.
Affectionum quo tenella turbula,
Illiſa petræ concidat.
Atque tumuletur intimo petræ ſinu,
Quo Petra Chriſtus conditus.
Vt excitemur deinde Chriſto compares
Vitæ nouatæ ad munera:
Et lata lætis intonemus vocibus
Patriæ Sionis cantica.

SIONIDVM CHORVS, AD EFFIGIEM EIVSDEM PSALMI,

Auct. P. C. D. A.

ALCAICO.

GRauata vinclis brachia barbaris,
Heu! gementes vix ferimus Deo
Manus ſupinas, cui leuare — Captiuæ.
Pondera ſeruitii poteſtas.
Hac vorticoſo territat alueo
Parthi furentis Tigris arundine
Citatior, molles vt vmbra, — Super flumina Babylonis.
Territat accipitri columbas.
Euphratis illac, cui coma plurima
Cœnoſa latè proluuies aquis,
Porrecta ripæ cultiores
Dedecorat, vitiatq́; terga.
Et nos gementes interea loci — Illic ſedimus.
Nos deſidemus reliquiæ Sion,
Vligine inſanos nimis diu
Dum terimus, terimurq́; campos.
Inuſitatos ducere fontibus
Mœroris imbres & iuuat, & graue eſt, — Et flemimus.
Quas luctus exſternat, dolorq́;
Immodico lacerauit ictu.
O cara Sion, numinis vinci — Dum recordaremur tui Sion.
O lecta ſedes vnica, iam face
Torrentiore corda noſtra
Torquet imago tui recurſans!
O cara Sion, immemores nefas
Tui eſſe: noſtris gaudia ſenſibus
Dum erepta oberrant illa quondam,
Multipliciq́; animata voce,

Sambuca blandum neſcio quid crepant
Eludit aures, & memorem ferit
Mentem, nec explet ſeq; ſueta
Surripit, inſinuatq; Siren.

2. In ſalicibus, in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.

Olim hæc fuerunt! iam ſalices datæ
Tenete truncis organa brachiis
Perflare ſpiritu ora multo
Exilii vetat horæ dura.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt verba cantionum.

Ludibrioſis vocibus attamen
Vaſtator Aſſur perſonat inſolens
Victoriæ fauore, cantus
Nos iterumq;, iterumq; poſcit.
Rauco tubarum murmure laſſulas
Mulcete nobis, eia Sionides
Aures canore inuſitato
Frangite pectora duriora.

Et qui abduxerunt nos. Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Leues ſuſurros, eraq; tinnula,
Fides ſuetas, aptaq; nablia,
Mouete; quæ Sionis arces,
Quæ Solymi ſtupuere reges.
Eia, eia ſcitæ Martia pſaltriæ
Domate blandis corda ſonoribus
Cinis Sionis, & rumæ
Cantibus emodulanda veſtris.

Quomodo cantabimus canticũ Domini in terra aliena?

At contribules ludibrio graui
Exercitæ non tangimus organa,
Cum mentis exſenſæ hoſtis Aſſur
Ludificatq;, trahitq; ſeruas.
Non longa buxo multifori iuuat
Manus inertes, tædia prægrauant,
Quas ſeruitudinis moleſtæ,
Tibia, non citharæ, fidéſue.
Non cantilenas exilii capit
Acerba ſedes. flere iuuat, iuuat,

Excluſionem & vaſta iugi
Templa Salem releuare fletu.
Menti recurſas ſancta Salem, domus Si oblitus
Elata cælo, ſacra Deo Salem, fuero tui
Te nos anhelatis querelis, Hieruſalē.
Te volumus, cupimusq; Salem.
Obliuioſo ſi qua dies tui
Nos merget vnquam fortè ſilentio, Obliuioni
Tunc iſta notis dextra poſthac detur dextera mea.
Officiis ſpoliata hebeſcat;
Et lingua cantrix torpeat otio
Damnata longo, faucibus impotens, Adhæreat
In aridis volui & reuolui lingua mea
Hereat, ac reticeſcat vſque. faucibus meis, ſi non meminero tui.
Tu ſancta Salem prima boni ſeges, Si non propoſuero Hie
Cuiusq; nobis commemorabere, ruſalem.
Eriſq; vita dum ſuperſtes In principio
Lætitiæ melioris, auſpex. lętitię meę.
Numen Sionis ſedibus inclytum Memor eſto
Diſtringe ferrum vindice dextera Domine fi-
Edomidas in perduelles, liorū Edom.
Auſpicibus Babylonis armis,
Quibus voluptas eſt patruelia,
Iunxiſſe nos contra agmina, ſæuius
Serpente fœta Edomida nos
Iſacidas odiis laceſſunt.
Ruebat alto ſanguine patria.
Chaldæus enſis cædibus ebrius, In die Hie-
In ſtrage noſtra perfurebat, ruſalem.
Vincla ſuperſtitibus dabantur.
Nullamne tam arctis rebus opem ferent, Qui dicunt
Iuncti Iſraëli ſanguine Edomida? exinanite.
Egurgitate, egurgitate
Funditus omnia clamitabant.

Hæc illa Iebus diuitiis ferox
Auri ſepulchrum ſpreuit Edomidas:
Exinanite vſq; ad fundamentum in ea.
Egurgitate, egurgitate
Funditus è latebris opum vim.
Fundata ſaxis mœnia grandibus
Conuellite, & tantorum operum ſuper
Imago nulla ſit: rue, vrge
Progenies animoſa Beli.
Euiſcerata funera patriæ
Sic, ſic gementes perpetimur; feri
Cum Edomidæ inſultant miſellis
Iſacidis odiisq; perdunt!
8. Filia Babylonis misera. Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis.
Verum vltor olim ſurget acerbior,
Qui ferro & igni turbinis in modum
Verſa vice euaſtabit omnem,
Aſſyriæ Babylonis oram.
Dum tantus horror tantaq; cladium
Procella perbacchabitur vndique,
Vt mater audiat felix, dolore
Qua nimio furibunda ſæxo,
9. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram.
Allidet aſpro (væ Babylon tibi)
Quæ quondam in auras pignora ſuſtulit.
Spes has Deus velit Sioni
Eſſe ratas clypeus Sionis.

ANIMÆ FIDELIS THRENODIA.

NE mi ſit Babylon fœta malo parens,
Quæ nullum ſtatuit nequitiæ modum,
Per fas, perque nefas in ſcelera omnia
Quam mentis tenebræ præcipitant, Deus,
Matrem te cupio ſacra medullitus,
Quam cœleſte iubar præradiat, Salem.
Talem veræ parens mater & optima.
Sed iam matre procul ludificor procul,
Seruarum in populo ſegrege munera
Fungor. Dum imperijs exagitat nouis
Me funeſta Caro, quæ Babylonidas
Socrus & varias ſæuitia tigres,
Vincit mille modis, mille modis ego

Seruis

Seruis deterior luctibus obruor:
Quid cum funerea tabe grauis Draco
Prenſanti ſimilis vaſta volumina,
Aut fauces auidas laxius explicat?
Horror tartareus tunc penetralia,
Percellit ſubitis oſſa tremoribus.
Cuius ſi maneo ſurda tumultibus,
Aut noſtra inſidias ſi vigilantia
Exit; vim ſubitò præteritam integrat
Tentans igniſuis carceris abditi
Spelæis, vbi centeni alij pares,
Appronare reſiſtentem Animam ſibi.
O durum exilij pondus! vt aggemo,
Nec tantis requies vlla datur malis.
Tota ipſa in lacrymas liquor vt adſolent
Verno Sole naues ire in aquas leues,
Non iam lętitijs diffluo priſtinis,
Sed nec conueniunt nablia luctibus.
Te deſiderijs icta recentibus,
Mater ſancta Salem, quam ſuper æthera
Veſtit purpureo lumine Spiritus,
Te clamo, & miſeræ ſuffugium volo
Suſpiranda mihi tu toties parens.
A te forte viæ ne irremeabiles,
Immenſis ſpatijs ſepare me loco,
Diducant, faciet ſancta epulatio,
Priſco more pijs grata fidelibus,
Aut ſi ſponte fero fortiter ardua,
Aut quæ non cupidę cœlitus incidunt,
Regnator Superę magne Deus Salem,
Obſecratus ades, propitius rogo
Tu virtute tua monſtra doma: lupos
Quos mendax operit lana bidentium,
Arce, ne noceant innocuo gregi.
Deformant ſcelerum tot facies ſinu,
Ciues quos ſpatioſo Babylon tegit,
Illos perde: tuis parce fidelibus.
Viuo extorris ego inter Babylonios,
Quæ ſum progenies magne Deus tua.
Ecquando in ſtationem reuehar tuæ
Molli remigio ſoſpita Gratiæ?
Ecquando recinam ſuauia carmina,
Quis felix reſonat cælicolum domus?

HISTORIA
SEPTVAGESIMÆ.

De eius festi origine, & causis.

CAPVT, *fons, & origo religionis Christianæ est Christus Dominus longè excellentiore ratione quam fuit Moyses author religionis Iudæorum: ab illius itaque Christi aduentum necessario Christiani auspicati sunt cultum suæ religionis. Verùm quia maiore etiam ratione omnium temporum, omnium & bonarum & malarum religionum caput, fons, & origo continetur peccato primorum parentum, omnino postquam Christiani iam aliquo tempore fuerunt occupati natiuitate & infantia Domini, ad hoc istud caput necessariò fuit illis redeundum. Si primi parentes mansissent in eo statu, in quo eos Dominus collocauerat. fuissent illorum, cæterorumq; qui ex illis erant nascituri, certus quis modus colendi Dei excellẽtior eo, quo nunc vtimur, toto nihilominus genere ab eo diuersus. Dæmones nullum accepissent ab hominibus sui cultum, atque ea ratione nullæ extitissent malæ religiones. Iudæi postremò & Christiani, & qui vtrosque præcesserunt Patriarchæ, nec sic fuissent nominati, nec suis vel sacrificiis, vel Sacramentis coluissent Deum.*

Status

Status enim creaturarū facit ſtatum religionis aliter enim Angeli ſuo quodam beato modo colūt Deū, aliter homines: Et illi rurſum aliter ante peccatum, aliter poſt peccatum. Poſt peccatum enim euenit homini idem quod Iſraeli in captiuitate ſeptuaginta annorum. Eo enim tempore carebat patria, carebat templo & ſacrificio, carebat ordinariis canticis & iubilationibus, & ſuper flumina Babylonis ibi ſedebat & flebat, dum recordaretur tui Sion. In illo exilio populus Dei non ſeruiebat idolis ſed fide, ſpe, charitate, & etiam certo quo externo ritu ſeruiebat Deo, non ſacrificabat, non ad ſacrificia cantabat vt in patria conſueuerat. Ibi dicebant Babylonij captiuis Iudæis: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Reſpondebant captiui. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, In ſalicibus in medio eius ſuſpēdimus organa noſtra. Erant igitur organa iſtorum exulum in medio amariſſimarum arborum & omnis illorum cultus conſiſtebat rebus duabus, recordatione Sion, & odio filiorum Edom. Ad primam pertinet: Si oblitus fuero tui Ieruſalem oblitioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis ſi non meminero tui. Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ: Ad ſecundum pertinent reliqua: Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem: Qui dicunt exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea. Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram. Omnis igitur cultus exulū, omnia illorum ſacrificia, omnia ſacramenta ſpectāt, primum patriam aqua exulamus, deinde ſpectant odium inimicorum qui nos abduxerunt captiuos è paradiſo, quibus inimicis tam non ſufficit noſtra

miseria, vt etiam quotidie clament: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in eâ, quorum parvulos tunc tenemus & allidimus ad petram, quod est Christus, cũ illos submergimus in baptismo, cum illos crucifigimus per pœnitentiam, cum non finimus illos crescere vsque in finem. Præclarissime itaque ex ordinatissima ratione exemplo illius captiuitatis Babylonicæ, Ecclesia nobis proponit hoc nostrum exiliũ, hunc istum nostrũ statum in quo sumus peregrinãtes extra paradisum. Vnde B. Augustinus septuaginta anni Ieremiæ Prophetæ accipiuntur spiritualiter pro vniuerso tempore quo apud alienos est Ecclesia, & alibi iterum. Nam quod etiam post 70. annos secundũ eiusdem Ieremiæ prophetiã reditur ex captiuitate, & templum renouatur, quis fidelis Christianus nõ intelligat post euoluta tempora quæ septenarij dierũm numeri repetitione transcurrunt, etiam nobis, id est, Ecclesiæ Dei ad illam cœlestem Ierusalẽ ex huius sæculi peregrinatione redeundum, per quem, nisi per Iesum Christum, vere Sacerdotem magnum cuius figuram gerebat ille Iesus sacerdos magnus illius temporis quo templum ædificatũ est post captiuitatem. Et B. Augustino hac in re consentiũt omnes omnino scriptores. E quibus illi qui de ritibus Ecclesiæ tractarũt, vno ore omnes dicũt Septuagesimam accepisse nomen ab illis annis 70. qui fuerunt typi huius nostri exilij quo peregrinamur a Domino. Qua de re sic scribit ordo romanus. Septuagesima computatur secundum titulationẽ Sacramẽtarij & Antiphonarij nouẽ hebdomadibus ante Pascha in septimã Sabbathi. Populus Dei in Babylone detentus est captiuus 70. annis, quibus expletis, reuersus est Hierusalẽ, ideo author officij nostri septuagesimam posuit in officijs nostris, vt hoc tempore a deliciis abstinẽdo, ostenderemus in nostra conuer-

lib 3. de doctrina Christi. l. 12 con trafanstiũ

conuersatione, qualiter per omne tempus sæculi viuere debeant qui post baptismum peccatis se alienant a cœlesti Hierusalem. Quapropter alleluya illo tempore non cantatur apud nos, sed tractus, id est luctus, nec Gloria in Excelsis Deo, quæ sunt cãtica cœlestia. Et in quibusdam locis dalmaticarum vsus intermittitur, Græci proximã hebdomadã, id est sexagesimam sanctificant suo ieiunio, clerici nostri, authore Thelesphoro Papa sequentem, id est quinquagesimã qui constituit septem hebdomadarũ ieiuniũ ante Pascha, Quadragesimam verò Christus suo nobis dedicauit ieiunio. Atque hæc ordo Romanus. Ex quo patet, illã quoque adferri rationem nominis Septuagesimæ, quod extendatur eius numeri religio in septimã Sabbathi, id est, in Sabbathum proximum post Sabbathũ sanctum quando Ecclesia canit, Eduxit Dominus. Peccatis nostris exigentibus in captiuitatem & peregrinationem deuenimus, sed per Domini gratiam & miserationem ad requiem quæ per Sabbathũ significatur reducimur. Carolus magnus in epist. ad Alcuinum scribit eos qui decimam partem anni ieiunio offerre Deo volebant, & tamen ab eo ieiunio eximebant diem Dominicum, feriam quintam, & Sabbathum, eos à feria secũda huius hebdomadæ ieiunium auspicari consueuisse. Nam si nouem hebdomadibus quibus abest hæc Dominica a festo Paschæ nouies eximantur supradicti dies, & dies Paschæ supererunt dies triginta sex quæ est decima pars anni, cum itaque hæc sit ratio hic sensus Septuagesimæ, necessariò nobis Ecclesia proponit toto officio creationem vniuersi, & ruinam humani generis, quæ res id circo est explicanda.

DE CREATIONE ET LAPSV HOMINIS.

ADAM *ex limo terræ secundum corpus a Deo formatus animam rationalem & immortalem diuina virtute ex nihilo creatam sortitus est, naturalibus potentiis instructam mente seu intelligentia qua malum à bono iustum ab iniusto discernere posset, & voluntate qua libero motu se huc vel illuc mouere, siue hoc vel illud eligere vel non eligere posset. Quibus naturalibus dotibus & supernaturalia munera Deus initio creationis adiecit. animam enim iustitiæ, sanctitate, scientia, sapientia & reliquis virtutibus exornauit: corpus verò licet ex conditione naturæ mori ac corrumpi posset, immortalitate tamen aliquousque donauit, prouidendo scilicet de potu & cibo contra defectionem, & de ligno vitæ contra senectutem & vetustatem, vt iis adiutus subsidijs posset non mori. Atque homini in eo statu existenti locum summæ quietis ac fœlicitatis in paradiso terrestri assignauit. Pro quibus omnibus collatis homini beneficijs illud vnicum ab eo veluti tributi & recognitionis loco exegit, vt suum opificem fide, spe, & charitate coleret, eique in omnibus obediret, non solum ea quæ rationis lumine mala esse videret prohibenti, sed etiam indifferentia secundum se præcipienti, adiecta liberali promissione & seuera comminatione; quod obedientia æterna fœlicitate quæ in conditoris clara visione consistit remuneraretur, inobedientia vero æterna*

morte

morte corporis & animæ vindicaretur; hominiq; velut in ſtadio ad certandum (donec ad plenam immortalitatem ſi in iuſtitia perſeueraret, trãsferetur) conſtituto, leue admodum præceptum dedit, in quo eius obedientiam experiretur; ne videlicet de fructu certæ arboris guſtaret, conceſſo eidem libero cunctorum aliorum fructuum vſu. Quod conditoris præceptum cùm eſſet obſeruatione facillimum; Eua diaboli ſuaſione & Adam ad complacendum vxori, ſciens & prudens violauit, nülla prorſus vetus ignorantia deceptus vel infirmitate qualis nunc eſt ſuperatus; ſed planè libera electione, nam in eo nulla erat pronitas ad malum ſed contra ad bonum: nulla infirmitas, nulla ignorantia, ſiquidem iuſtus, rectus, ſanctus, & ſapiens conditus erat. Et quidem hæc omnia bona tum naturalia tum ſupernaturalia primus homo, velut fons, radix & origo humani generis, à Deo acceperat generatione transfundenda in omnes qui ex ſuo naſcerentur ſemine: tales enim ex Dei conſtitutione generaturus erat homines qualis ipſe tempore quo filios crearet futurus eſſet; ſi iuſtus nimirum & ſanctus, iuſtos & ſanctos; ſi autem integritate ſibi à Deo data per peccatum ſpoliatus, a Deo auerſus, miſer & infirmus, ac ad mala pronus generaret; tales quoque filios produceret. Neque enim ſe meliores proferre potuit, qualitas enim fructuum qualitatem radicis ſequi ſolet. Per voluntariam igitur Domini præcepti præuaricationem primus parens ſe ornamentis iuſtitiæ, ſanctitatis & ſapientiæ ac aliarum diuinarum virtutum priuauit, ac loco illarum tenebras ignorantiæ, omnium virium infirmitatem, ac ad malum pronitatem contraxit, vt mente, niſi à Deo lumine fidei illuminetur, res diuinas cõtueri nequeat, neque voluntate deſiderare vel proſequi niſi amore

quodam diuino imbuatur qui charitas nuncupatur. Mutatus eſt ergo primus homo per peccatum ſecundum animam & corpus ac locum: *quoniã omnia ſupernaturalia ornamenta quæ in creatione acceperat perdidit, factus habitualiter auerſus a Deo, mente cæcus & fatuus, voluntate prauus, iniuſtus, obliquus & deformis; omnibus denique viribus infirmus, corpore mortalis, mortis neceſſitati obnoxius; Et ex loco fœlicitatis extruſus eſt in terram maledictam quæ proferret tribulos & Zizania multo licet exculta labore; vt in ſudore vultus homo veſci cogatur pane ſuo Et in pœnam ſuæ rebellionis, inferiores animæ vires ſuperioribus rebellare infelix ſentit. Quæ explicata primi parentis mutatione per inobedientiam contracta; facile eſt aſſequi* in quo ori-

Ex Cõcil. Trid ſeſſ. 5. can. 1. ginalis peccati labes conſiſtat. *Cogitandum eſt enim, id quod fides Catholica profitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei e paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & iuſtitiam in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe: incurriſſeq; per offenſam prænaricationis huiuſmodi, irã & indignationem Dei, atque ideo mortẽ quam antea illi Deus fuerat comminatus, & cũ morte, captiuitatẽ ſub eius poteſtate qui mortis deinceps habuit imperium, hoc eſt, diaboli; totũq; Adam per illam prænaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe. Cogitandum præterea, hanc Adæ prænaricationem non illi ſoli, ſed ipſius quoque propagini nocuiſſe, & acceptã à Deo ſanctitatẽ & iuſtitiã quã perdidit, non ſibi ſoli ſed nobis etiam eum perdidiſſe, & illũ per peccatũ inobedientiæ inquinatũ, nõ mortẽ & pœnas tantũ corporis in omne genus humanum tranſfudiſſe, ſed & peccatum, quod mors eſt animæ: idq; totum fide Catholica eſſe tenendũ; dicẽte*

Genes. 2.

Hebr. 2.

Concil. Trid. ead. can. 2. ex Cõcil A. cauſ. 2. can. 2.

Apoſtolo:

Apoſtolo: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ (id eſt, in vniuerſũ genus humanũ, interprete S. Aug. Enchiridij cap. 26. & alibi frequẽtiſſimè) & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt; in quo omnes peccauerũt. Omnes itaq; homines in præuaricatione Adæ innocentiã perdiderũt, facti immundi, & (vt Apoſtolus alibi inquit) natura filij iræ. Sicut enim homines niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam iuſtificarẽtur; cum eâ renaſcẽtiâ, per meritũ paſſionis eius, gratia qua iuſti fiũt illis tribuatur: ita niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerẽtur, nõ naſcerẽtur iniuſti; cũ ea propagatione, per ipſum, dum concipiuntur propriam iniuſtitiam cõtrahant. Rom. 5. Cõc. Trid. ſeſſione 6. cap. 1. Epheſ. 2.

Sermo Iuonis de Septuageſima.

SCIENTES dilectiſſimi, quia quam diu ſumus in mundo, peregrinamur à Domino: quotidianis lachrimis oportet nos huius exilij mala deflere, & ad æternam patriã toto deſiderio anhelare. Sed quia Eccleſia multis honorata Sacramentis, hoc publicis conuentibus quotidiè frequentare non valet, ſub typo vniuerſi tẽporis cõmendati ſunt nobis ſpecialiter hi ſeptuaginta dies, quibus recitatione lectionũ & canticorũ, caſum generis humani recolimus, vt mortalitatis noſtræ dolores attẽdentes, quotidiè doleamus. Vnde in introitu hodiernæ Miſſæ ſancta Eccleſia per lapſum primi parentis mortem ſibi illatam eſſe deplorat, & in doloribus huius vitæ ad hæc inferiora detruſæ, doloroſè clamat: Circundederunt me gemitus mortis, dolores inferni circũdederũt me. Ad hoc etiam ſignificandũ vocem vſitiſſimam in Eccleſia, Alleluja ſcilicet, ab ho-

ab hodierna die vſque ad Paſcha intermittimus; & pro hac Hebraica voce, Latinam, id eſt, Laus tibi Domine, Rex æternæ gloriæ, frequẽtamus. Sicut enim terrena Hieruſalem gerit imaginem patriæ cœleſtis; ſic vox iſta, à ſupra dicta ciuitate quondam in Dei laudibus frequentata, ſignat laudes ciuium ſuperna Hieruſalem matris noſtræ, de quibus canitur in pſalmo: Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Dum ergo latina voce, in Hieruſalem peregrina, Deum laudamus; exilij noſtri peregrinationem ſignificamus. Huic ſignationi ſeptuaginta dierum concordat ſignificatio ſeptuaginta annorum, quibus ciues terrenæ huius Hieruſalem ſub Rege Aſſyriorum ducti ſunt captiui, & in Babylonica ſeruitute detenti: quo tempore Dei laudes patrio more celebrare non poterant, ſed exilij ſui mala deflebant. Hoc pſalmiſta prænidens prophetico more futurum, quaſi iam præteritum canebat, dicens: Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur Sion; In ſalicibus in medio eius ſuſpẽdimus organa noſtra. Aſſur quippe elatus interpretatur; Babylon, confuſio; Hieruſalem pacis viſio. Ergo Rex Aſſyriorum Rex ſuperborum, idem Rex Babyloniorum, id eſt, inordinatè viuentium Rex, diabolus eſt, qui filios pacis, populum ad ſupernam viſionem ſuſpirantem, duro premit iugo ſeruitutis, & quãtum prævalet retardat à reditu & introitu ſuperna ciuitatis. De qua ſeruitute dicit ſcriptura: Graue iugum ſuper filios Adam, à die exitus ventre matris eorũ, vſque in diem reuerſionis in matrem omnium. Nos ergo in hac ſeruitute detenti, quaſi ſuper flumina Babylonis ſedemus, dum tranſitoriis huius mundi concupiſcentiis mentem non immergimus, & tamen flemus, quia miſeri ſumus, & frequenti deſiderio viſionis ſu-

nis ſuperna & æterna ſuſpiramus. Vnde Apoſtolus dicit: Omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc, & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, ingemiſcimus, expectantes adoptionem filiorum, redemptionem corporis noſtri. Hæc quidem creatura, eſt anima de corruptione peccati ad imaginem Dei recreata, quæ intra ſe de vanitate, cui ſubiecta eſt, gemens & more parturientis nimio deſiderio fit anxia, quod tã diu differtur à patria. Sic parturiebat pſalmiſta, cum diceret, hei mihi quia incolatus meus prolongatus eſt. Et ipſe Apoſtolus, qui inter prima Eccleſiæ membra ſpiritum ſanctum acceperat, adoptionem filiorum deſiderans habere in re, quam iam habebat in ſpe; ſic parturiebat, cum dicebat: Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto; Malorum itaque Babyloniæ tædio fatigati, & ſupernæ ciuitatis deſiderio afflati, quaſi in ſalicibus organa noſtra ſuſpendimus, dum in mundi cupiditatibus radicatis oppreſſoribus noſtris, imo contemptoribus diuinæ gratiæ, cœleſtis regni gaudia prædicare diſſimulamus; ne margaritas ſpargere ante porcos, & ſanctum dare canibus videamur. Vnde captiuati ſuis captiuatoribus dicunt: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Terra aliena, reproborum eſt multitudo, ad ſupernam non pertinens ciuitatem; quæ more porcorum margaritas, lucidum videlicet Dei verbum, negligendo conculcat, aut more canum contra ſanctum Dei verbũ male credendo diſceptat. Nunc his de noſtra captiuitate ex antiqua & moderna ſignificatione prælibatis; cur ſeptuagenarius numerus ſub typo vniuerſi temporis ponatur, breuiter audiamus. Septenario quippe dierum circulo totum tempus vitæ præſentis euoluitur, quo nobis decalogi mandata ſeruanda mandantur. Dum ergo decem legis præcepta in hoc

vitæ

vitæ noſtræ ſpatio cuſtodimus, quaſi denarium per ſeptenarium numerum multiplicamus, & ſeptuagenarij numeri ſummam implemus. His ergo diebus, quod omni tempore faciendum eſt, ſpecialius & propenſius gemitibus & fletibus operam demus; vt ad patriam noſtram, a qua, mortifera delectatione corruimus, per amaritudinem cordis & lamenta redeamus. Ibi nunc intermiſſum alleluya recuperabimus; & cum ſupernis ciuibus Deum ſine fine laudabimus. Quod quinquaginta diebus Dominicæ reſurrectionis ſignificamus, dū in vno quoque cantu alleluyæ frequentamus. Iterùm ergo lugeamus in via, vt poſtmodum gaudeamus in patria. Amareſcat nobis quicquid dulce eſt in rebus ſæculi, præ dulcedine Dei, & decore domus Dei: quanto quiſque præ omnibus diligit, tanto ſe amplius ad ſupernam patriam pertinere intelligat. Sic in retorto oculo ſtadium vitæ præſentis percurramus, vt brauium ſupernæ vocationis comprahendere valeamus. Quacunque hora in vinea Domini conducti ſumus, indeficienter pondus diei & æſtus portemus, vt in veſpero diurno denario non priuemur. Sic enim Dominus dicit: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Non ſimus ſtulti viatores, vt obliti patriæ noſtræ, exilium deligamus pro patria, & remaneamus in via. Non ſimus inſenſibiles, vt delere in doloribus paſſibilitatis & mortalitatis noſtræ neſciamus, & in ipſis doloribus medicinæ remedium non quæramus. Solet enim de vita eorum deſperari, qui agrotantes, ſe non ſentiunt infirmari. Curramus igitur ad medicum ſalutis æternæ; Oſtendamus ei per confeſſionem vulnera noſtra; intimo clamore ad eum clamet vnuſquiſque, Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum; ſana me Domine,

quoniam

quoniam conturbata sunt ossa mea. *Ita enim medicus noster propitiabitur iniquitatibus nostris, sanabit omnem languorem nostrum, & replebit in bonis desiderium nostrum.*

EXPLICATIO HODIERNI OFFICII EX ALCVINO.

INCIPIT *Septuagesima ab illo die, quo consuetudinem Ecclesia habet cantare,* Circundederunt me, *& pertendit vsque ad Sabbathum Paschalis hebdomada, quando canimus* Eduxit Dominus, *Nam tot dies, si computati fuerint, id est, septuaginta, ibi inueniuntur. Septuagesimus autem numerus ad memoriam nobis reducit omne tempus præsentis sæculi, quo alieni sumus a cœlesti Hierusalem; quia, vt ait Apostolus, dũ sumus in corpore peregrinamur a Deo. Hãc peregrinationẽ Spiritu S. præuentus intelligebat Dauid Propheta, qui in psal. dicebat: Ne sileas, quoniam aduena ego sum apud te, &c. Et iterũ in alio psalmo: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est. Hanc etiã peregrinationem perpẽdens S. Ecclesia, prima die Septuagesimæ, angustiis & afflictionibus circundata, clamat:* Circũdederũt me gemitus. *Quæ vox afflictionẽ præsentis sæculi & tribulationẽ aperte demonstrat. Cõcordat etiã huic afflictioni oratio ipsius diei, in qua dicimus:* Preces pop. tui, quęsumus Domine, clemẽter exaudi. *Hortatur etiã nos ipsa die ad cursum bonæ operationis B. Apost. dicẽs:* Sic currite, vt cõprehendatis. *Responsoriũ etiam benè congruit, quod ipsa die cãtatur,* Adiutor *Nec non & tractus,* De profundis. *Nã in istis diebus propter humilitatem, non cantamus hymnum Angelicum, Scilicet:*

Gloria

Gloria in Excelſis Deo, Alleluya, *quod eſt canticum lætitiæ, & exultationis; ſed pro alleluya cãtamus humilem cantum, ſcilicet Tractum, qui a trahendo dicitur, eo quod tractim cantetur; & ſignificat gemitum ſanctæ matris Eccleſiæ. In Euangelio etiam, quod ipſa die legitur, inuitat nos pater familias ad operationem vineæ, vt fideliter ſcilicet laborantes, denarium remunerationis percipere mereamur. Poſt Euangelium canitur offerenda, Bonum eſt confiteri; & antiphona ad complẽdam, Illumina faciem, Quæ omnia diligenter inſpecta, magnis myſteriorum redolent Sacramentis; & Eccleſiæ gemitus Deum inuocantis ob auxilium de tribulatione, indicant; & ad ſpiritualis intelligentiæ doctrinam ſatis inſtruunt auditorem. In his etiam diebus, vt iam diximus, intermittimus hymnum Angelicum, & Alleluya, quod eſt Hebræum, & pro Alleluya, humiliori (id eſt Latina) vtimur lingua, dicentes in pſalmis, hymnis & canticis, Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ. Nam & in perſona eorum qui in captiuitate detinentur, dicitur in Pſalmo, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Et iterum dicit ſcriptura: Quia non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Ergo, quicunque in his diebus Septuageſimæ ſaluberrime inſtitutis, curſum ſuum, id eſt, vitæ huius præſentis ſtatum bene direxerit, vt depoſita omnium inepta lætitia & vanitate; in ieiunijs & vigilijs & orationibus eleemoſynisq; ac cæteris bonis operibus aſſidue inſiſtat, & peregrinationis ſuæ aſſidue recordatus fuerit: hic ſanctum Paſcha fœliciter celebrabit, canticum etiam lætitiæ, id eſt, alleluya, quod eſt laus Domini, ſine fine cantabit. Paſcha namque, Latine dicitur tranſitus: & nos, ſi Paſcha ſanctum celebrare volumus, tranſitum faciamus à vitijs ad virtutes, & deter-*

de terrenis, ad cœlestia; & de transitoriis, ad semper manentia & æterna transmigrare studeamus. Pascha enim nostrum immolatus est Christus. Finitur autem Septuagesimæ obseruatio, Sabbato ante octauã Paschæ; quando etiam, sicut iam supra diximus, Ecclesia sancta canere solita est, Eduxit Dominus. *Bene autem cõgruit mysterijs Ecclesiæ, quod Septuagesima Sabbato finitur; peccatis enim nostris exigentibus, in captiuitatem & peregrinationem deuenimus, sed per Domini gratiam & miserationem, ad requiem, quæ per Sabbatum significatur, reducimur. Sabbatum enim requies interpretatur. Cantantur etiam illo die duo alleluya, quæ geminam sanctorum lætitiam designant. Nam illud alleluya, quod Sabbato præcedente canitur, scilicet:* Confitemini Domino quoniam bonus, qnoniam in sæculum misericordia eius; *Lætitiã sanctorum designat, quam modo, quicunq; fideliter sumuntur, in animabus accipiunt, & qua sancti omnes, qui in cœlesti gloria sunt, perpetuò perfruentur. Illa autem duo, quæ in sequenti Sabbato, id est, sine Septuagesimæ, canuntur, geminam sanctorũ omnium exultationem designãt, quando, sicut legitur in Apocalypsi, expleto iudicio dabuntur eis singulis stolæ binæ, id est, immortalitas & beatitudo, animarum & corporum scilicet; vt qui nunc singulis stolis, animarum solummodo immortalitate gaudent; tunc beata & animarum & corporum immortalitate, ac perpetuæ beatitudinis gloria perfruantur: ad quam beatitudinis gloriam nos optimus Dominus sua gratuita pietate dignetur perducere, cui est honor, &c.*

MISSA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MISSA SEPTVAGESIMÆ.

CIRCVNDERVNT me gemitus mortis, dolores inferni circundederunt me: & in tribulatione mea inuocaui Dominum, & exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam.

Pſal. Diligam te Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Verſ. Gloria Patri, &c.

Non dicitur Gloria in Excelſis, *à Dominica Septuageſimæ vſque ad Paſcha, excepiis feria V. in Cœna Domini, & Sabbatho ſancto, & quando dicitur Miſſa de Feſto.*

Oratio.

PRECES populi tui, quęſumus, Domine, clementer exaudi, vt, qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur: Per Dominum, &c.

CONcede quęſumus omnipotens Deus fragilitati noſtræ ſufficientiam competẽtem, vt ſuæ reparationis effectum, & pia conuerſatione recenſeat, & cum exultatione ſuſcipiat.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſt. ad Corinthios.

FRATRES: Neſcitis quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium? Sic currite vt comprehendatis, omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertũ;

ſic

sic pugno, non quasi aërem verberans; sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres; quoniã patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare trãsierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Et omnes eandem escam spiritualem manducauerunt; Et omnes eundem potum spiritualem biberunt. Bibebãt autem de spirituali, consequente eos, petra; petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.

Graduale. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: sperent in te, qui nouerũt te, quoniam non derelinquis quęrentes te Domine.

Vers. Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in æternũ: Exurge Domine, non pręualeat homo.

Tractus. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

Vers. Fiant aures tuæ intendentes in orationem serui tui.

Vers. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Vers. Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis parabolam hãc. Simile est regnum cœlorum homini patri familias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno; misit eos in vineam suam. Et egressus

circa horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro ocioſos, & dixit illis: Ite & vos in vineam meam, & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa ſextam & nonam horam: & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exijt, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos cõduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meã Cum ſero autem factũ eſſet; Dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. Cùm veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerunt, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent acceperuri; acceperunt autem, & ipſi ſingulos denarios; & accipientes, murmurabant aduerſus patrẽ familias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus? At ille reſpondens, vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſſimi, primi; & primi, nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

Profeſſio fidei Catholicæ præſcripta à Pio quarto Papa.

EGo N. firma fide credo & profiteor: omnia & ſingula quę continentur in Symbolo fidei, quo ſancta Romana Eccleſia vtitur, videlicet, Credo in vnum Deum, &c. Et vitam vẽturi ſęculi.

sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissimè admitto & amplector. Item sacrã scripturam iuxta eum sensum quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum patrum accipiam & interpretabor.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationẽ & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solenni administratione, recipio & admitto. omnia & singula, quę de peccato originali, & de iustificatione, in sacro-sancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

Profiteor pariter in missa offerri Deo verũ, proprium & propitiatorium sacrificium, pro viuis & defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi; fieriq́ue conuersionem totius substãtię panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conuersionẽ Catholica Ecclesia trãsubstantia-

tionem appellat. Fateor etiam, sub altera tãtum specie totum atque integrum Christum, verũque Sacramentum sumi. Constanter teneo; Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & sanctos vna cum Christo regnantes venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas: Firmiter assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maxime salutarem esse, affirmo.

Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco: Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro.

Cætera item omnia à sacris Canonibus & Oecumenicis concilijs, ac præcipue à sacro sancta Tridentina Synodo, tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas & reiectas & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam salvus esse nemo potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo; eandem integram & immaculatam vsque ad extremum

vitæ

vitæ Spiritum, constantissime, Deo adiuuante retinere & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit curaturum.

Offertorium. Bonum est confiteri Domino & psallere nomini tuo altissime.

Vers. 1. Quam magnificata sunt opera tua Domine, nimis profundæ cogitationes tuæ.

Vers. 2. Ecce inimici tui Domine peribunt, & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.

Vers. 3. Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi, quia respexit oculus meus inimicos meos, & insurgentes in me malignantes audiuit auris tua.

Secreta.

MVneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis, & cœlestibus nos munda mysterijs, & clementer exaudi. Per Dominum.

COncede nobis misericors Deus, & dignè tuis deseruire altaribus, & eorum perpetua participatione saluari. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

AEterne Deus. Ad cuius immensam pertinet gloriam, vt non solũ mortalibus tua deitatę succurreres, sed & de ipsa etiam mortalitate nostra nobis remedium prouideres, & perditos quosque vnde perierant, inde saluares. Per Christum.

Communio. Illumina faciem tuam ſuper ſeruum tuum: & ſaluum me fac in tua miſericordia Domine; non confundar, quoniam inuocaui te.

Poſt-Communio.

FIdeles tui, Deus, per tua dona firmentur, vt eadem & percipiendo requirant, & quærẽdo ſine fine percipiant. Per Dominum.

DEus qui per ineffabilem obſeruãtiam Sacramenti, famulorum tuorum præparas voluntates; donis gratiæ tuæ corda noſtra purifica, vt quod ſancta eſt deuotione tractandum, ſinceris mentibus exequamur. Per Dominum.

Benedictio.

IPſe nos in Eccleſia ſua fructificare faciat, qui ad excolendam vineam ſuam, mane, hora tertia, ſexta, nona & vndecima operarios inuitat. *Amen.*

Quatenus inter primos operãtes, nec extremis inuidentes, mercedem laborum noſtrorum ſine murmure & increpatione percipiamus. *Amen.*

Vt cum his qui membris Chriſti minimis ſubuenire curarunt, in nouiſſimo magni iudicij die, benedici atque in æterna tabernacula introduci mereamur. *Amen.*

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius poteſtas nec initio nec fine coangustatur in ſęcula ſęculorum. *Amen.*

DOMI-

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

CAPVT I.

DOMINICA octaua ante feſtum paſchæ dicitur Dominica in ſexageſima. Illi quibus non ſufficit ea ratio quod in decade proximus ſit ſexageſimus ſeptuageſimo, & exactam volunt eſſe ſupputationem iſtorum numerorum, hi ſexageſimam protendunt ab hac Dominica in feriam quartam hebdomadæ paſchalis, qui ſunt dies ſexaginta: quæ res explicatur ſermone ſubſequẽte. Carolus Magnus Imp ſcribit nonnullos ab hac Dominica in feſtum paſchæ ſolitos ieiunare, vt ea ratione obſeruent ieiunium quadraginta dierum tanta religione cõmendatum, & tamen ab eo excipiant diem Dominicum, feriam quintam & diem paſchæ. Sunt enim ab hac Dominica in diem paſchæ dies quinquaginta ſeptem: é quibus ſi ſubtrahas octies diem Dominicum, item octies feriam quintam, & ſemel diem paſchæ, remanebunt dies quadraginta.

Sermo Alcuini de Sexageſima.

SEXAGESIMA initium ſumit ſequenti Dominica poſt Septuageſimam, & finitur quarta feria hebdomadæ paſchalis. Nam in ſuperiore hebdomada, ſcilicet Septuageſimæ, circundatam ſe doloribus & tribulationibus clamat Eccleſia, & ita conſtrictam afflictionibus & tribulationibus vt vix ſpirare queat, & nullus euadendi pateat locus. Vnde dicit: Circunde-

derunt me. In hac autem, id est Sexagesima, iam quasi resumpta fiducia, inuocat, & quasi omnipotentis Dei clementiam implorat, dicens: Exurge, quare obdormis Domine? quasi dicat quamuis non dormites, neque dormias qui custodis Israël; tamen quia non cito auxiliando succurris nobis, dormire videris. Quare faciem tuam auertis? Quamuis peccata nostra inter nos & te separent: noli obliuiſci conditionis nostræ, sed respice propitius opus creationis tuæ. Exurge, & ne repellas in finem: sed vide tribulationem nostram: adhæsit enim in terra venter noster, id est consensit impuritati pulueris huius, & fragilitati. sensus interior cordis nostri. Et iterum inclamat, & quasi importune auxilium petit, dicens: Exurge Domine adiuua nos, & libera nos: id est quatenus nos digni non sumus liberari, libera nos propter nomen tuum, id est gratis, & non secundum meritum nostrum. Hoc idem nam3 sonat oratio prima ipsius diei, in qua dicitur: Domine qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus, id est ex nullo bono nostro opere fiduciam habemus, sed sola miseratione saluari speramus Et in Epistola, bonus athleta Paulus & doctor Gentium nobis proponitur, cuius sapientiam & fortitudinem imitemur. Responsorium. Sciant gentes quoniam nomen tibi Dominus; id est cognoscant qui nos tribulant & persequuntur, qui non sunt veri Domini, nec nomen dominorũ illis competit: sed tibi soli, qui nos condidisti, & solus iuste dominaris, altissimus super omnem terram. Sequitur tractus: Commouisti Domine terram, & conturbasti eam. Terram commouisti, dicit peccatorum conscientiam hominum ad pœnitentiam prouocatam. Terra quippe commouetur, quãdo peccatoris cor ad pœnitentiam & lachrymas excitatur: post motam

tam autem terram semen inducitur, quia post cõmota corda pœnitentium ad lachrymas, semen verbum Dei audius suscipitur, & uberius fructum faciens crescit & multiplicatur. Vnde conuenienter Euangelium sequitur, in quo de terra petrosa, & spinosa, atque de bona quæ fructum per patientiam reddit, multa narrantur. In Septuagesima increpati sumus quod otiosi stetimus, & ad vineam colendam inuitati sumus: Nunc in Sexagesima semen verbum Dei in cordibus nostris veluti in bonã terram iacitur, vt crescat & fructificet, & per patiẽtiam fructum plurimũ afferamus. Sequitur offerẽda. Perfice gressus meos: *Deprecatur Ecclesia vt perficiantur gressus illius, id est, vt à Domino dirigantur itinera eius, in semitis viarũ Dei, qui a Deo diriguntur gressus hominis, non à seipso, quòd nemo per se nisi à Deo adiutus potest esse rectus, sicut ipse Dominus ait discipulis suis: Sine me nihil potestis facere. Et ideo, quod à seipsa intelligit Ecclesia non posse perfici, à Domino petit totis votis impleri. Dicit etiam in Communione:* Introibo ad altare Dei. *Iam confisa sancta mater Ecclesia de misericordia Omnipotentis Dei, præsumit & dicit:* Introibo ad altare Dei, *id est in conspectu ipsius apparebo, & de misericordia ipsius gloriabor. Pertendit autem, diximus, hac Sexagesima vsque ad Paschalis hebdomadæ quartam feriam, quia sexaginta dies computantur ab hodierno die, quo canimus ad introitum:* Exurge quare obdormis Domine? *vsque ad præfatum diem, in quo canimus:* Venite benedicti Patris mei. *Quod à magno mysterio non vacat. Nam senarius numerus perfectus est, & suis completur partibus. Est enim sexta pars eius, vnum: secunda, tria: tertia vero, duo. Vnum ergo*

ergo & duo & tria fiunt ſex. Et nec inferius manet numerus, nec ſuperabundat: Quod raro in aliis vnquam numeris reperitur. Decies autem ſeni, ſiue ſexies deni, ſexaginta fiunt Et ideo ſexageſimus numerus, ſicut & ſenarius, perfectionem boni operis ſignat. Sex enim ſunt dies in quibus oportet operari: Et in ſex diebus omnem curſum noſtræ bonæ operationis perficimus. In ſex enim diebus opera ſua perfecit Deus, & in ſexta ætate per ſeipſum viſitare dignatus eſt mundum, & hominem lapſum a paradiſi amœnitate, & diaboli fraude deceptum, proprio cruore redimere. De hoc ſenario numero loquens B. Auguſtinus, & de eius perfectione, in quodam loco, dicit quod non ideo ſenarius eſt perfectus, quia in eo perfecit Deus omnia opera ſua, ſed quia ſenarius numerus erat perfectus, ideo in eo Deus opera ſua perficere dignatus eſt. Quapropter, neceſſe eſt vt in hac ſexageſima bonis operibus dediti ſimus, & cum Dei adiutorio in vigiliis, ieiuniis, & orationibus, ceteriſq; bonis operibus noſtram ſalutem operari ſtudeamus: quia qui per ſex dies bonæ operationis, præſentis vitæ curſum tranſierint, & fideliter in opere recto laborauerint, & vſque in finem in cœptis bonis operibus perdurauerint: ſexageſimum fructum laboris ſui, & æterna beatitudinis præmium percipient, audientes illam deſiderabilem vocem ipſius quæ ipſa die in ſancta cantatur Eccleſia, ſcilicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnũ. Quam vocem nobis audire, & quod regnũ nobis percipere concedat Omnipotens Deus, qui viuit & regnat per omnia.

MISSA

MISSA DOMINICÆ IN SEXAGESIMA.

INTROITVS.

EXVRGE, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem: quare faciem uam auertis, obliuiſceris tribulationem noram? adhæſit in terra venter noſter: exurge Domine, adiuua nos & libera nos. *Pſal.* 43.

Pſal. Deus auribus noſtris audiuimus: patres noſtri annunciauerunt nobis.

Verſ. Gloria Patri.

Oratio.

DEus qui conſpicis quia ex nulla noſtra actione confidimus; concede propitius: t contra aduerſa omnia, doctoris Gentiũ proectione muniamur. Per Dominum.

Alia.

FVere quęſumus Domine plebem tuam, & ſacram ſolemnitatem recolentem gratiæ œleſtis largitate proſequere, vt viſibilibus adta ſolatijs, ad inuiſibi ia dona promptius inicetur. Per Dominum, &c.

Lectio Epiſtola B. Pauli Apoſt. ad Corinthios.

FRATRES: Libenter ſuffertis inſipientes, cum ſitis ipſi ſapientes. Suſtinetis enim ſi uis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem os cędit. Secundum ignobilitatem dico; quaſi os infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis udet (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebręi

ſunt:

sunt:& ego:Semen Abrahæ sunt: & ego. Minister Christi sunt: & ego; vt minus sapiens dico, plus ego. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis,quinquies,quadragenas, vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum: semel lapidatus sum: ter naufragium feci: nocte & die in profundo maris fui.In itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere,periculis ex gentibus, periculis in ciuitate,periculis in solitudine, periculis in mari,periculis in falsis fratribus.In labore & ærumna: in vigilijs multis,in fame & siti: in ieiunijs multis, in frigore & nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet: quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor. Deus & pater Domini Iesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quòd non mentior. Damasci prępositus gentis Aretę regis custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta dimissus sum per murum: & sic effugi manus eius. Si gloriari oportet (non expedit quidem) Veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit; raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem, siue in corpore siue extra corpus, nescio, Deus scit; quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana

cana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Propter quod, ter Dominum rogaui vt discederet à me: & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis: vt inhabitet in me virtus Christi.

Graduale. Sciant gentes quoniam nomen tibi Deus: tu solus altissimus super omnem terram.

Vers. Deus meus pone illos vt rotã, & sicut stipulam ante faciem venti.

Tractus. Commouisti Domine terram & conturbasti eam.

Vers. Sana contritiones eius quia mota est.

Vers. Vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore. Cum turba plurima cõuenirent & de ciuitatibus properarent ad Iesum: dixit per similitudinem. Exijt qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam, & conculcatum est: & volucres cœli comederunt illud: Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit, quia

quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas: & ſimul exortæ ſpinę ſuffocauerũt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortũ fecit fructum cẽtuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. Interrogabãt autem eum diſcipuli eius quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei; cæteris autem in parabolis: vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola. Semen eſt verbum Dei. Quod autem ſecus viam: hi ſunt qui audiunt; deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum ne credentes ſalui fiant. Nam quod ſupra petram: hi ſunt qui cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt verbum: & hi radices non habent: quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt qui audierunt, & à ſolicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ, euntes, ſuffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam: hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

Et dicitur CREDO.

Ad Symbolum, ex Alcuino.

DOMINE Deus credo omnipotentem, inuiſibilem, incircumſcriptum, omnia regentem, omnia continentem, omnium creatorem, trinitatem, vnitatem. Credo te miſiſſe filiũ tuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum in terram, pro ſalute generis humani. Hęc eſt fides, qua in te credo: ſi recte credo, bene: ſin autem minus quam oportet, obſecro vt non adſpicias ad verba, quę dixi, ſed ad id, quod volui. Domine

Ieſu

Iesu Christe credo te per Angelum Mariæ Virgini annunciatum: credo te secundum carnem natum, pastoribus demõstratum: credo te octauo die circumcisum: credo te à Magis adoratũ: à Ioanne baptizatum in Iordane: præsentatum in templo: credo te à Iuda traditore traditum, consputum, flagellatum, spinis coronatum, crucifixum, sepultum, tertia die resurrexisse, & quadraginta diebus cum discipulis manducasse & bibisse; Deinde quadragesimo die in cœlos adstantibus discipulis ascendisse. Inde credo te vẽturum iudicare viuos & mortuos. Certus sum Domine, te dixisse: Nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur & viuat: & iterum; Gaudium erit super vno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.

Offertorium. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: mirifica misericordias tuas qui saluos facis sperantes in te Domine.

Secreta.

OBlatum tibi Domine sacrificium viuificet nos semper & muniat. Per Dominum nostrum, &c.

Alia.

INtende quæsumus Domine hostias familiæ tuæ: & quam sacri muneris facis esse participem, tribue ad eius plenitudinem peruenire.

Præfatio.

AEterne Deus. Qui nos de donis bonorum temporalium ad perceptionem proueh̃is æternorum, hæc enim tribuis, & illa promittis,

promittis,vt & manſuris iam incipiamus inſeri, & prætereuntibus non teneri. Vnum eſt enim omne quod viuimus,quia licet peccati vulnere natura noſtra ſit vitiata, tui tamen eſt operis vt à terrenis ad cœleſtia renaſcamur. Per Chriſtum.

Communio. Introibo ad altare Dei,ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.

Poſt-Communio.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus: vt quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſeruire concedas.

Alia.

REge quæſumus Domine populum tuum, & gratiæ tuæ in eo dona multiplica, vt ab omnibus liber offenſis, & temporalibus non deſtituatur auxilijs, & ſempiternis gaudeat inſtitutis. Per Dominum,&c.

Benedictio.

DAtor omnium bonorum Chriſtus, bonũ ſemen in cordibus noſtris ſeminare & ad maturitatẽ congruã dignetur perducere. *Amen.*

Quod nec à dæmonibus comeſtum, nec duritia cordis arefactum, nec ſpinis ſuffocatum, centenarium poſſit reddere fructum. *Amen.*

Quatenus in vltimo diſcrimine, quando multi pro crimine vti zizania igni comburenda tradentur,nobis manipulos frugũ noſtrarum portantibus horrea cœlorum aperiantur. *Amen.*

Quod ſumma Trinitas præſtare dignetur, quæ quibuſlibet foris impendentibus miniſterium,ipſa ſola intrinſecus dare poteſt incremẽtum, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

DOMINICA *septima ante Paſcha, dicitur Dominica in Quinquageſima, ea forſitan vera ratione quod iſta rotunda numeratio conueniret ſolenni numerationi ieiunij Quadrageſimalis. Interpretes adferunt etiam alias bonas rationes. Amalarius, Quinquageſima (inquit) habet denominationem a quinario numero. Quinarius enim numerus congruit exteriori homini, qui quinque ſenſibus vegetatur, ſiue ad bonum ſiue ad malum. Quinquageſimus pſalmus habet vocem pœnitentis. Quinquageſimus annus ponitur in iubilæo. Hæc Quinquageſima habet reſponſum in ipſa die reſurrectionis Domini; ab hac enim Dominica ſunt quinquaginta dies vſque ad Paſcha Domini, qui in Quinquageſima orat pro peccatis conſequitur lætitiam in Paſcha Domini: Hæc Amalarius: Iſta Dominica duabus obſeruationibus eſt inſignis; lege Theleſphori Papæ, qui diem ſequentem voluit clericis eſſe initium ieiunij Quadrageſimalis; & lege diaboli, qui hanc Dominicam & ſequentes duos dies omni genere flagitiorum voluit ſibi eſſe ſacros, qua in re tantum valuerunt eius doli, vt homines etiam religioſi crederent iis diebus licitam eſſe quandam vitæ indulgentiam, quæ cæteris anni diebus non conueniret; & hoc ea ratione quòd difficultatem itineris quadraginta dierum iſto modo leniendæ exiſtimetur. Nulla enim eſt alia cauſa iſtius noſtræ inſaniæ, tot laruarum, tot conuiuiorum, tot potationum, tot ludorum, tot meretricum & ſcurrarum, atque iſta ieiunij Quadrageſimalis auſpicatio. Adeo*

De ordine Antiph. cap. 33.

non arbitramur Quadrageſimæ ſufficere decoquendæ tot noſtra mala præterita, ſi non etiam vltrò nouæ ſuppeditemus. Sane in curandis morbis corporis multo ſumus prudentiores, cum enim in eo ſtatu eſt corpus noſtrum vt medico & medicina indigeat; nemo tam eſt ſtultus; nemo tam ſibi hoſtis, vt crudo ſtomacho ingerat nouas cruditates, ea occaſione quod ſit ſumpturus potionem medicam; quin imo quia hoc eſt facturus, leuiore aliqua potione præparat ſtomachum ſolidiori medicinæ. Lex Theleſphori recitatur à Gratiano, his verbis: Statuimus, vt ſeptem hebdomadas plenas ante ſanctum Paſcha omnes clerici, id eſt in ſortem Domini vocati, a carne ieiunent, quia ſicut diſcreta debet eſſe vita clericorum à laicorum conuerſatione, ita & in ieiunio debet eſſe diſcretio. Has igitur ſeptem hebdomadas omnes clerici à carne & deliciis ieiunent, & hymnis & vigiliis atque orationibus inhærere die noctuq; ſtudeant. Laudat eandem legem Gregorius Magnus. Obſeruatur quoque ea lex in Oriente ab omnibus clericis, & in Occidente a Monachis & Canonicis regularibus. Clerici verò Occidentales ſequuntur interpretationem Gratiani, qui dicit hæc non decernendo eſſe ſtatuta, ſed exhortãdo conſcripta, tractat rem iſtam accuratè Franciſcus Turrianus pro epiſt. Pontificum lib. 5. cap. 18. vulgus noſtrorum Teutonum etiamnum, ob hanc legem Theleſphori, vocat hanc Dominicam Papenvaſtenauont, *id eſt vigiliam ieiunij clericalis.*

DE

DE EXPLICATIONE HODIERNI OFFICII.

IN *Sexageſima ſeminauimus; in Quinquageſima fructum colligimus. Quid quæſiuit cæcus a Domino, qui nos præfigurauit? nihil, niſi vt frueretur lumine, fructum quæſiuit, fructū inuenit. Ista Quinquageſima ſpectat primum diem venerabilis Paſchæ. Sicut enim ſenarius perfectionem operum demoſtrat; ita quinquagenarius omnia bona opera quæ perficiuntur per quinque ſenſus corporis, quinquies decem quinquaginta. Quiſquis per exteriorem adminiſtrationem decem verba legis compleuerit in Spiritu ſancto; non dubitet ad conſortium ſe peruenturum eſſe beatæ reſurrectionis, quæ celebratur in Paſcha Domini. Per Sabbathum venimus ad Dominicum: ſic & per ſeptiformem Spiritum legem implendo, ad reſurrectionem. Septem enim hebdomadæ ab hoc die vſque ad Paſcha, deſignant illam ſeptiformem gratiam. In Septuageſima tribulationibus & anguſtiis circūdati ſumus, in Sexageſima Dominum inuocauimus, & quaſi dormientem excitauimus: In Quinquageſima, quaſi iam propinquiorem audacius & promptius inuocamus, dicentes:* Eſto mihi in Deum protectorem, *& in prima oratione Miſſæ dicimus:* Preces noſtras quæſumus Domine clemēter exaudi, atque à peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos aduerſitate cuſtodi *Dicit etiam in epiſtola beatus Paulus Apoſtolus, oſtendens nobis chariſmata meliora: Si linguis hominum loquar & Angelorum, &c. vſque, cymbalum tinniens. Et quibus*

munitionibus in Dei protectione ſubſiſtere debeamus, in fine huius lectionis oſtendit, dicens: Nunc manẽt fides, ſpes, charitas, tria hæc: maior autem his eſt charitas. *Sequitur reſponſorium:* Tu es Dominus qui facis mirabilia ſolus. *Quaſi diceret: Non eſt Dominus alius præter te Domine. Simulacra gentium non ſunt dij, ſed opera manuum hominum: Tu autem vere es Deus, qui ſaluas ſperantes in te. Notam feciſti in gentibus virtutem tuam, redimẽdo & liberando nos de manibus eorum. Et iterùm dicit in verſu:* Liberâſti in brachio tuo populum tuũ. *Tractus etiàm Domino nobis præcipit ſeruire, qui nos fecit, non ei cui noſmetipſi peccando vninimus. In Septuageſima, terra cordis noſtri quaſi tribulationibus eſt exarata & culta: In Sexageſima, ſemina verbi Dei ſuſcepimus & ſeminauimus: In Quinquageſima, ſeminis & bona operationis fructũ colligimus. Vnde in Euangelio cæcus introducitur, qui nos ſignificat, non aurum neque diuitias quærens, ſed lumen, quod percipere meruit. Quod nos vt æternum & verum accipere mereamur, attentiùs quærere debemus. Sequitur Offerenda, eundem habens tenorem, hoc eſt, in gratiarum actione manens, dicendo:* Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas. *Communio autem, ad memoriam reducit antiquum populum, qui manna manducauit in deſerto, & non eſt fraudatus deſiderio ſuo: Hoc his verbis innuens, quòd ſi nos in bono & ſancto deſiderio manſerimus, non eo fraudabimur, ſed æterna ſatietate donabimur, quandò hoc adimplebitur in nobis, quod alibi Pſalmiſta dicit:* Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua.

MISSA DOMINICÆ QVINQVAGESIMÆ.

INTROITVS.

ESTO mihi in Deum protectôrem, & in locum refugij ſaluum me facias: quoniam firmaméntū meū, & refugiū meū es tu: & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me. *Pſal. 30.*

Pſal. In te, Dómine, ſperaui: non confundar in ætérnum, in iuſtitia tua libera me. *Ibid. & pſal. 70.*

Verſ. Gloria Patri.

Oratio.

PRECES noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi: atque à peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos aduerſitate cuſtodi. Per Dominum noſtrum.

ACunctis nos, quæſumus Domine, mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata, & glorioſa, ſemperque virgine Dei genitrice Maria, cū beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus ſanctis, ſalutē nobis tribue benignus, & pacē: vt, deſtructis aduerſitatibus, & erroribus vniuerſis, Eccleſia tua ſecura tibi ſeruiat libertate.

Lectio Epiſtolæ B. Pauli Apoſt. ad Corinthios.

FRATRES: Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens. Et, ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: &, ſi habuero omnem fidem, ita vt *1. Cor. 13*

montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem nõ habuero: nihil mihi prodest. Charitas patiẽs est: benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam: non inflatur: non est ambitiosa: non quærit quæ sua sunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet super iniquitatem, cõgaudet autem veritati. Omnia suffert: omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit: sive prophetiæ evacuabũtur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectũ est, evacuabitur quod ex parte est. Cum essem parvulus, loquebar vt parvulus, sapiebam vt parvulus, cogitabam vt parvulus. Quando autem factus sum vir: evacuavi quæ erant parvuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum: Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.

Psal. 76. *Graduale*. Tu es Deus, qui facis mirabilia solus: notam fecisti in gentibus virtutem tuam.

Vers. Liberasti in brachio tuo populum tuũ, filios Israël, & Ioseph.

Psal. 99. *Tractus*. Iubilate Deo, omnis terra: servite Domino in lætitia.

Vers. Intrate in conspectu eius in exultatione: scitote, quod Dominus ipse est Deus.

Vers. Ipse fecit nos, & non ipsi nos: nos autem

tem populus eius,& oues pascuæ eius.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore: Assumpsit Iesum duodecim discipulos suos secreto,& ait illis. Ecce,ascédimus Hierosolymam ; & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis. Tradetur enim Gentibus,& illudetur, & flagellabitur, & conspuetur. Et postquam flagellauerint,occident eum:& die tertia resurget Et ipsi nihil horum intellexerunt. Erat autẽ verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quę dicebantur. Factum est autem, cum appropinquaret Iericho,cęcus quidam sedebat secus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset.Dixerunt autem ei,quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit,dicens: Iesu,fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant,increpabant eũ, vt taceret. Ipse vero multo magis clamabat. Fili Dauid, miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et,cum appropinquasset,interrogauit illum,dicens. Quid tibi vis faciam? At ille dixit:Domine,vt videam. Et dixit illi Iesus: Respice. Fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit: & sequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs,vt vidit, dedit laudem Deo. *Cap. 18.*

CREDO.

Offertorium. Benedictus es Domine: doce me iustificationes tuas: in labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.

Vers. 1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius,in toto corde exquirũt eum. Aufer

à plebe tua opprobrium & contemptum, quia mandata tua non ſumus obliti Domine.

Verſ. 2. In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs.

Verſ. 3. Viam iniquitatis Domine amoue à me: viam iniquitatis Domine amoue à me, & de lege tua miſerere mei. Viam veritatis elegi: iudicia tua, iuſtitiam tuam non ſum oblitus. Viã mandatorum tuorum cucurri, dum dilatares cor meum.

Præfatio.

AEterne Deus. Et maieſtatem tuam continua deuotione exorare, vt modulum terrenæ fragilitatis adſpiciẽs, non in ira tua pro noſtra prauitate nos arguas, ſed immenſa clementia tua purifices, erudias, conſoleris. Qui cũ ſine te nihil poſſimus facere, quod tibi ſit placitum, tua nobis gratia ſola præſtabit, vt ſalubri conuerſatione viuamus. Per.

Pſal. 77. *Communio.* Manducauerunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorũ attulit eis Dominus; non ſunt fraudati à deſiderio ſuo.

Poſt-Communio.

QVæſumus omnipotens Deus: vt qui cœleſtia alimenta percepimus, per hęc contra omnia aduerſa muniamur. Per Dominum.

MVndet, & muniat nos, quæſumus Domine, diuini Sacramenti munus oblatum: & intercedente beata Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque beato N. & omnibus ſanctis, à cũctis nos reddat & peruerſitatibus expiatos, & aduerſitatibus expeditos.

DE multitudine misericordiæ tuæ, Domine populum tuum tibi protege confidentem; & corporaliter gubernatum, pię mentis affectu, tuis muneribus assequendis effice promptiorem. Per Dominum.

Benedictio.

LVmen indeficiens Deus, qui ad illuminationem nostram lumen de se genitum in hunc mundum dirigere voluit incarnatum; ipse aperire dignetur oculos prȩcordiorum nostrorum. *Amen.*

Quatenus ipsam sequentes, & alios ad laudem Dei accendamus, & ipsi ad domum Dei æternam in cœlis perueniamus. *Amen.*

In quam per ipsum & ostium & ostiarium introducti, diuinis laudibus in sæcula sęculorũ permaneamus intenti. *Amen.*

Quod eius dignatione fieri postulamus, qui quos ante sæculum præsciuit & prædestinauit, & ante finem sæculi vocauit & iustificauit, in fine sæculi glorificabit in sæcula sæculorum. *Amen.*

FERIA QVARTA CINERVM.

HOSTA *Feria quarta duas habet appellationes, vnam veterem, In capite ieiunij vel vt est apud Ambrosium, In capite Quadragesimæ; Alteram vulgarem, Cinerum. Et quidem prioris appellationis rationem sic exponit B. Gregorius. Quadragesima summa observatione est obseruanda: vt ieiunium in ea (præter dies*

dies Dominicos, qui de abſtinentia ſubtracti ſunt) niſi quem infirmitas impedierit, nullatenus ſoluatur: quia ipſi dies decimæ ſunt anni. A prima ergo Dominica Quadrageſimæ, vſque in Paſcha Domini, ſex hebdomadæ computantur: quarum videlicet quadraginta dies & duo ſunt: ex quibus dum ſex Dominici dies abſtinentiæ ſubtrahuntur, non plus in abſtinentia, quam triginta ſex dies remanent. verbi gratia, ſi per cccLxv. dies annus voluitur; deinde per triginta ſex dies affligimur: quaſi anni decimas Deo damus. Sed vt ſacer numerus quadraginta dierum adimpleatur, quem Saluator noſter ſacro ſuo ieiunio conſecrauerat: quatuor dies prioris hebdomadæ ad ſupplementum quadraginta dierum tolluntur, id eſt, quarta feria, qua caput ieiunij ſubnotatur: & quinta feria ſequens, & ſexta feria, & Sabbathum. Niſi enim iſtos dies quatuor ſuperioribus 36. adiunxerimus; quadraginta dies in abſtinẽtia nõ habemus. Iubemur autem, & omnipotenti Deo, omnium bonorum noſtrorum decimas dare. Altera vero appellatione iſtius feriæ, qua vulgo eam vocamus feriam quartam Cinerum, non tam ea ratione ſic appellatur quod hoc die cineres benedicantur, & capitibus imponantur, ſed multo verius & hæc conſuetudo quæ nunc vtimur, & vox iſta Cinerum, profecta eſt a vetere & ſolemni ritu quo hac ipſa feria recipi conſueuerunt pœnitentes ad publicam pœnitẽtiam. Quæ res quia multorum Catholicorum libris variè tractatur; tota quoque ad antiquos Eccleſiæ Catholicæ ſacratiſſimos mores, & peccatorum noſtrorum odiũ, ad hæreticorum dogmata conuellenda, plurimum valet: explicanda eſt paulo diligentius. Pœnitentes vel ſunt vel eſſe oportet omnes qui poſt Baptiſmum obligati ſunt Deo ex delicto, atque ea ratione facti

ſerui

ſeruipœnæ, liberari ea ſeruitute ſine pœnitentiæ virtute & Sacramento non poſſunt. Verum nos hic de toto iſto genere pœnitentium non agimus, ſed de iis ſolummodo pœnitentibus, qui in Eccleſiæ conuentu publicè inter pœnitentes numerabantur, & certo loco ac habitu, certa quoque forma in Eccleſia orandi, manendi, inde recedendi, a cæteris fidelibus diſtinguebantur; & ſingulariter pœnitentes dicebantur. Quin nec omne huiuſcemodi genus publice pœnitentium pertinet ad hanc noſtram ferium, in qua verſamur, ſed illi ſolummodo pœnitentes, qui dicuntur facere ſolennem pœnitentiam, quæ niſi ſemel in vita fieri non poterat; qui coram Epiſcopo vel eius delegato hoc die ſe proſternunt in terram, qui detonſo capillo peculiari habitu, depoſito baculo, accipiunt publicè ab Epiſcopo ciliciũ, quorum capitibus inſpergũtur cineres, vt iis ſordibus publice profiteantur interiores ſordes animæ, qui poſt multas preces ſuper eos pronunciatas eiiciuntur de Eccleſia, Feria quinta in cœna Domini abſoluebantur ab iſta pœnitentia & reſtituebantur Sacramentis. De iſto itaque genere pœnitentium hic agimus. Multi enim olim in Eccleſia publicè pœnitebant & extra hoc tempus Quadrageſimæ, & ſine iſta ſolemnitate, qui ad hoc genus pœnitentium non pertinent. Et quidem in omnibus iſtis ſiue publice ſiue ſolemniter pœnitentibus, illi eorum actus quos commemorauimus quibus diſtinguebantur a non pœnitentibus publici erant omnino, verum peccata non erant ſemper publica, neque ad faciendam publicam & ſolennem iſtam pœnitentiam requirebatur vt cauſæ ſuſceptæ pœnitentiæ publicarentur, quod rationibus & autoritate facile probatur. Initio, pœnitentia Eccleſiaſtica nullo vnquam tempore liberauit reos ab obligatione iuſtitiæ ſecularis;

futurum

futurum itaque fuerat vt rei legum ciuilium, ipſi ſe ad ſupplicium offerrẽt, quæ res longé eſt abſurdiſſima. Præterea legi naturæ repugnat vt quis ſic ſe diffamet coram populo, non obligato ſigillo confeſſionis, ſicut hoc facimus coram presbytero repreſentante perſonã Chriſti. Authoritates quoque grauiſſimæ exiſtunt quibus res ea probatur. Initio qui ſuſcipiebant pœnitentiam publicam, ante ſecreto confitebantur vel Epiſcopo vel presbytero, vel hebdomada priore ante initium Quadrageſimæ, ita vt antequam caput ieiunij veniret, omnes confeſſi pœnitentiam acceptam haberent, vt ex pœnitentiali Romano refert Burchardus, vel hac ipſa feria quarta, vt eſt in ordine Romano, in quo expreſſe ſic legitur: Deinde iubeat eum Sacerdos ſedere contra ſe, & colloqui cum eo de ſupraſcriptis vitiis. Et paulo ante dicit idem Ordo, vt ſi presbyter non poſſit alicui perſuadere iſtam pœnitentiam, vel quia ita hebes eſt vel quia interest aut cauſa itineris aut cuiuſlibet occupationis: reconciliet eum ſtatim. Leo quoque Magnus diſertis verbis ad Epiſcopos per campaniam de ſecreto confeſſionis, ſic ſcribit. Illam etiam, contra Apoſtolicam regulam, præſumptionem, quam nuper agnoui à quibuſdam illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri (de pœnitentia videlicet, qua ita à fidelibus poſtulatur) ne de ſingulorum peccatorum genere, libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur; cum reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus iudicari confeſſione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur; tamen quia non omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea, qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare; remoueatur tam improbabilis conſue-

Lib. 19. decret. c. 1

Epiſt. 80.

consuetudo, ne multi à pœnitentiæ remedijs arceantur, dum aut erubescunt, aut metuunt, inimicis suis sua facta referari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demùm plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis.

Beatus Hieronymus ad Eustochium virginem, postquam docuit quæ peccata virgines debeant in cœnobio publice confiteri: subiungit. Neque tamen propter hoc secreta cogitamina cordium prodant, nec occulta peccata quæ solis sacerdotibus debent confiteri. Si igitur non hoc licuit in cœnobio: multo minus coram toto populo. Confessio enim Sacramentalis nisi de facto publico nunquam fuit publica; & si quid eiusmodi fuit aliquando à priuatis vsurpatum, vt in Campania; vel ab aliquo Episcopo in sua Ecclesia in aliquibus casibus fuit frequentatum vt Constantinopoli sub Nectario; non pertinuit res ea ad Ecclesiæ vniuersalem consuetudinem, & vel ab Ecclesiæ præpositis vel ipsa rei indignitate est sublata. Non pertinent quoque ad istam feriam veteres Canones pœnitentiales, qui passim in Conciliis leguntur: de quibus fuerunt olim apud latinos peculiares libri, Pœnitentiale Romanum, Pœnitentiale Theodori. Apud Græcos quoque multa sunt quæ pertinent ad istos canones, quæ leguntur in Nomocanone. Ista enim pœna satisfactoriæ & tempore prolixæ, & pœnis graues atque variæ, pro occultis quoque peccatis imponebantur, & earum præstationes in ista quam diximus publica solemni pœnitentia non apparebant; quinimo si cui pœnitentia aliquot annorum iure canonis fuerat imperata, nihilominus

solem-

ſolemniter ſuſcipiens hoc die habitum pœnitentis abſoluebatur feria quinta in cœna Domini ſubſequente, nec tamen ſoluebatur illa pœna occulta canonica. Scripſerunt de tota hac materia publicæ pœnitentiæ præter canonum collectores Bellarminus ad controuerſiam de pœnitentia lib. 1. cap. 21. 22. & ex profeſſo Marianus Victorius Reatinus. Sunt & alibi multa eiuſdem argumenti, quæ multis rationibus difficilia intellectu exiſtimantur. Initiò nomen pœnitentiæ vox eſt quæ tribuitur toti Sacramento & ſingulis eius partibus: ſic contritio ſic confeſſio, ſic omnium frequentiſſime ſatisfactio, ſingula ſeorſum dicuntur pœnitentia; & extra rationem Sacramenti eſt virtus quædam pœnitentia. Inducit, inquit Molanus ſpecialem virtutem pœnitentiæ non dolere de peccato quia contra rectam rationem eſt commiſſum; neque dolere de peccato quatenus offenſa Dei eſt; neque dolere de peccato vt languenti animo medeamur; ſed dolere de peccato hoc fine vt compenſetur offenſa Dei ſiue vt vindicetur iniuria Deo facta. Quam ſpecialem virtutis rationem Philoſophi huius mundi ignorauerunt. Nec tamen cum religione coincidit, quamuis ſit Dei cultus; ſed eſt aliqua iuſtitia, cuiuſmodi eſt inter patrem & filios, inter Dominum, & ſeruos. Præterea in iſta materia pœnitentiæ facile erratur inter publicè pœnitentes qualis fuit Theodoſius Imperator, & alios publicè & ſolenniter pœnitentes hac die. Præterea, canones pœnitentiales, quia ſunt iuris Eccleſiaſtici poſitiui, magnam habent varietatem temporibus atque locis. Bellarminus, dicit in Eccleſia olim fuiſſe duos ordines hominum, Fideles & Catechumenos; Fideles rurſum fuiſſe diſtinctos, in clericos, fideles, & pœnitentes Pœnitentium quoque varios fuiſſe gradus oſtendit ex S. Gregorio

De pœnit. lib. 1. c. 22

Neoct-

Necesarienſi, è quibus peſſimæ conditionis erant illi qui ſtabant ante portas Eccleſiæ, in loco qui à fletu dicebatur προκλαύσις *quod ibi flẽtes, prohibiti ingreſſu Eccleſiæ, poſtularent preces fidelium ingredientium in Eccleſiam. Secundi ordinis erant intra portam Eccleſiæ cum Cathecumenis audientibus qui locus dicebatur* ἀκρόασις *eo quod audirẽt verbum Dei, licet non intereſſent orationi cum competentibus. Tertij, erant cum competentibus, & intererant orationi, ſed non ſacrificio cum fidelibus qui locus dicitur* ὑποστάσις, *quaſi contemplatio rerum ſupernarum. Quarti, erant cum fidelibus cum ſacrificabatur, ſed non communicabant; & horum locus a ſtando dicebatur* ὑπόστασις. *Quinti, optimiq; ordinis pœnitentes erant illi qui abſolutam iam pœnitentia expectabant publicã reconciliationẽ, ac ita erant cõmunicaturi, quorum locus dicebatur* μέσοις *id eſt expletio. Auguſtinus quoque facit mentionem vltimorum pœnitentium:* De ſanctâ Virg. c. 48 *Ab Apoſtolis (inquit) vſque ad vltimos pœnitentes quaſi a ſummis Cœlorum vſque ad terminos eorum. Erant vero peculiaria iſtis noſtris pœnitẽtibus, prater ea quæ diximus. Primò (quod repetendum eſt) non permittebatur iſta pœnitentia niſi ſemel in vita. Qui eam fecerat non poterat fieri clericus, non miles, non maritus niſi ex indulgentia Epiſcopali. Sunt & alia multa quæ canones tribuunt pœnitentibus; verã non auſim affirmare an non etiam aliis publicè pœnitentibus eadem conueniant. Nam quod legitur, quod non ſtantes ſed in genua procumbentes orarent, non pertinet proprié ad noſtros poenitentes. In Quadrageſima enim etiam à fidelibus flectuntur genua. Cetera, non ire ad balnea, non ad conuiuia, ne inuitatos quidem, ſepelire mortuos, priuari communione Sacramenti, non eſſe ſuſceptores baptiſandorũ quãdiu*

ſunt

ſunt in ordine pœnitentium, aliaq; nonnulla, videntur pertinere ad omnes pœnitentes. Quæ res ab earum rerum ſtudioſo homine examinari quam hic longò ſermone exquiri, rectius poteſt, atque hæc breuiter dẽ hiſtoria pœnitentium. Proximum eſt vt eorum exẽplo vitam inſtruamus. Ponamus itaque nos hic in ſæculo forſan honoratos & diuites, certe iſta magno ſtudio ambientes, intùs nihilominus reos grauiſſimorum criminum; deinde cogitemus ſi illa quæ commiſimus ſic paterent oculis hominum ſicut patent ſcientiæ Dei; fore vt multi raperemur ad legum ſupplicia. quod ſi accideret, meditemur pudorem quem nobis facerent comprehenſio, quem carcer, quem ductio ad ſupplicium: meditemur confuſionem de vxore & liberis, de amicis qui nos coluerunt, de populo qui nos cum obſeruantia eſt admiratus, de inimicis poſtremo quos arrogantia nobis noſtra procurauit, inſolentia in nos exacerbauit, mortẽ deinde, ac poſt mortem memoriæ infamiam. Et, ſi ea quæ commiſimus non cadunt ſub leges ciuiles, cogitemus varias alias noſtras turpitudines quæ proditæ nos infamarent. quantum puderet honoratam mulierem nunc probam, olim adulteram, ſi hoc eius crimen innoteſceret! & concepto in animis ex cogitatione præteritorum hac iſta confuſione; progrediamur vlterius, atque illud quod eſt certiſſimum ſerio cogitemus, fore vt peccatores hic non pœnitentes, ſic aliquando pudore conturbemur, ſic pœnis afficiamur, tanto turpiore pudore, tãto grauiore pœna, quanto maior eſt Deus & cœlum, quanto grauius eſt ſupplicium inferni his omnibus quæ diximus. Deinde ex cogitatione tantæ neceſſitatis, recogitemus ea remedia quibus ſolis ſubueniri poteſt tantæ noſtræ neceſſitati; & cum omnia cogitando tranſierimus, vna nobis occurret pœnitentia, vt

eam

eam faciamus hic in Ecclesia ista terrestri quæ est imago illius superna & supercœlestis. vt igitur veniamus ad illam cœlestem, necesse est vt hic coram eius imagine vltronee suscipiamus pudorem pœnitentium. Veniamus itaque hoc die coram Deo, coram eius altari, coram eius ministro, & toto corpore proiecti in terram, exemplo Theodosii, rigemus lachrymis solum cui incumbimus, dicentes in spiritu feruoris: Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum. inde erecti fide, ad exemplum nostrorum pœnitentium, post factam fidei professionem, sicut ibi interrogabatur pœnitens: Vis dimittere illis qui in te peccauerunt omnia, vt & tibi Deus dimittat peccata tua, ipso dicente: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra: sic nos ex toto corde respondeamus: Dimittere nos omnia his qui peccauerunt in nos: & ista voluntate informati accedamus ad secretam cordis & oris confessionem, & eam faciamus sacerdoti, humillime eidem inclinati, verecundi de peccatis, non verecundi de pudore confessionis, & post vulnus animi plane detectum dicamus. Quoniam in his me peccasse & reum in conspectu Dei super omnes homines esse cognosco & confiteor. Ideo supplico vos omnes sancti Angeli Dei & omnes sancti, & te venerande sacerdos, in quorum conspectu hæc omnia confessus sum, vt testes mihi sitis in die iudicij contra diabolum hostem & inimicum generis humani, hæc omnia me confessum fuisse, obnixe etiam te Sacerdos Dei exposco vt intercedas pro me & pro peccatis meis ad Dominum Deum nostrum, quatenus de his & de aliis omnibus sceleribus meis veniam & indulgentiam per merita & intercessiones omnium sanctorum assequi merear. Et post acceptã

a ſacerdote benedictionem, flexis genibus in terra, & ſuper ipſa innixus ſtans, ſupplicter tenſis manibus blando ac flebili vultu reſpiciens ſacerdotẽ dicamus: Multa quidem & innumerabilia ſunt alia peccata mea quæ recordari nequeo in factis, in dictis & cogitationibus; pro quibus omnibus miſera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur, ideoque conſilium imo iudicium tuum, qui ſequeſter ac medius inter Deum & peccatorem ordinatus es, ſupplex deprecor; & vt pro iiſdem peccatis meis interceſſor exiſtas humiliter imploro. Deinde totos nos in terram proſternamus, & gemitus atque ſuſpiria vel lachrymas prout Deus dederit, producamus, & ſic iaceamus aliquandiu proſtrati, iuxta quod diuina inſpiratio nos reddiderit compunctos, & iterum erecti dicamus ſeptem pſalmos pœnitentiales: Domine ne in furore I. Beati quorum. Domine ne in furore tuo II. Miſerere mei Deus. Domine exaudi I. De profundis. Domine exaudi II. Pater noſter, &c.

Domine cõuertere & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Reſpice & exaudi me Deus meus. Illumina oculos meos.

Ab occultis munda me Domine: Et ab alienis parce ſeruo tuo.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: Multum eſt enim.

Delictum meum cognitum tibi feci; Et iniuſtitiam meam non abſcondi.

Domine ante te omne deſiderium meum: Et gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Exaudi

Exaudi orationem meam & deprecationem meam, auribus percipe lachrymas meas.

Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice.

Domine miserere mei: sana animam meam quia peccaui tibi.

Miserere mei Deus, miserere mei; Quoniam in te confidit anima mea.

Domine auerte faciem tuam à peccatis meis: Et omnes iniquitates meas dele.

Ne memineris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum, quia pauperes facti sumus nimis.

Adiuua nos Deus salutaris noster, Et propter gloriam nominis tui Domine libera nos è peccatis nostris, propter nomen tuum.

Ne tradas bestijs animam confitentem tibi. Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.

Domine tu scis insipientiam meam: Et delicta mea à te non sunt abscondita.

In multitudine misericordiæ tuæ, Exaudi me in veritate salutis tuæ.

Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua: Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.

Ne auertas faciem tuam à pueto tuo: Quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, & libera eam: Propter inimicos meos eripe me.

Domine vide humilitatem meam & laborem meum: Et dimitte omnia peccata mea.

Ne perdas Domine cum impijs animam meam, Et cum viris sanguinum vitam meam.

Redime me Domine & miserere mei.

Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.

Intende ad deprecationem meam: Quia humiliatus sum nimis.

Libera me à persequentibus me: quoniam confortati sunt super me.

Educ de tribulatione animam meam: Et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat.

EXaudi Domine preces nostras, & confitẽtium tibi parce peccatis, vt quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absoluat.

DA quæsumus Domine nobis famulis tuis, continuam purgationis nostræ obseruantiam pœnitendo gerere; & vt hoc efficaciter implere valeamus, gratia nos tuæ visitationis & præueniat, & subsequatur.

PRæueniat me famulum tuum, quæsumus Domine misericordia tua; & omnes iniquitates meæ celeri indulgentia deleantur.

ADesto Domine supplicationibus meis, nec sit à me famulo tuo clementiæ tuę longinqua miseratio, sana vulnera, mihique remitte peccata, vt nullis iniquitatibus à te separatus, tibi Domine semper valeam adhærere.

DOmine Deus noster, qui peccatis nostris offenderis, satisfactione placaris; respice quęsumus ad me famulũ tuum, qui me tibi peccasse grauiter confiteor: tuum est enim ablu-

tionem

ionẽ criminum dare, & veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle quã mortem. Concede ergo Domine hoc, vt ego famulus tuus pœnitentiæ tibi excubias celebrẽ, & correctis actibus meis sempiterna mihi gaudia à te conferantur.

EXaudi quęsumus omnipotens Deus preces nostras, quas in conspectu pietatis tuæ effundere præsumimus, suppliciter deprecãtes, vt me indignum famulum tuum in tua misericordia confidentẽ, benedicas; omnia mihi peccata dimittas, tuaque me protectione conserues, vt possim te dignus fieri, & ad æternam beatitudinem valeam peruenire.

ADesto Domine supplicationibus nostris, famuli tui confessionem benignus assume; vt qui auxilium tuæ miserationis imploro, & sanctificationis gratiam percipiam, & quæ precor obtineam.

PRecor Domine clementię & misericordiæ tuę maiestatem vt mihi famulo tuo peccata mea cõfitenti, debita relaxare, & veniã præstare digneris, & præteritorũ criminũ culpas deleas. Qui humeris tuis ouem perditã reduxisti, quiq. publicani preces, cõfessione placatus exaudisti: tu etiã mihi famulo tuo placare; tu meis precib⁹ benignus adspira, vt in confessione placabili permaneam, fletus & petitio perpetuam clementiam tuam celeret, sanctisque altaribus ac Sacramẽtis restitutus, spei rursus æternæ ac cœlesti glorię possim mancipari. Per Dominum.

Post animum istis orationibus eleuatum ad Deũ, antequam accedamus ad sanctam Missam, procumbentes in genua dicamus Psalmum.

DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manum tuam.

Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meę ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.

Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meę, à facie inſipientiæ meæ.

Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar,

Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.

Afflictus ſum & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne deſiderium meum: & gemitus meus à te non eſt abſconditus.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.

Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt;

Et qui iuxta me erant, de longe ſteterunt, & vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur:

Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum:

Et factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones;

Quoniam in te Domine ſperaui, tu exaudies

dies me Domine Deus meus.

Quia dixi, Nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper,

Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me:

Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ. Gloria Patri, &c.

PSALMVS 102.

BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius,

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas,

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus.

PSALMVS 50.

MIserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam;

Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

PSALMVS 53.

DEus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me,

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerũt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.

Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.

Voluntariè sacrificabo tibi, & cõfitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri, &c.

PSALMVS 51.

QVid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sicut nouacula acuta fecisti dolum.

Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem.

Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa.

Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicẽ tuam de terra viuentium.

Kyrie eleison. Pater noster.

Saluum fac seruum tuum Domine: Deus meus sperantem in te.

Illustra faciem tuam super seruum tuum.

Mitte mihi Domine auxilium de sancto: Et de Sion tuere me.

DEus, cuius indulgentia cuncti indigemus: memento famuli tui qui lubrica terreni corporis

corporis est fragilitate nudatus: quæsumus da veniá cõfitenti, parce supplici, vt qui nostris meritis accusamur tua miseratione saluemur. Per.

Postea audiamus veterem Missam quæ hoc die in receptione pœnitentium, dicebatur, attendamus ad eius Introitum & cætera quæ sequuntur.

INTROITVS.

DE necessitatibus meis eripe me Domine, vide humilitatem meam & laborẽ meum, & dimitte omnia peccata mea. *Psal.* 24.

Psal. Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.

Gloria Patri, &c.

Collecta.

OMnipotens sempiterne Deus, confitẽti tibi huic famulo tuo, pro tua pietate peccata relaxa, vt non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis prosit ad veniam. Per.

Lectio Esaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus. Lauamini mundi estote, *&c. vt infra fer. 4. Dom. 4. Quadrag.* *Cap.* 1.

Graduale & Tractus. Saluum fac. *vt feria sexta quatuor temp. Quadrag.*

EVANGELIVM.

IN illo tempore: Duo homines ascenderunt in templum. *Dom. 10. post Pentecosten.*

Offertorium. Miserere mihi Domine secundum magnam misericordiam tuam.

Secreta.

PRæsta quæsumus omnipotẽs & misericors Deus vt hæc salutaris oblatio famulum tuũ & à proprijs reatibus indesinenter expediat, & ab omnibus tueatur aduersis.

Præfatio.

Præfatio.

AEterne Deus, Et clementiam tuam humíliter implorare, vt facturam tuam non deſpicias, nec ab inimicis tribulari permittas. Scio enim me grauiter deliquiſſe, & præceptis tuis minime obediſſe: ideo humiliter obſecro, gratiam tuam, Domine, mihi ſemper conſolatricem adhibeas, & miſericordiam tuam fautricem adponas. Vnde expoſco pietatem tuam magnam, vt mea dimittas peccata; quia plus valet miſericordia tua ad erigendum, quam fallacia inimici ad deijciendum. Miſerere mei Domine ſecundum magnam miſericordiam tuam, vt vnde erubeſco, tu indulgeas, & ea quæ geſſiſſe me pœnitet, clementer ignoſcas. Per.

Infra actionem.

HAnc igitur oblationem, quam tibi offero ego famulus tuus, tu clementiſſime pater libenter excipias, orationesque meas dignãter intendas; tribulationes cordis mei miſericorditer auferas, placabilis vota ſuſcipias, libens deſideria compleas, clemens peccata dimittas, crimina benignus abſtergas, flagella propitius redimas, languores miſeratus excludas, ſereniſſimo vultu petitionibus meis aurem accommodes, gratiam tuam mihi multipliciter augeas, & miſericordiam tuam inceſſabiliter largiaris, diesque:

Com. Deus propitius eſto mihi peccatori.

Poſt. Communio.

OMnipotens & miſericors Deus, qui omnem animam pœnitentem & confitentẽ magis vis emendare quam perdere: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum, & per hæc Sacra-

Sacramenta quæ ſumpſimus, auerte ab eo iram indignationis tuæ, & dimitte ei omnia peccata ſua. Per.

DEus charitatis & pacis, qui pro ſalute generis humani crucis patibulum ſuſtinuiſti, & ſanguinem tuum pro redemptione noſtra fudiſti: preces noſtras placatus & benignus ſuſcipe, & miſericordiam tuam mihi concede, vt cum de corpore me exire iuſſeris, pars iniqua in me non habeat poteſtatem, ſed Angelus tuus ſanctus inter ſanctos & electos tuos colloçet, vbi lux permanet, & vita regnat. Per.

Poſt dictam poſt-communionem mittitur cinis ſuper caput pœnitentis, & datur cilicium. Stemus itaque cum tremore, audiamus de puluere:

MEmento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

Et de cilicio cum imponitur.

CONtere cor tuum, & humilia animã tuam in cinere & cilicio: cor enim humiliatum Deus non deſpicit.

ADſit quæſumus Domine, huic famulo tuo inſpiratio gratię ſpiritualis, quæ cor eius fletuum vbertate reſoluat, ſicque macerando conficiat, vt iracundię tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per.

Et poſt hæc omnia, audiamus terribilem eiectionem noſtram ab Eccleſia, & increpationem noſtram.

Ecce eijceris hodie à ſinu matris tuæ ſanctæ Eccleſię, propter peccatum tuum, ſicut Adam primus homo eiectus eſt de paradiſo, propter tranſgreſſionem ſuam.

Audiamus voces quibus proſequuntur nos eiectos de Eccleſia.

In ſu-

In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, dixit Dñs ad Adã: cum operatus fueris terrã, nõ dabit fructus ſuos, ſed ſpinas & tribulos germinabit tibi. ℣. Pro eo quod obediſti voci vxoris tuę plus quã meæ, maledicta terra in opere tuo, nõ dabit fructus ſuos. *Iſto itaq; modo eiecti, cõſideremus nos ſtãtes ante portã Eccleſiæ, in loco fletus quẽ diximus, infra catechumenos audietes, nõ leuiter tactos cineribus, ſed tota facie oppletos, nõ enim deletur ſordes rubiginis niſi per applicationẽ & cõfricationem aliarũ ſordiũ, quas deinde cũ ipſa rubigine tollit aqua. cogitemus pũgens & dehoneſtãs cilicium, & in ſumma humilitate clamemus fortiter ad Dominũ.* Ecce Dñe, hìc ego ſum, eũ qui venerat ad nuptias ſine veſte nuptiali, liga tũ proieciſti foras in tenebras exteriores, vbi eſt flet⁹ & ſtridor dẽtiũ. Ecce Dñe eiectus ſum à te, ſed nõdũ in tenebras exteriores, nõdũ inſonuit in aures meas. Ite maledicti in ignem ęternũ, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius: tamẽ huius terribilis iudicij hic ſtãs quãdã imaginẽ ſuſtineo. corã angelis ſacerdotibus tuis, corã SS. fidelibus tuis, eijcior hodie de ſinu matris meę. quo fugiã à facie tua? nõ eſt fuga à facie tua, vbiq. inueniet me facies tua. Fugit à te Adã, cuius exẽplo ſum eiectus de paradiſo eccleſię tuę, & inuenit eũ tur piter nudũ facies tua. Fugit à facie tua Cain, ſed nõ effugit faciẽ irę tuę. Ad iſtã itaq. portã tuã ſedebo mẽdicus; tu, melior diuite epulone, de micis quę cadũt de mẽſa tua ſuſtine famẽ meã, egre diãtur ſaltẽ canes de domo iſta vt lingua ſua miſe reãtur vulnerũ meorũ: orẽt pro me, caſtigẽt me, dulcedine cõſolationis tuę lingãt vulnera mea. clamabo, ſi forte exaudias: pulſabo ſi forte aperias. Ad te leuabo oculos męos qui habitas in cęlis. Ecce ſicut oculi ſeruorũ in manibus dñorũ

ſuorũ,ſicut oculi ancillę in manibus dñæ ſuæ:ita oculi noſtri ad Dñm Deũ noſtrũ,donec miſerea tur noſtri. Miſerere noſtri Dñe,miſerere noſtri, quia multũ repleti ſumus deſpectione,quia mul tũ replera eſt anima mea,opprobriũ abũdãtibus & deſpectio ſuperbis. Ad te clamabo: Ieſu, fili Dauid miſereteme i. Kyrie eleisõ. Chriſte eleisõ, Kyrie eleison.ad vos clamabo ciues cęleſtis do-mus ad quã ſuſpiro. Sãcti Angeli Dei orate pro me. ad vos clamabo qui in iſta Eccleſia terreſtri aliquãdo laboraſtis. Omnes ſancti & ſanctæ Dei orate pro me. Omnis populus videt exterio-res ſordes meas: tu Dñe vides interiores, quas ſcio,& cogitare nõ audeo:ſed velit nolit cogita-tio mea cõfitebitur tibi.ſed & ego volũtarie cõ-fiteor me peccaſſe, & impie egiſſe in conſpectu tuo, iuxta omnes abominationes quas iniquus facere cõſueuit:ſed miſericordię tuę magnitudi-ne peccatorũ meorũ vincitur magnitudo,maior eſt enim miſericordia tua totius mũdi peccatis: & ideo manet mihi de indulgẽtia ſpes,quia ma-net omibus de miſericordia certitudo. Cuſtodi animã meã & eripe me Dñe, nõ cõfundar,quo-niã inuocaui te. Exaudi Dñe vocẽ meã qua cla-maui ad te, miſerere mei & exaudi me. Exaudi Dñe vocẽ deprecationis meę.dũ oro ad te,dum extollo manus meas ad tẽplũ ſanctũ tuũ. Intret oratio mea in cõſpectu tuo: Inclina aurẽ tuã ad deprecationẽ meã Dñe. Intret poſtulatio mea in cõſpectu tuo Dñe,ſecundũ eloquium tuũ eripe me. Ecce cognoui quoniam Deus meus es tu. Fac mecũ Dñe ſignum in bonũm, vt videãt qui me oderunt & cõfundantur. Sit nomen Dñi be-nedictũ ex hoc nunc & vſque in ſæculũ Amen.

Atque hæc ex ord. Romano ſic aptauimus deuotioni

legentium iſtum librum. Viſus eſt nobis quidã aliud liber Pontificalis, manu ſcriptus, in quo breuiter ordo pœnitentium ſic deſcribitur In capite ieiuniorum ſolemniter pœnitentes ex inſtitutione Agathenſi concilij de Eccleſia eijciuntur, hoc modo. Pœnitentes enim quibus ſecundum ius vel conſuetudinem pro grauioribus criminibus ſolemnis eſt pœnitentia imponenda, hac die, hora quaſi tertia, conueniant ad Eccleſiam cathedralem, in vilibus veſtibus, & vultibus ad terram demiſſis; (quorum nomina ſcribi debent) accipientes pœnitentiam iuxta modum culpæ, a Pœnitentiario Epiſcopi, vel ab alijs quibus hoc officium deputatum eſt. Et poſtea omnes emittuntur, & manet ante fores Eccleſiæ; & interim Pontifex dicta ſexta paratur amictu, alba, ſtola, pluuiali ſeu Cappa, mitra ſimplici & baculo paſtorali; Miniſtri etiam parantur, & benedicit cineres qui in quibuſdam Eccleſijs fiunt de ramis benedictis præteriti anni, ſi habentur. Cineribus benedictis, Pontifex cum miniſtris præcedente ſchola & toto clero, cruce, aqua benedicta, & duobus cereis præcedentibus, egreditur extra chorum, circa medium Eccleſiæ, vbi parata eſt ſibi ſedes: tunc clerus coram eo diuiditur per duos choros hinc inde verſus valuas Eccleſiæ ſeriatim ordinãdos. Et quilibet Archipresbyter nominatim vocat pœnitentes ſui Archipresbyteratus. Illuc vero omnes ingreſſi cum candelis accenſis in manibus proſternunt ſe cum lachrymis in Eccleſiæ pauimento coram Epiſcopo, inter vtrumque chorum. Tunc vnus Archipresbyter aſpergit eos genu flectentes aqua benedicta. Alter vero Archipresbyter ſequens, vel ipſe Pontifex, imponit cineres ſuper capita ſingulorum, dicens:
Memento fili quia puluis es, & in puluerem reuerteris, age pœnitentiam vt habeas vitam æter-

æternam. *Et tunc quilibet debet extinguere candelam ſuam. Quo facto, Pontifex incipit Antiphonam* Ne reminiſcaris Domine. *Et mox ſuper faldiſtorium accumbit, miniſtri etiam & totus clerus, & ipſi pœnitentes proſternuntur ad terram, & pro illorum abſolutione dicunt ſeptem pſalmos pœnitentiales alternatim, & dicitur Litania. Qua finita, Epiſcopo & clericis ſurgentibus, cantatur Antiphona,* Ne reminiſcaris. *Et ſuper pœnitentes dicuntur pleraque vt in ordine Romano. His præmiſſis ſurgant pœnitentes, & faciat eis Pontifex ſermonem, oſtendens qualiter Adam propter peccatum eiectus eſt de paradiſo, & multa maledicta in eum congeſta ſunt: & qualiter illius exemplo ipſi de Eccleſia ad tempus eijciendi ſunt. Quo facto accipiat vnum ex pœnitentibus per dexteram manum, & alij pœnitentes omnes ſe inuicem manibus tenentes, candelas in manibus accenſas habentes, ſubſequantur eum, & ita eijciat eos de Eccleſia, cum lachrymis dicens:* Ecce, eijcimus vos hodie de liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ propter peccata & ſcelera veſtra: Omnipotens Deus reuerti vos faciat cum fructu pœnitentiæ. ℟. Amen. *Et interim ſchola inſequens cantat reſponſorium:* In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, dicit Dominus ad Adam, donec reuertaris ad terram de qua aſſumptus es: Quia puluis es & in puluerem reuerteris. Pro eo quod audiſti vocem vxoris tuæ pluſquam me: maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes panẽ ex ea. *Quia.* ℟. Ecce, Adam quaſi vnus è nobis factus eſt ſciens bonum & malum: Videte ne forte ſumat de ligno vitæ in æternum. ℣. Fecit Dominus Adę tunicam pelliceam, & induit eũ, & ait: Videte, &c. Gloria Patri, &c. Videte. *Et ſic eis*

extra

extra Ecclesiam erectis, & ante valuas flexis genibus gemendo manentibus; Pontifex in limine ostij stans, moneat eos quod de Domini misericordia non desperent; sed ieiuniis, orationibus, peregrinationibus, eleemosynis, & aliis bonis operibus inuigilent; vt Dominus ad verum pœnitentiæ fructum eos perducat, quodq; feria quinta in cœna Domini, redeant; quoniam tunc in sanctam Ecclesiam reducentur; quam vsque tunc ingredi non præsumant. Et mox Pontifice cum processione ad chorum redeunte, valuæ Ecclesiæ ante oculos eorum clauduntur.

DE VSV ET BENEDICTIONE CINERVM.

INITIVM *hodierni officij est benedictio cinerum; hanc sequitur receptio pœnitentium; illam impositio cinerum super capita cleri & populi; postea fit processio publica præcedente clero, & subsequente populo, cum Antiphonis ad hoc statutis; qua expleta hora nona fit Missa. Olim Romæ primò erat collecta ad sanctã Anastasiam, atque eo loco benedicebantur cineres, recipiebantur pœnitentes, imponebantur cineres capitibus cleri & populi: iis rebus completis, procedebatur à sancta Anastasia ad sanctam Sabinam, Antiphonæ per viam cantabantur, iuxta vestibulum & altare plorabant Sacerdotes & Leuitæ ministri Domini, & dicent:* Parce Domine, parce populo tuo quem redemisti Christe sanguine tuo, vt non in æternum iraſcaris nobis. *Responsoriam.* Emẽdemus in melius. *Vers.* Peccauimus cũ patribus. *His finitis sequuntur Litaniæ. Nostrum Missale*

non sic ista distinguit: atque ea de causa scribimus olim hoc Romæ sic fieri consueuisse. Et quidem in benedictione cinerum, duo sunt notanda. Primum, de vsu cinerum in pœnitentia. Alterum, de eorum benedictione. Antiquissima est ratio pœnitendi in cinere; nempe vt qui per Dei gratiam esse contriti, ad humiliationem animæ suæ conspergerent caput cineribus, in cineribus sederent, iis se inuoluerent & fœdarent: quinimo, vt & cibi pœnitentium macularẽtur cinere. Vnde Dauid. Cinerem (inquit) tanquam panem manducabam. Et Ieremias propheta in Threnis: Cibauit me cinere. Iob cap. vlt. egit pœnitentiam in cinere & fauilla. Nichæas. Et ait Dominus: In domo pulueris puluere vos aspergite. Iudith cap. 3. Filij Israël humiliant animas suas in ieiuniis; & cinis super capita eorum. Mardochæus indutus est sacco, spargens cinerem capiti suo. Thrænorum 4. Filiæ Sion conspersérunt cinere capita sua. Apud Isaiam cap. 58. pœnitentes sacco & cinere sternuntur. Ierem. cap. 25. Aspergimini cinere, quia completi sunt dies vestri. Apud Ionam, Rex Ninives indutus est sacco, & sedet in cinere. In lib. Pontif. vt refert ad hũc diem Durandus sic legitur; Pœnitẽtes & morituri, in signum pœnitentiæ & humilitatis, & quod terra sunt & puluis, se in cinere vel solo prosternunt, & cilicium induunt. Et quidem mos iste non pertinet ad legalia: sed ad ea quæ habent causam perpetuam iustitiæ naturalis. Vnde & apud paganos, & (si bene memini apud Virgiliũ, in magno mœrore fœdat quis barbã cineribus. Cinis enim nos cõmonefacit nostræ originis. Sicut enim quis superbienti dicit: Tu ex filius meretricis: sic loquitur sibi qui accipit cinerem. Sic coram Domino humiliabat se Abraham, non audens ei loqui, Cum sim, inquit, puluis & cinis.

Et apud Ecclesiasticum: Quid superbit terra & cinis? *Et hodierno die hoc præcipuè inculcat Ecclesia, cum signans nos cinere, dicit:* Memẽto homo quia cinis es, & in cinerem reuerteris. *Secundo, pœnitentes cinere profitentur, non solum vilitatem originis suæ quam habent communem cum sanctis: sed & suam illam quam contraxerunt peccatis. nihil enim vilius cinere. Tertio, cinere profitentur fugam splendoris sæcularis. Quarto, humillimam humilitatem. Quinto maximum dolorem & contritionem. Sexto, omnimodam destructionem peccati. In extinctione incendij prima cura est de flamma; secunda, de igne qui insidet materiæ siue flammæ; tertia, de carbonibus qui facillimè accenduntur. Verũ si omnia redacta sunt in cineres: tum & periculum incendij omne est sublatum, & forma veteris ædificij quod construxerat peccatum, sic est deleta, vt omni materia exusta, nihil superfit præter nudum solum quod creauit Dominus. Ex istis autem quæ commemoranimus constat, vsos fuisse pœnitentes cinere copiosius, quam fit hoc die nostris moribus in Ecclesia. quin hoc etiam existimo solemniter pœnitentibus iniectum fuisse cinerem in capita non etiam sic leuiter impressum. quod vt putem facit vox (spargere) qua hac in re veteres vti consueuerunt. Proximum erat benedictio cinerum. Ecclesia quia sancta est, quia seruit sanctis sanctorum; idcirco omnia quibus vtitur in sancto ministerio facit sancta, id est certis ceremoniis & ritibus distinguit ea ab vsu prophano, & dedicat vsui sancto. Neque hoc solum facit in hominibus cũ eos creat Episcopos, & inferiores ordinis clericos, & monachos; & in fœminis cum eas facit sanctimoniales, & diaconissas: sed omnibus etiam rebus inanimatis eam adhibet curam. Vnde & terram sanctificat*

qua

qua condiuntur corpora Christianorum, & lapides, & cœmiterium, & pauimentam, & parietes, & altaria Ecclesiarum; imagines quoque, atque omnem suppellectilem Ecclesiasticam; ignem præterea, aquã, oleum, & istos quoque cineres, sacratissimo & summé necessario Sacramento pœnitentiæ seruituros. Omnino, si muri ciuitatum legum sanctionibus ab vsu ordinario eximuntur, ab iniuria vindicantur, atque ea ratione sancti nominantur: certé iustissima est ratio cur idem, accuratiore etiam cura, hoc in negotio fieri sit necesse. non quod rerum sic benedictarum naturam commutari profiteamur: non quòd sanctitatem eam accipiant quæ est vel in Angelis vel in hominibus: sed quòd inuocatione diuini nominis, quòd prece Ecclesiastica, quòd signo crucis, quòd ministerio vel Episcopali vel Presbyterali vsus eorũ commendetur. vt qui iis sic dedicatis abuti in posterum voluerit, is reus sit eius religionis violatæ, cui res ea deseruit. Crescit enim harum rerum dignitas fine cui dedicãtur, sic aqua baptismalis sanctior est aqua benedicta: panis cathecumenorum pane qui vel in festo sancti Nicolai Tolentinatis, vel quapiam alia occasione benedicitur. Quem vero finem in istis benedictionibus spectet Ecclesia, id ex orationibus & actionibus intelligitur, quibus iis sanctificandis vti consueuit. Et quidem Ecclesia vbi è militante facta fuerit triumphatrix, nullis vtetur istis benedictionibus. Dicit quiddam amplius Rupertus: Si omnes lugendi scientiam haberemus, cunctisq; æqualiter saperet illud quod Propheta deplorans: Cecidit, inquit, corona capitis nostri: væ nobis quia peccauimus: & omnibus in promtu esset facere quod item dicitur nobis: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra: tunc neque cineribus capita nostra aspergere,

De diuin. off. lib. 4. cap. 10. Thren. 5.

Ioelis 2.

neque nudis pedibus opus esset ambulare. Nunc autem maxima pars nostrũ, neque sponte meminit qualem ornatũ capitis (id est cordis sui) Deũ offendendo, perdiderit; neque facile possunt corda lapidea scindi, nisi extrinsecus adhibitis adiuuemur instrumentis. Igitur, vt nostra nobis calamitas ad memoriã reuocetur, & meminerimꝰ quia puluis sumus (quod oblitus fuerat pater noster Adã quando proiecit Deũ coronam suam, & exinde sensit nuditatẽ suam): idcirco & cinere capita nostra adspergimus, & summas partes corporis, id est pedes nudamus, hoc habitu confitẽtes quia non dij, neque de cœlo sumus, sed homines sumus, & de terra principiũ habuimus; & quia per peccatum gloria nostra ſpoliati, & inter hostes nudi constituti, ornatu gratiæ Dei indigemus.

Sermo Iuonis in capite ieiunij.

HODIE *mater Ecclesia filios suos, in quibus detrimentum se sensisse cognoscit paterna corripit seueritate, vt possit eos medicinali parsimonia reformatos, materna pietate colligere inuitat saucios ad ostẽdẽda vulnera sua, né, non ostensa, incurata putrescant: indicit ostẽdentibus diuersa genera correptionũ, vt secundũ quantitatem vulnerũ, adhibeãtur cõgrua fomẽta curationũ. Audite ergo filij matrẽ vestrã, iterũ vos parturientẽ, & imagine Dei iterũ per peccatũ deletã, iterũ reformare cupientẽ. Audite eã voce euãgelica vobis clamantẽ; Pœnitentiã agite propè est regnũ cœlorũ. Quomodo autẽ pœnitẽtiãagere debeatis. Dominus prophetica voce vos admonet, dicens: Cõuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & plãctu, & scindite corda vestra, & nõ vestimenta vestra. Præcipitur auersis, vt cũctis iniquitatibus suis renũcient, & cõuersionem*

Mat. 3. & 4.

Ioelis 2.

fionem ſuã Deo aliter placere non æſtiment; quia non poteſt fieri vt vna pars cordis veſtri mũdetur Deo, & altera immũda reſeruetur diabolo. Quomodo autem cõuerti debeatis, ſubinfertur cũ dicitur: In ieiunio & fletu & plãctu, vt exterius carnẽ caſtigetis per ieiunia, intus autẽ affligatis mentẽ per gemitus & lameta. Subditur: Et, ſcindite corda veſtra, vt intus nihil clauſum remaneat, quod compunctio cordis nõ expellat & oris cõfeſſio nõ aperiat. Hoc eſt quod canitur in pſ. Effũdite corã illo corda veſtra, id eſt, omnẽ immũditiã cordis veſtri per cõfeſſionem euomite, ne tãquã fœtidã humorem cõtinentia vaſa, remoto operculo fœtorem tãtũ emittatis, & intus immũditiã retineatis. Nõ enim corã Deo cor ſuũ effundit, qui aperit os ſuũ in cõfeſſione, & cõcupiſcentiã malã nõ aufert a corde. Vnde & dominus cõqueritur de huiuſmodi; Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorũ lõgè eſt a me. Itẽ, cor ſuum corã Deo nõ effundit qui culpã ſuã in confeſſione defendit, qui ſe nõ humiliat, cũ Pſal. dicens: Confitebor aduerſum me iniuſtitiã meã Domino. Aduerſum ſe quippe cõfitetur; qui ſeipſum accuſat, & horis vel fato vel ſtellis peccatũ ſuũ non imputat. Quacunq; a vobis, vel occulta ſuggeſtione, vel aliena perſuaſione, cõmiſſa ſunt; ſic in cofeſſione aperiãtur, vt etiã de corde pellãtur; quia tali confeſſione cũcta lauantur. A manibus ergo procul ſint homicidia, ita vt a cordibus procul ſint odia; quia ſecundum Apoſtolicam doctrinam, qui odit fratrẽ ſuum homicida eſt. & omnis homicida nõ habet partẽ in regno Chriſti & Dei. Qui fornicabatur, iã nõ fornicetur: Qui mœchabatur, iã nõ mœchetur: quia ſicut ait Apoſt. fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Non quærat etiã aliquis noſtrũ opportunitatẽ videndi mulierem quã concupiſcat: quia ſecũdum ſcripturã: Qui viderit mulierẽ ad

Pſal. 61.

Eſai. 29. Mat. 15.

Pſal. 31.

1. Ioan. 3

Hab. 13.

Matt. 5.

concupiſcendū eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Fornicatio antē generali nomine eſt omnis volūtaria carnis pollutio, quæ qualicūq; modo cōtrahitur,
Epheſ. 4. *excepto legitimo coniugio. Qui furabatur, iā non furetur: qui raptor erat, raptor eſſe deſiſtat: ne illud*
Eſai. 33. *maledictum incurrát, quod dicitur: Væ qui prædaris, qaia præda eris. Tollantur de ore veſtro falſa teſtimonia, verba turpia & iocoſa: quia ſecundū ſcri-*
Prou. 19. *pturam falſus teſtis non erit impunitus: Et de omni*
Matt. 12 *verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Iudicij. Abſit à vobis inuidia, quia inuidia diaboli mors intrauit in orbem terra-*
Sap. 2. *rum Auaritia nec nominetur in vobis, quæ comparatur idolorum ſeruituti. Nam ſicut in idolorum cultura, amatur pro creatore creatura; ſic auarus Deum negligit, vt poſſit retinere vel adipiſci pecu-*
Pſal. 35. *niam, quam diligit. Non veniat vobis pes ſuperbiæ, quo à Deo recedatis, quia ibi ceciderunt qui operātur iniquitatem: expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Nō ſeminetis diſcordiā inter fratres, quia ſicut cōcorditer viuētibus fratribus mādauit Dominus benedictionem, ſic amatoribus diſcordiæ æternam intentat maledictionem Tollite de conſuetudine loquendi iuramenta non neceſſaria: ne frequenter iurando incurratis periuria, & ad condemnationem veſtram teſtem adducatis veritatem aut veſtram falſitatem. Hæc, fratres chariſſimi, quæ dicta ſunt, cum omni malitia deponite, & tempus veſtrum in his hactenus conſumptum, vigilando, orando, flendo, ieiunando, eleemoſynas largiendo, redimite, vt regnum Dei, quod vobis vicinum eſſe promittitur, his impenſis poſſitis acquirere. Ad hoc enim indulta ſunt vobis pœnitentiæ tempora, vt attendentes Dei patientiam, quæ*
Rom. 2. *ad pœnitentiam vos adducit, nequaquam theſauri-*

zetis

zetis vobis iram in die reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua. Attedat quisque quam miser sit, & quam beatus futurus sit: & non formidet in hoc tempore vilia quaque, & dura pro Dei amore sufferre, vt per hoc temporale purgatorium, æternum possit adipisci remedium. Non enim condignæ sunt, vt ait Apostolus, passiones huius temporis, ad illam gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Vobis ergo qui criminalibus culpis irretiti, ad remedium pœnitentiæ confugistis, non indignum videatur, quod mater Ecclesia a gremio suo vos abijcit: quia sicut oportuit eam de sua in vobis diminutione tristari, sic oportet eam vestra satisfactione placari, vt post satisfactionem, per eam, cui Deus in pastoribus vestris dedit licentiam ligandi & soluendi, vestro possitis capiti reconciliari, & per ipsum & cum ipso gloriari. Sicut enim patienter tolerat agrotus, quando in eo putridas carnes vrit vel secat medicus: sic æquo animo sunt vobis hæc pœnitentiæ tolerandæ Sacramenta, quòd in cinere & cilicio extra Ecclesiã estis positi, quod quasi Satanæ traditi esse videamini: Quia hic rubor sequestrationis fit vobis ad interitum carnis, vt Spiritus saluus sit in die vestræ resurrectionis.

Mat. 16.

Rom. 8.

Mat 16. & 18.

1 Cor. 5.

EXPLICATIO MISSÆ.

HODIERNVM *officium totum est pœnitentiale: Introitus pertinet ad consolationem pœnitentium:* Miserere omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia tu es Domi-

nus Deus noſter. *Ad quæ verba ſic vitriacus. Coſidamus igitur de ipſius benignitate, qui nos creauit, qui nihil odit eorũ quæ ipſe volens & ſciens fecit, qui præſtabilis eſt ſuper malitia, cui propriũ eſt miſereri & parcere, cuius miſericordia ſuperexaltat iudicium, cuius oleum ſupernatat: miſerationes eius ſuper omnia opera eius qui ſuauis eſt & mitis, & multæ miſericordiæ & verax. Reuertamur ad eum, qui filio prodigo reuertenti lætus occurrit; qui deſcendentis de Hieruſalẽ in Hiericho vulnera miſericorditer alligauit: Qui peccatores non abiecit, qui non iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam vocare venit; qui oueẽ errantem ad caulas ouium propriis humeris reportauit: qui Chananæam & Publicanum vocauit ad pœnitentiam, & Petrum lachrymantẽ ſuſcepit: qui mulierem deprehenſam in adulterio liberauit, & latronẽ ſerò pœnitentem, atque iuxta ſe pendentẽ, ſibi in paradiſo ſociauit: qui nõ vult mortẽ peccatoris, ſed magis vt cõuertatur & viuat: qui ſtat ad oſtium & pulſat, qui repulſus & conteptus inſtat, auerſos reuocat, fugientes inſequitur, renitentes intrare cõpellit: inimicos ipſe iniuriã paſſus ad concordiam inuitat, ſeruos ſuos ipſe Dominus rogat, gratiã offert, oblatã & repulſam iterum offerre non ceſſat, amiſſam & rurſum abiectã & conteptam iterum reddit, redditam conſeruat, & cõſeruatam ſine fine remunerat. Eius enim gratia & miſericordia nos præuenit, comitatur, ſequitur. Ipſe enim publicanũ Matthæũ Apoſtolum fecit, & Mariã peccatricẽ Apoſtolorum Apoſtolam; Saulũ eccleſiæ perſecutorẽ magiſtrum & doctorẽ gentium fecit. Dauid diceti, peccaui: dixit ſtatim per Nathã. Trãſtulit Dominus peccatũ a te. Sicut aliquis non poteſt ſtellas cœli & maris guttas numerare: ſic nec eius miſerationũ multitudinẽ poteſt quis enumerare. Quãtus enim*

Luc. 15. Luc. 10. Matt. 9 Marc 2. Matt. 15 Luc. 18. Ioan. 8. Luc. 23. Ezech 18 Apoc. 3. Matt. 9 Marc. 2. Act. 13. 1. Reg. 12

tui enim ipse est: tãta eius est infinita & incõprehẽsibilis misericordia. Vnde in Eccles. dicitur: Secũdum magnitudinẽ illius sic & misericordia illius cum ipso est Et iterũ: Miseratio hominis circa proximum suũ, misericordia autẽ Domini super omnẽ carnem. Quæ enim mater tantũ laborauit in partu, vel quis agricola in messe aut quis mercator in lucro pecuniæ quãtũ Deus pro nobis laborauit in cruce? Vnde ipse per Isaiã ait: Nũquid obliuisci potest mulier infante suum, vt nõ miserearur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit: ego tamẽ nõ obliuiscar tui Et iterũ: Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulã peccata tua; reuertere ad me quoniã redemi te. Et rursus: Antequã clamẽt, ego exaudiam: & adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et in Genes. dicitur: Spiritus Domini ferebatur super aquas, id est super peccatores per diluuiũ vitiorũ fluctes, sicut auis super nidũ suum volitando fertur, quãdo pulli sui auferuntur Et in Eccles. dicitur: Pius & misericors est Dominus, & remittet in die tribulationis peccata, & protector est omnibus exquirẽtibus se in veritate. Ipse autem inuenta drachma perdita, cõuocat amicos & vicinos dicẽs: Congratulamini mihi. Pronus enim est ad misericordiã magis quã ad vindictã. Vnde Dauid: Si dicebã, motus est pes meus: misericordia tua Domine, adiuuabit me. Secundũ multitudine dolorum meorum in corde meo cõsolationes tuæ lætificauerunt animã meam. Et per Isaiam: In indignatione mea percussi te, & in recõciliatione mea misertus sum tui. Pde ad punctũ in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscõdi faciem meã paulũper a te & in misericordia sempiterna misertus sum tui dixit redẽptor tuus dominus. Ecce quãta est Dom. misericordia, qui miseretur omniũ & nihil odit eorũ quæ fecit. Eccli. 2. Eccli. 18. Isaiæ 49. Isaiæ 44. Isaiæ 65. Genes. 1. Eccles. 2. Psal. 93. Isai. 60. Isai. 54.

Certe

Certe, etsi non timeremus comminationem: erubescere deberemus tantam Domini rogantis nos dignationem & benignitatem, qui bonus contemptus & & repulsus adhuc suum nobis offert amorem; sicut
Isai 30. *in Isaia dicitur: Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audientes verbum post tergum monentis. Quanto autem maior est eius in presenti misericordia, tanto maior erit in futuro eius ira*
Psal. 30. *& vindicta contra contemptores. Ipse enim retribuet abundanter facientibus superbiam. Quæ enim maior est superbia, quam Dominum suum rogantem*
Prouer. 1. *contemnere? Propter hoc ipse per Salomonem ait: Vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non erat qui aspiceret: despexistis omne consilium meũ, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis quod timebatis, aduenerit. Multi enim qui timent corporis afflictionem, & mundi huius contemptum, & paupertatem; nolunt conuerti ad Dominum. Quod autem timent, eueniet ipsis. Erunt enim in afflictio-*
Iob. 6 & 20. *ne summa corporis & animæ pauperes, & omni bono indigentes sine fine. Qui enim timent pruinam: irruet super eos nix. & fugiens arma ferrea, irruet in arcũ æreum: id est, qui pœnam temporalem metuens, renuit pœnitere, incurret pœnam æternam, quæ per niuem propter anxietatem frigoris designatur, & per arcum æreũm qui fortiter percutit, & propter perpetuitatem pœnæ eo quod æs sit valde durabile. Quæ enim maior vindicta potest excogitari quam sine fine torqueri? Si iudex latronem suspendit, vel aliquẽ exquisitis tormentis interficit: hæc pœna cito trànsit, hæc vindicta parua est & quasi nulla, respectu diuinæ*
Hebr. 10. *vltionis. Durum est & horrendum incidere in manus Dei viuentis. Super quem enim ceciderit lapis*

iste,

iſte, conteret illum. Dum ergo tempus pœnitentiæ & & locum veniæ habemus: non negligamus quærere Dominum, dum inueniri poteſt. Veniet enim tempus quando ipſum libenter quæremus; ſed non poterit à nobis inueniri, vocabunt & non exaudientur. Dum tempus meſſis, tempus plenitudinis eſt; colligamus in æſtate vnde viuamus in hyeme, quando non licet operari. Vnde Dominus ait: Videte ne fuga veſtra fiat in hyeme vel Sabbatho. In hyeme mortis in Sabbatho poſt mortem, quando non licet operari. Non deſperemus de multitudine peccatorum: ipſe enim miſeretur omnium qui miſericordiam eius non repellunt. Sed ne iterum præſumamus de miſericordia eius: attendamus eius iuſtitiam inflexibilem, eius potentiam inuincibilem, eius ſapientiam infallibilem; qui pro eſu vnius pomi primos parentes de paradiſo eiecit, quod hodie repreſentatur in publicè pœnitentibus, qui de Eccleſia eiiciuntur ſicut Adam eiectus fuit de paradiſo. Cilicium datur eis, ſicut Dominus tunicas pelliceas primis parentibus fecit. Cinis ſuper caput ponitur, vt reducant ad memoriam id quod dictum eſt Adam & vxori eius; Puluis es, & in puluerem reuerteris. Candelas etiam ardentes in quibuſdam Eccleſiis tenent hodie pœnitentes in manibus per quas romphæa ardens deſignatur qua intercluſa fuit via paradiſi exulibus & eiectis. Vnde à clero coram ipſis cantatur: Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis. *Et iterum:* In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. *Sicut igitur per hæc diuina iuſtitia recolitur: ita per officium Miſſæ diuina miſericordia memoratur; ne deſperemus, conſiderando miſericordiã; nec præſumamus attendendo iuſtitiã; ſed inter ſpem & timorem quaſi media via cauti incedamus.* Mat. 27. Iſai. 55.

Sequitur in textu Miſſæ. Miſerere mei Deus, miſere-

miſerere mei, quia in te confidit anima mea. *Sed quænam eſt ea ratio petentis miſericordiam à Deo, quia in ipſo confidit anima ſua? Magna omnino. Pueri cum terrore corripiuntur, cum nec ſatis intelligunt quæ loquuntur, nec fere vlla de re rectè iudicant; ſola natura duce ſic petunt miſericordiam à matre. Fugiunt ad matrem, veſtibus illius inhærent, ſub veſtibus ſe abſcondunt, & nihil ibi metuentes, hoc ſolum non dicunt verbis, ſed mente a natura inſtructa:* Miſerere mei, quoniã in te confidit anima mea: *Et mater propter hanc prolis ſuæ cogitationem in ſe vnam iactatam, omni qua poteſt ratione tuetur eam. Si ægrotus recuſatis a ſe multis medicis, vnum ſolum cupit, de cuius amicitia & peritia confidit certe medicus vel hac ſola de cauſa, omnẽ quam poterit operam atque fidem impendet ægroto. Pœnitẽs itaque qui relictis deſideriis ſæculi, non iam confidit in incerto diuitiarum, non in lubrico honorum, non in dulcedine voluptatum, non in laude ingenij; ſed iam in ſolum Dominum iactauit omnẽ curam ſuam, illum ſolum cogitat, ad illum ſolum anhelat, in illo confidit non verbis, ſed tota anima ſua: ille vtique ſecurè dicit Domino:* Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniã in te confidit anima mea. *Sed quare in illo cõfidit anima tua? Quia tu es Dominus Deus noſter. Collecta pertinet ad auſpicationem ieiunij Quadrageſimalis, petit enim à Domino, vt concedat fidelibus gratiã ſuſcipiendi ſeu inchoandi veneranda ieiuniorũ ſolẽnia per cõgruam pietatem, id eſt per pœnitentiam, & ea percurrendi ſecura deuotione, id eſt, nõ interturbator ſed cõtinua religioſæ mentis prõptitudine. Lectio Ioelis proponit nobis pœnitentiã, quomodo eam facere nos oporteat; deinde oſtedit propter noſtram pœnitentiam & mutationem fieri quoque*

veluti

veluti quandam mutationem in Deo, vt non ſolum quod antea peccantibus fuerit comminatus condonet, ſed vt præterea relinquat poſt ſe benedictionem. Conuertimini ad me in toto corde veſtro; Et hanc conuerſionem internam cordis profitemini operibus pœnitentiæ, quæ dolorem verum eſſe teſtentur, quæ præterita peccata puniant, peccatorumq; voluptatem pœnarum acerbitate compenſent, animi pœnitentiam ieiunio, fletu & planctibus indicate, vt nunc ieiunantes poſtea ſaturemini: nunc flentes, poſtea rideatis: nunc plangentes, poſtea conſolemini: flete cum lachrymis, plangite cum tunſione pectoris, aut percuſſione corporis. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra; nolite exiſtimare pœnitentiam conſiſtere in ſolo externo ritu ſcindendæ veſtis, à cordium ſciſſione incipite. aperite illius vomicas cultro confeſſionis, & ſic conuertimini, quia ille in quem peccaſtis, benignus eſt, miſericors eſt, delectat eum benefacere & donare peccata quod eſt benigni, gratis dare & ignoſcere quod eſt miſericordis, eſt patiens, id eſt longanimis: multæ miſericordiæ, id eſt, dives in miſericordia: præſtabilis ſuper malitia, id eſt facile eum pœnitet ſupplicij quod cogitat inferre, præſtabilis ſeu pœnitens idem eſt in originali ſcriptura vocabulum. Malitia vero eſt omne malum nobis debitum propter peccata noſtra, vel etiam quæuis afflictio, etiam ſine peccato, qualis fuit in Iob, hoc eſt, quæuis miſeria. Cum igitur Dominus placatur ne faciat malum; tunc eſt præſtabilis ſuper malitia. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & relinquat poſt ſe benedictionem, ſacrificium & libamen Domino Deo noſtro? Non dubitat Propheta quin pœnitenti remittatur culpa; ſed duo ponit ſub dubio, Num illi ſint ex toto corde

ſe con-

se conuersuri,& ,Num Dominus conuersis sit remissurus pœnam temporalem de qua loquebatur. Sic, Dauid qui sciebat sibi remissa esse peccata, dubitat num etiam Dominus suis precibus daturus esset vitam filio suo, cui in pœnam adulterij comminatus fuerat mortem. Et relinquat post se benedictionem.) talem benedictionem vt possimus offerre Deo nostro sacrificium & libamen. Canite itaque tuba in Sion.) & quid vis cani tuba ô Propheta? Sanctificate ieiunium, id est, sic ieiunate vt legitur in hodierno officio: Vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam; id est, nemo sit in vestra congregatione non sanctus, præparate vestram Ecclesiam, vt cum pœnitentia in Dei conspectum veniat. Egrediatur sponsus de cubili suo) Nullus sit voluptati locus: omnes vacet luctui. Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo; & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. *Quæ verba Propheta, quotidie omnibus feriis Quadragesimæ, repetuntur a nobis in officio vespertino. Necesse est igitur aliquid iis contineri magni momenti. Primum quod dicitur, Plorabunt, ita accipiendum est, quo modo gallicè dicimus:* Les prestres ploureront. *Quibus verbis intelligitur.* non seulement ils ploureront pour l'aduenir, mais ils auront à plourer, à cause de leur deuoir. *id est, non idcirco plorabunt quia hoc futurum est; sed plorabunt quia facere eos hoc oportet. Deinde sequitur vbi eos oporteat plorare, nempe inter vestibulum & altare. Ædificium templi continua & connexa structura cohærens, erat distinctum opere interiore in tres partes; postrema spectans occidentem vocabatur Sancta Sanctorum, adytum sc. in quo erat arca testimonij.*

teſtimonij. Ante illud, erat ſanctum; in quo erat altare Thymiamatis; & ante vtraque erat porticus turrita, quæ eſt hoc veſtibulum de quo loquitur Propheta. Ante hoc veſtibulum erat atrium Sacerdotum, id eſt locus ſub dio clauſus muris vndique; qui habebat ad occidentem veſtibulum; ad ſeptentrionẽ & meridiem, altos muros; & ab oriente ſeparabatur ab atrio exteriori, ſepto quodam trium cubitorum. In iſto atrio Sacerdotum ante veſtibulum, erat altare holocauſtorum. Cum itaque iubentur plorare Sacerdotes inter altare & veſtibulũ, hoc indicatur, vt plorent in loco ſacratiſſimo ſui atrij, in conſpectu totius Iſraelis qui erat in atrio exteriori, vt clamor fletuſq; populi coniungeretur precibus & fletui Sacerdotum, vt ſic ſe mutuo inflammarent ad petitionem diuinæ miſericordiæ. Et iſte eſt ille locus vbi dominus dicit occiſum filium Barachiæ, inter templum & altare, vt templum comprehendat veſtibulum & cæteras partes ædificij. Quid verò lachrymoſis precibus ſint a Domino poſtulaturi, ſic exponit Propheta: Parce Domine, &c. id eſt non in iuſtificationibus noſtris, ſed in multitudine miſericordiæ tuæ effundimus coram te preces noſtras, non vt iuſte iudices, ſed vt parcas, ne dominentur nobis aduerſariæ poteſtates, quæ quamdiu non agimus pœnitentiam dominantur noſtri, & exprobrant ac dicunt: Vbi eſt Deus eorũ? colimus enim Deum qui poteſt nos adiuuare ſi vult, & omnino vult ſi nos pœnitentiam agimus. Poſtremo, iſtis omnibus ſubijcit Propheta non ſolum remiſſionem peccati quæ ſit pœnitenti, ſed etiam plenam, & perfectam reſtitutionem in integrum, &, vt dicit Graduale: Miſit de cœlo & liberauit nos: dedit in opprobrium conculcantes nos. Euangelium pertinet ad duo genera bonorum operum ieiunium & elee- Matt. 23.

& eleemosynam: Tertium, quod est oratio, explicatur reliquis partibus officij. Quia peccauit homo cõtra Deum, contra proximum, contra seipsum: Deo satisfaciat per orationem, proximo per eleemosynã, sibi ipsi per ieiunium & vitæ austeritatem. Et quoniam quidquid est in mundo est superbia vitæ, vel concupiscentia oculorum id est auaritia, vel concupiscentia carnis: contra superbiam specialiter oratione, contra auaritiam, eleemosyna contra luxuriam satisfaciendum est ieiunio. Oratione enim & eleemosyna pestes mentis, ieiunio, pestes corporis sanantur. Vnde in Tobia: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna, magis quam thesauros auri recondere. Tob. 12. *His enim quasi duabus alis oratio in cõspectum Dei ascendit. Primum itaque, in Euangelio explicatur quod dicitur in lectione Iohelis, Sanctificate ieiuniũ. Secundo, reprehẽdit Dominus cupiditatem diuitiarum huius sæculi partim quia in terris non possidentur secure, contra quam est in diuitiis spiritualibus, quæ locantur cœlo; partim verò quia non solum ipsæ diuitiæ terrenæ non possidentur securè, sed præterea trahunt etiam ad se cor possidentis. Qua ratione fit vt nec ipse possidens eas sit securus; Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum. Sunt & alia multa digna explicatione, sed idcirco omissa a nobis quod per Quadragesimam sæpius repetantur, & iamdiu huius diei officio immoramur.*

MISSA.

MISSA.

Statio ad ſanctam Sabinam.

INTROITVS.

MISERERIS omnium Domine, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: diſſimulás peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis: quia tu es Dominus Deus noſter. *Sap. 11.*

Pſal. Miſerere mei Deus, miſerere mei quoniam in te confidit anima mea.

Verſ. Gloria Patri & Filio.

Oremus.

PRæſta Domine fidelibus tuis, vt ieiuniorũ veneranda ſolemnia, & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura deuotione percurrant. Per Dominum noſtrum.

CONcede, nobis Omnipotens Deus præſidia militiæ Chriſtianę ſanctis inchoare ieiunijs, vt contra ſpirituales nequitias pugnaturi, continentiæ ſalutaris muniamur auxilijs. Per Dominum noſtrum, &c.

A Cunctis nos quæſumus Domine mentis & corporis defende periculis: & intercedente beata & gloriosa ſemperque Virgine Dei genitrice Maria cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus ſanctis: ſalutem nobis tribue benignus & pacem: vt deſtructis aduerſitatibus & erroribus vniuerſis, Eccleſia tua ſecura tibi ſeruiat libertate.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum dominaris & mortuorum, omnium-

que misereris quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: te supplices exoramus, vt pro quibus effundere preces decreuimus, quosque vel presens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit: intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorũ veniam consequantur, Per Dominum nostrũ, &c.

Lectio Iohelis Prophetæ.

Cap. 2. HÆc dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu: & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ & prestabilis super malitia. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus: & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo nostro? Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam: coadunate senes: congregate paruulos & sugentes vbera. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobriũ, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis vbi est Deus eorum? Zelatus est Dominus terram suam; & pepercit populo suo. Et respondit Dominus, & dixit populo suo; Ecce ego mittã vobis frumentum & vinum & oleũ: & replebimini in eis: & non dabo vos vltra in opprobriũ in gentibus, dicit Dñs omnipotens.

Gradnale.

Graduale. Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Vers. Misit de cœlo, & liberauit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

Tractus. Domine, non secundum peccata quæ fecimus nos: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Vers. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Cum dicitur sequens versus genu flectitur.

Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Exterminant enim facies suas, vt appareãt hominibus ieiunantes. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua ne videaris hominibus ieiunans: sed patri tuo qui est in abscondito. Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terram, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo: vbi neque ærugo neque tinea demolitur; & vbi fures non effodiunt nec furantur. Vbi est enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. *Cap. 6.*

Offertorium. Exaltabo te Domine, quoniam

ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me: Domine ad te clamaui, & ſanaſti me.

Verſ. 1. Domine abſtraxiſti ab inferis animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

Verſ. 2. Ego autem dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum; Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem.

Secreta.

FAc nos quæſumus, Domine his muneribus offerendis conuenienter aptari, quibus ipſius venerabilis Sacramenti celebramus exordium. Per Dominum noſtrum, &c.

Alia Secreta vſque ad Dominicam Paſſionis.

EXaudi nos Deus ſalutaris noſter: vt per huius Sacramenti virtutem à cunctis nos mentis & corporis hoſtibus tuearis, gratiam tribuens præſenti, & gloriam in futuro.

DEus cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna fœlicitate locandus: tribue quæſumus, vt intercedentibus omnibus ſanctis tuis, vniuerſorum quos in oratione commendatos ſuſcepimus, & nomina omnium fidelium, beatæ prædeſtinationis liber aſcripta retineat. Per Dominum noſtrum, &c.

Prefatio.

AEterne Deus, Qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia, Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem, &c.

Communio. Qui meditabitur in lege Domini

mini die ac nocte, dabit fructum ſuum in tempore ſuo.

Poſt-Communio.

PErcepta nobis Domine præbeant Sacramenta ſubſidium, vt tibi grata ſint noſtra ieiunia, & nobis proficiant ad medelam. Per Dominum.

Alia poſt communiones vſque ad Dominicam Paſſionis.

MVndet & muniat nos quæſumus Domine diuini Sacramenti munus oblatum: & intercedente beata Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus ſanctis, à cunctis nos reddat & peruerſitatibus expiatos, & aduerſitatibus expeditos.

PVrificent nos quæſumus omnipotens & miſericors Deus, Sacramenta quæ ſumpſimus; & intercedentibus omnibus ſanctis tuis, præſta: vt hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam ſed interceſſio ſalutaris ad veniam: ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra omnia mundi pericula firmamentum, ſit viuorum atque mortuorum fidelium remiſſio omniũ delictorum. Per Dominum noſtrum, &c.

Super populum.

ORATIO.

INclamantes ſe Domine maieſtati tuæ propitiatus intende: vt qui diuino munere ſunt refecti, cœleſtibus ſemper nutriantur auxilijs. Per Dominum noſtrum, &c.

Ad Benedictionem.

DOminus Iesus Christus, qui dignatus est discipulis suis dicere: Quecunque ligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo: de quorum numero Episcopos & presbyteros esse sua dignatione voluit: ipse nos largifluo pietatis suæ dono, ac eorum simul ministerio, absoluere dignetur ab omnibus fragilitatis nostrę excessibus, interius exteriusque humanitùs contractis, *Amen.*

Et sicut peccata totius mundi sui traditione, atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare: ita quoque nostrorum peccaminum maculas misericorditer non dedignetur emundare, eiusdem sancti sanguinis interuentione, qui fusus est in peccatorum remissionem. *Amen.*

Deuotionem quoque nostram ita deinceps adiutorio gratiæ suæ non dedignetur corroborare, quatenus & in hoc sęculo subrepentiũ laqueos delictorum valeamus euadere, & in futuro vitam æternam Christi sanguine comparatam, sine fine possidere. *Amen.*

Adiuuante Domino nostro Iesu Christo qui nos fecit cum non essemus, & redemit cum perditi essemus, ad laudem & gloriam sancti nominis sui; Per omnia sæcula sæculorum. *Amen.*

FERIA

FERIA QVINTA POST CINERES.

OLIM *multis in locis plerumque non fiebant conuentus seu Missæ nisi diebus Dominicis & festis, exceptis octauis & diebus Quadragesimæ, quibus quotidie fiebant conuentus fidelium. Qua ratione est effectum vt singuli dies Quadragesimæ habeant proprium & peculiare officiũ, sola feria quinta excepta, quæ vsque ad tẽpora Gregorij Iunioris caruit peculiari officio. Cuius rei duæ adferuntur rationes; vna a Grimoaldo Abbate, qui in præfatione libri Sacramentorum dicit ea ratione id accidisse, quòd Dominus Apostolicus in iisdem diebus a stationibus penitus vacat; eò quod cæteris septimanæ feriis stationibus vacando fatigatus, eisdem requiescat diebus, ob id scilicet vt tumultuatione populari carens, & eleemosynas pauperibus distribuere, & negotia exteriora liberius valeat disponere. Alteram rationem hanc adfert Micrologus. Melchiades Papa a B Petro 33. constituit vt nullus in Dominica nec in feria quinta ieiunaret: vnde S. Gregorius in dispositione officiorum, quintam feriam infra Quadragesimam, vacantem dimisit, vt quia festiua erat, sicut Dominica, etiam officio Dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria ieiunijs postmodum applicata est, vt reliquæ: Gregorius Iunior statuit esse solemnem, officijs vndecimq; collectis, & maximè ex æstiualibus Dominicis.*

EXPLICATIO OFFICII.

TRia sunt genera bonorũ operũ in quibus se debet exercere pœnitentia; Ieiunium, Oratio, & Eleemosyna: è quibus hodie nobis proponitur oratio. Introitus est ex ps. 54. Exaudi Deus orationẽ meã, & ne despexeris deprecationẽ meã. Fit interdũ, inquit D. Basilius, vt indignitas orãtis in causa sit quãobrẽ non impetretur quod rogatũ sit, vel etiam fit interdũ vt oratio quantũuis bona intẽtione prolata, tã tepida sit, & a mente tã vaga prolata, vt Deo, nisi singularis quedam clemẽtia eius, orãti succurrat, pene nauseã & fastidiũ pariat. Dicit itaq; Ne despexeris, &c. quia in hac clemẽtia exaudiri petit. Intẽde mihi & exaudi me. Hæc pertinẽt ad instantiã orationis, nõ ad multiplicationem verborum. Dum clamarem ad Dominũ, exaudiuit vocem meã vt liberet me ab his qui appropinquãt mihi, quod sunt vtiq; peccata nostra quæ ita sunt propinqua nobis, vt sunt vermes ligno in quo nascũtur. Ille enim qui est ante sæcula, & manet in æternũ, humiliauit peccatũ, quod nõ est ante sæcula, & nõ manet in æternũ. Iacta super Dominũ curã tuã; ipsius prouidẽtia te subijcito, & ipse te enutriet, id est per cõgrua incremẽta ad plenũ interioris hominis profectũ sensim educabit. Collecta dicit Deũ pœnitẽtia placari, culpa offendi. In pœnitẽtia itaq; virtute orat, vt merita pro peccatis flagella iracundiæ, Deus a nobis auertat. Lectio proponit nobis mirabile exẽplũ, quantũ valeat oratio, sc. tantũ, vt quodã modo videatur mutare Dei sententiam. Dicit agrotanti Ezechiæ verax Propheta: Dispone domui tuæ; quia morieris tu, & nõ viues: tamẽ cõtra hanc Dei veram denunciationẽ, orationi cũ lachrymis, datur vita, reuocatur Dei sentẽtia, quin imo plus tribuitur, quam Ezechias petierat, dãtur anni 15. promittitur victoria de

ria de Assyriis, & securitas vrbi Hyerosolimorum. Sic mutata est sentẽtia pronũciata in Niniuitas. Sic etiã loquitur Dominus per Jerem. repẽte loquar aduersus gentẽ & aduersus regnũ, vt eradicem, & destruã, & dissperdã illud. Si pœnitentiã egerit gẽs illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eã; agã & ego pœnitentiã super malo quod cogitaui vt facerem ei. Et quomodo exauit Ezechias? Orauit cũ lachrymis, fletu magno, cõuersus ad parietẽ, in secreto cordis, nõ in conspectu hominũ, de profundo cordis Verba quæ dixit de viis suis bonis, nõ erãt verba se iactãtis; sed verba amoris quibus se inflãmabat & in spẽ erigebat, quam prõptè vero Deus exaudiuerit orationẽ Ezechiæ, clariꝰ quã ista nostra lectione exponitur, 4 Reg. 20. quo loco ita scriptũ est. Fleuit Ezechias fletu magno: & priusquã egrederetur Esaias mediã partẽ atrij, factus est sermo Domini ad eũ dices: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei, hæc dicit dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationẽ tuã, vidi lachrymã tuã, & ecce sanaui te. Et ad istud exẽplũ accõmodate repetit graduale. Iacta in Dom. cogitatũ tuũ, & ipse te enutriet. In lectione erat Ezechias pro se egroto; in Euãg Centurio pro puero suo egroto. ibi vir de populo Dei, hic, alieni gena. Ibi S. habens cõscientiã bonã hic qui profitetur indignitatẽ suã. Domine nõ sũ dignus vt intres sub tectũ meũ ibi potissimũ cõmẽdatur spes: Ezechias enim cõtra spẽ ablatã a Propheta sperauit in domino, hic potissimũ cõmendatur fides, vtrobiq; vero, humilitas. Ibi contra parietẽ flentis fletu magno cũ lachrymis; hic, publice profitentis suam indignitatẽ. Istorum itaq; duorũ exẽplo admonitus is qui se offert Deo in sacrificio, ad te, inquit, Domine leuaui animã meam, per mei ad te cõuersionẽ, anima, quæ mouetur affectibus, cũ cõuertit sed ad ea quæ sursum sunt, dicitur se leuare, cũ vero ad ea quæ deorsũ, dicitur se deijcere.

Deus

Deus meus in te confido. Confidentia robur ſpei eſt, in quam ſpes ipſa tandem increſcit. Non erubeſcam, quia prouentu confidentiæ meæ non fraudabor. Cum enim Deus iis qui puſillo ſunt animo frequenter vltrò occurrat: qua ratione deerit ſperantibus; cum ſpes & confidentia, diuinæ gratiæ obtinendæ magna ſint cauſa? vt latius declarat Bernardus. Etenim vniuerſi qui te expectant non confundentur. Verba ſunt fiduciæ, quæ confirmat Eccleſiaſticus cum dicit: Reſpicite filij nationes hominum. quis ſperauit in Deo, & confuſus eſt! Communio opportunè actioni cui occupatur, dicit: Acceptabis ſacrificium Iuſtitiæ, oblationes & holocauſta ſuper altare tuum. Sacrificium iuſtitiæ eſt ipſe Chriſtus; oblationes ſunt omnia exteriora noſtra; holocauſta totus homo acceptantur ſuper altare Dei, quod eſt Chriſtus, ad ipſum enim omnes oblationes referuntur.

Ser. 9. in pſal. 90. Cap. 2.

MISSA.

Statio ad ſanctum Georgium.

INTROITVS.

DVM clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi: & humiliauit eos, qui eſt ante ſęcula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.

Pſal. Exaudi, Deus, orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende mihi & exaudi me.

Verſ. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

Oratio.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris; preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice: & flagella tuæ iracũdiæ, quę pro peccatis noſtris meremur, auerte. Per Dominum noſtrum.

FAc nos, quæſumus Domine, ſalutis noſtræ cauſas, & deuotis ſemper frequentare obſequijs, & deuotius recolere, principaliter inchoatas. Per Dominum noſtrum.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem: & introiuit ad eum Iſaias filius Amos Propheta, & dixit ei. Hęc dicit Dominus. Diſpone domui tuæ: quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obſecro, Domine, memento, quęſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis, fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factũ eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens: Vade, & dic Ezechiæ. Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce, ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos; & de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam: Ait Dominus omnipotens.

Graduale. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.

Verſ. Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi.

Sequen-

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Cap. 8. IN illo tempore: Cum introiſſet Ieſus Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogãs eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Ieſus. Ego veniam: & curabo eum. Et reſpondens Centurio, ait: Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum ſub poteſtate cõſtitutus, habẽs ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit: & alio, veni, & venit: & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Audiẽs autẽ Ieſus, miratus eſt: & ſequentibus ſe dixit: Amen dico vobis: non inueni tantam fidem in Iſraël. Dico autem vobis quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: Ibi erit fletus & ſtridor dentium, Et dixit Ieſus Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. & ſanatus eſt puer in illa hora.

Offertorium. Ad te, Domine, leuaui animam meam: Deus meus, in te confido, non erubeſcam neque irrideant me inimici mei: Etenim vniuerſi qui te expectant, non confundentur.

Verſ. 1. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus Saluator meus, & te ſuſtinui tota die.

Verſ. 2. Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego.

Secreta.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus, Domine, quęsumus, intende placatus: vt & deuotioni nostræ proficiant, & saluti. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

AEterne Deus: Quoniam ista festa remeãt, quibus nostræ mortalitati procuratur immortale commercium, ac temporali vitæ subrogatur æternitas, & de peccati pœna peccata mundantur, mitisque modis conficitur, de perditione saluatio: vt status conditionis humanæ qui per fœlicitatis insolentiam venit ad tristitiam; humilis & modestus ad æterna gaudia redeat per mœrorem. Per Christum Dominum.

Communio. Acceptabis sacrificium Iustitiæ, oblationes, & holocausta super altare tuum Domine.

Post-Communio.

COelestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, vt hoc idem nobis & Sacramenti causa sit, & salutis. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

PArce, Domine, parce populo tuo: vt dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Benedicamus Domino & Deo gratias.

Ad Benedictionem. *Conclusio ordinaria B. Aug. in sermonibus.*

COnuersi ad Dominum Deum patrem omnipotentem, puro corde et quantũ potest patuitas nostras maximas atque vberes gratias agamus;

agamus; precantes toto animo ſingularem mã-ſuetudinem eius, vt preces noſtras in beneplacito ſuo exaudire dignetur: Inimicum quoque à noſtris actibus ac cogitationibus ſua virtute expellat; nobis multiplicet fidem, mentem gubernet, ſpiritales cogitationes concedat, & ad beatitudinem ſuam perducat: Per Ieſum Chriſtum filium ſuum Dominum noſtrum, qui cum eo viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum. *Amen.*

FERIA SEXTA POST CINERES.

De Ieiunio Quadrageſimæ, qua re differat à cæteris ieiunijs.

QVIA *dies hodiernus nullam habet peculiarem hiſtoriam: hic auſpicabimur hiſtoriam ieiunij Quadrageſimalis, quod eſt omnium ieiuniorum Eccleſiaſticorũ primum, atque omnium maximè ſolemne, & quo nulla retro Eccleſia Chriſtiana vllo vnquam aut tempore caruit aut loco. De quo ſic Baſilius. Nulla eſt inſula, nulla terra continens, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non ſit auditum ieiunij edictum. Quin & exercitus & viatores, & nautæ, & negotiatores pariter audiunt edictum, & ſummo gaudio excipiunt. Ne quis igitur ſe excludat à numero ieiunantium in quo omne hominum genus, omnis ætas omnes dignitatum formæ cenſentur. Beatus Auguſtinus. Hi ſunt quadraginta dies ſacratiſſimi toto orbe terrarum, quos propinquãte Paſcha, vniuer-*

Hom. 2. de ieiunio.

Ser. 77. de diuerſis.

vniuersus mundus quem Deus in Christo recõciliat sibi, prædicanda deuotione concelebrat. Pertinent vero ad huius rei explicationem. Primum, quale sit hoc ieiunium & in quo differat à cæteris ieiuniis; Deinde, quanta sit huius ieiunij authoritas. Tertio, quæ sint mysteria huius ieiunij Quadragesimalis. Quarto, quis sit eius finis. Quinto, quænam requirat Ecclesia ad huius ieiunij perfectionem. Postremo, quosnam habeat Ecclesia ritus peculiares tempore Quadragesimæ in officio publico. E quibus sex capitibus, hic a nobis explicabitur quale sit hoc ieiuniũ, & in quo differat à cæteris ieiuniis. Hoc ieiunium Quadragesimæ à cæteris ieiuniis Ecclesiasticis differt tempore, & hoc tripliciter. Cætera enim ieiunia vel sunt vnius diei, vt pote ieiunia vigiliarum, feriæ sextæ, & Sabbathi, vel trium, vt ieiunium quatuor temporum & Rogationum: Istud vero ieiunium est quadraginta dierum; vnde etiam vocatur ieiunium Quadragesimale. Et hæc est prima differentia temporis. Altera est, quod hoc ieiunium celebratur non quolibet anni tempore, sed illo solummodo quod proximè præcedit Pascha. Tertia in eo versatur quod cæteris ieiuniis singulorum dierum, ieiunia soluantur hora nona: Hoc vero ieiunium Quadragesimæ non soluitur ante vesperam. Quæ singula videnda sunt breuiter. Quod dicitur ieiunari quadraginta diebus, non videtur satis expeditum. Nam a feria quarta cinerum vsque ad Pascha quod totum tempus pertinet ad ieiunium Quadragesimæ, sunt dies sex & quadraginta; & sex Dominicæ quæ incidunt in illud tempus, non videntur ita posse accipi vt non etiam pertineant ad ieiunium. Nam & iis diebus abstinemus ab omni cibo vetito per ieiunium Quadragesimæ. Respondeo, licet verum sit quod dicit

Damas-

Damascenus, duplex esse ieiunium. Alterum quod producitur a vespera in vesperam in παντελεῖ ἀοιτίᾳ *in omnimoda abstinentia, quod est plenum & perfectum ieiunium; Alterum quod consistit in* τινῶν βρωμάτων ἀποχῇ *in aliquorum ciborum abstinentia, atque ea ratione pertineant sex Dominicæ ad ieiunium Factum tamen est propter duos antiquissimos canones, vnum de ieiunio Quadragesimæ, alterum de non ieiunando die Dominico, vt hoc temperamento quo nunc vtimur, vtrique canoni Ecclesia satisfaceret. Qua in re hoc ostendit Ecclesia, maioris fuisse semper dignitatis canonem de ieiunio quadraginta dierum, quam esset alter canon de Dominica. Nam & Dominica ieiunamus propter Quadragesimam. tamen quia hoc non facimus plene, propter canonem de non ieiunando die Dominico: Ecclesia vult nos plene satisfacere canoni de Quadragesima. quod fit per quattuor dies qui precedunt Dominicã primam Quadragesimæ. Atque hæc est illa ratio, cur, vt scribit Zozomenus, Illyry qui ad Occidentem siti sunt, nec non vniuersa Lybia & Ægyptus cum Palestinis solas habeant sex septimanas in ieiunio: Isti enim imperfectum ieiunium Dominicarum, imputant ieiunio. Rursum, quòd Constantinopoli & per nationes circumiacentes vsque ad Phœnices sit Quadragesima septem, alibi octo hebdomadarum: Id ita varie accidebat propter Dominicas & Sabbatha, quibus per ea loca non ieiunatur. Quidquid vero legitur de consuetudinibus minoris ieiunij quã dierum quadraginta; id vniuersum vel inter malas consuetudines reputari est necesse (repugnat enim canoni Apostolico, & nomini ipsi suo) vel etiam accipienda sunt ea consuetudines, vt fit vulgo nostris moribus, quibus illi ieiunare Quadragesimam di-*

cunt

cuntur qui in ſcholis excuſantur a ieiunio feriæ tertiæ & quintæ. Quæ ratio (ni fallor) non eſt inepta. nam ſi rectè cogito, ſic videor mihi colligere ex veterum ſcriptis, vocaſſe illos ieiunium Quadrageſimæ omne ieiunium quod eſſet in ſuo genere arctiſſimum, etiamſi non haberet dies quadraginta. B. Auguſtinus, Eccleſia præcipuam obſeruationem ieiuniorum Quadrageſimam vocat Confirmat idem Caſſianus qui collat 21. cap. 28 cum explicaſſet quod in ieiunio Paſchali eſſent dies 36 & ſemis, atque ea ratione diceret nos ſoluere decimam Deo: poſtea quærit, qua occaſione iſti dies 36. & ſemis inuenerunt nomen Quadrageſimæ; reſpondet autem hiſce verbis. Tempus hoc quo anniuerſariæ decimæ Deò triginta & ſex ſemis ieiuniis offeruntur, Quadrageſimæ nomen accepit, quod fortaſſis vel propter hoc viſum ſit hoc vocabulo debere cenſeri quòd Moyſes vel Helias, vel ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus quadraginta diebus ieiunaſſe traduntur Præterea B. Ambroſius reprehendit eos qui priuato conſilio, contempta authoritate Quadrageſimæ ieiunãt quinquageſimam. Et alio loco, licet incipiat Quadrageſimam a Dominica prima Quadrageſimæ; ſic tamen loquitur de hac Quadrageſima. Conſidera: Quadrageſima totis præter Sabbathum & Dominicam ieiunatur diebus. Hoc ieiunium Domini Paſcha includit. Ex quo loco conſtat Ambroſium vocare Quadrageſimam etiamſi toti dies quadraginta non ſint in ieiunio. Siue itaque ieiunium incipiat a quinquageſima, vt vult Athanaſius, Petrus martyr, Patriarcha Hieroſolymitanus, Baſilius, Anaſtaſius Antiochenus, imo ipſe quoque conſtitutiones Apoſtolicæ; ſiue a Sexageſima, vt eandem ex quorundam ſententia exordiendam exiſtimat S. Dorotheus; Siue a die cinerũ,

Q. ſuper Geneſim cap. 169.

Tom. 3. ſer. 34. de Quadrag. ſ.

De Helia & ieiunio cap. 10.

sine à Dominica prima Quadrageſimæ: Omnibus iſtis conſuetudinibus nihil quæritur aliud quam ieiunium quadraginta dierum; Et tot tam diuerſi temporis ieiunia, vocãtur Quadrageſimalia. Quod vero ſecundo loco dicebatur hoc ieiunium incidere in ver, & tempora proxima Paſchati, ea de re poſt videbimus.

Poſtremum in hac differentia temporis erat illud, quòd olim cætera ieiunia ſoluerentur hora nona; iſtud vero non liceret ſoluere ante veſperam. Qua de re ſic ſcribit Micrologus: In hoc Quadrageſimale ieiunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus; Nec iuxta canones quadrageſimaliter ieiunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur. Unde & Miſſa in illis diebus non ad ſextam ſed ad nonam merito celebratur. Eſt enim Eccleſiaſtica conſuetudo, vt ad nonam reficiamur cum ad ſextam Miſſam celebramus: ad veſperã autẽ, cum ad nonã ſacrificamus. Et quidẽ de nona alibi diximus multa: De veſpera dicendũ hic eſt aliquid. In lege veteri ſic iubet Dom. De veſpera ad veſperã affligetis animas Cap 49.
veſtras Itẽ per die affligetis animas veſtras Et præter legẽ Domini, exempla quoque in vetere ſcriptura multa in eam ſententiã occurrunt. Iudicũ 20. Omnes filij Iſrael venerunt in domũ Dei & ſedentes flebant coram Domino, ieiunauerunt q; die illo vſque ad veſperam. Et alibi: Apprehendens autem Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omnes q; viri qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vſque ad veſperam, ſuper Saul & ſuper Ionatham filium eius, & ſuper populum Domini. Et infra rurſum: Cum veniſſet vniuerſa multitudo cibum capere cũ Dauid, claro adhuc die, iurauit Dauid dicens: Hæc Leuit. 16.

facias

faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante Solis occasum gustauero panem vel aliud quidquam. Cum igitur hæc esset ratio ieiunandi exactissima in lege vetere: omnino credi oportet, eo genere ieiunij vsos fuisse Apostolos, homines Iudæos, in hoc suo ieiunio Quadragesimali. Quin post Christi ascensionem constans fuit consuetudo ieiunandi vsque ad vesperam. Quæ res infinitis exemplis Monachorum, & Sanctorum probari facile potest: verum nō hic aliud quæritur a nobis quam de ieiunio Quadragesimæ. Qua de re sic legitur in concilio Cabilonensi. Solent plures qui se ieiunare putant, in Quadragesima mox vt signum audiuerint, ad horam nonam manducare: qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas & auditis Missarum solemnibus & vespertinis officiis, & largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si quis verò constrictus fuerit vt ad Missam venire non valeat: æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium soluat. Morem ieiunandi in Quadragesima vsque ad vesperam, probant Basilius homil. 1. de laudibus ieiunij. Augustinus serm. 56. de tempore. Ambros. serm. 33. Chrysost. homil. 10. in Genes. Erat igitur illa consuetudo in Quadragesima, vt hora nona, hoc est, nostro more, hora tertia post meridiem, inciperent fieri Missæ, & post Missas officium vespertinum, ac deinde solueretur ieiunium. Cui legi nostri mores fraudem faciunt. Ita enim dicimus Missas, vt vna cum vespertinali officio quod illis in Quadragesima continuo recte subiungimus, finiantur hora sexta, quæ respondet nostræ duodecimæ seu meridiei; & tunc soluimus ieiunium. Sed cōcilio Cabilonensi non probatur hæc nostra cōsuetudo,

De consec. dist. 1. ca. Solent.

quod vult obseruari non solum officium, sed maximè
Ser. 1. de Quadr. *horam vespertinam. Scribit quoque hac de re sic Bernardus. Hactenus vsque ad nonam ieiunauimus soli, nunc vsque ad vesperam ieiunant nobiscum vniuersi; Reges & Principes, clerus & populus, nobiles & ignobiles, simul in vnum diues & pauper. Atque hac de prima differentia, nimirum temporis, qua differt hoc ieiunium à cæteris totius anni statis ieiunijs. Altera differentia consistit in arctiore ciborum abstinentia. Hieronymus ad Eustochium. Ieiunium*
Epist. 22. *totius anni æquale est excepta Quadragesima, in*
Epist. 7. *qua conceditur districtius viuere. Idem ad Latã, de institutione filiæ, prohibens in tenella ætate onera abstinentiæ; In Quadragesima tamen (inquit) continentiæ vela pandenda sunt, & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus. Et idem rursus*
Epist. 15. *ad Marcellam sic scribit de Virgine Asella. Cùm per omnem annum iugi ieiunio pascereturr, biduo triduoq; sic permanens: tum vero in Quadragesima nauigij sui vela tendebat, omnes pene hebdomadas vultu lætante coniungens, &, quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum, Deo autẽ præstanto possibile est, ita ad quinquagenariam perueniet ætatem, vt non doleret stomachum, non viscerum cruciaretur iniuria. Scribit quoque B. Aug-*
In Epist. ad Casulanũ, 86. post med. *stinus quendã totos 40. dies absque vllo omnino cibo ieiunium permãsisse. Per Quadragesimã itaq; arctissima erat disciplina ieiunij, nẽpe vt & parcius cibus sumeretur, & vt ab eo multa genera ciborũ exciperentur; eratq; tota Quadragesima qualis est postrema eius hebdomada, quæ vocatur sancta, qua nõnulli abstinent ab omni esu animalium, cõtenti solis herbis & fructibus terræ. Vini quoque per totã Quadragesimam tanta erat abstinentia, vt homines guloſi*

diuersi

diuersos nouos liquores, atque eos delicatos, sibi componendos potius existimarent, quam vt vino per Quadragesimam vterentur. Quod reprehendit beatus Augustinus. Eadem enim fuit per Quadragesimam lex vini & carnis, vt constat ex patribus, tam Græcis, a Chrysostomo, b Theodoreto, c Theoophilo, d Basilio, quam Latinis, e Augustino, f. Hieronymo, g. Leone Magno. Nobis extanta, tam religiosa disciplina, sola fere remansit obseruatio can. 56. sextæ Synod. Accepimus (inquit) in Armeniarum regione & in aliis locis, in Sabbathis & Dominicis sanctæ Quadragesimæ, quosdam oua & caseum comedere. Visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia quæ est in vniuerso orbe terrarum, vnum ordinem sequens, ieiuninm perficiat, & abstineat ab ouis & caseo, quæ quidem sunt fructus & fœtus eorum a quibus abstinemus. Si autem hoc non obseruauerint: si sunt clerici, deponantur: si laici, segregentur. Differt quoque hoc ieiunium Quadragesimæ à cæteris ieiuniis arctiore obseruatione earum rerum quæ ieiunio sunt connexa, qualia sunt oratio, eleemosyna, humiliatio animæ per corporales afflictiones. Eadem enim erat olim religio Quadragesimæ, qualis erat pœnitentia eorum qui solemniter eam faciebant, nulla re diuersa, nisi quod illa publicè, ista fieret priuatim, illa ob crimina nota Deo & aliquando hominibus, ista ob crimina nota Deo & pœnitenti.

a ser. 1 de ieiunio.
b in epitome diuinorum decretorũ cap vlt. c lib. 3. puscholi.
d hom. de laudibus ieiunij.
e ser. 56. de ieiunio fl 2. contra Iouin.
f ser. 9. de Quadrages.
g ser. 37. de temp.

EXPLICATIO OFFICII.

INITIO *proponitur nobis psalmus cantici qui fuit cantatus in dedicatione domus Dauid, qui est 29. Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, qui, inter cateros sensus, etiam illis competit qui è morte peccati per Dei gratiam translati sunt ad iustitiam, quæ est resurrectio prima. Cui itaque conceditur ista prima resurrectio, dicit Domino: Exaltabo te Domine, id est altitudinem miserationum tuarum, vt potero confitebor & prædicabo; quoniam suscepisti me, omnibus modis præueniendo, adiuuando, subsequendo, & (quod spero) consummando; Nec delectasti inimicos meos. Nouimus qui sunt inimici nostri, & cum quibus est nobis collectatio; non delectasti eos ex me, ex mea cum eis damnationis communione. Audiuit Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adiutor meus curando superbiam, & reparando iustitiam perditam. Collecta commendat inchoationem huius ieiunij Quadragesimalis, vt quod facit corpus externo ieiunio, id valeat ad effectum interioris hominis. Et hanc collectam clarissime explicat lectio subsequens Isaiæ Prophetæ. Iudæi superbiebant propter ieiunium, dicebant se gentem quæ iustitiam fecit, & quæ iudicium Dei non dereliquit; quinimo rogant Deum iudicia iustitiæ, nempe retributionem iustitiæ, & appropinquare Deo volunt. Et veluti accusantes Deum de non reddito iudicio iustitiæ suæ; sic cum eo expostulant, Quare ieiunauimus, & non aspexisti? Humiliauimus animas nostras, & nescisti? Huic inani iactantiæ non respondet*

Deus

Deus per Prophetam, quomodo ſpiritus erroris per hæreticos: Nolite amplius ieiunare; abſtinentia cibi eſt doctrina damoniorũ: ſed contra reſpõdet Propheta ſicut habet Collecta, quod corporaliter exhibetis, id mentibus etiã ſinceris exercere debebatis. inutiliter ventri eſca ſubtrahitur, ſi mens a vitiis non vult abſtinere. Ecce, ieiunatis, ſed toto tempore ieiunij ſequimini vetera veſtra deſideria, & voluntatem non meam ſed veſtram Ieiunate, ſed non ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter, id eſt a vobis excitatus dum opprimitis miſeros. Diſſoluet colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes; id eſt chartas obligatorias & fœneratorias diſrumpite, & ſic dimittite confractos liberos, & omne onus diſrumpe, & præterea fac etiam aliquid amplius, da eleemoſynam, frange eſurienti panem tuum. Iſte apparatus externus ieiunij per diem (id eſt in publico, ad oſtentationem) affligere hominem animam ſuam, contorquere quaſi circulum caput ſuum. ſaccum & cinerem ſternere; iſtud non eſt ieiunium & dies acceptabilis Domino. Interiora enim debent exterioribus reſpondere: quod vos minime facitis. Graduale conſonat pſalmo cantici in dedicatione domus Dauid, qui nobis propoſitus eſt in Introitu. Optat miſer, ſtans ad gradus domus ſanctæ; vnam petij a Domino, hanc requiram, vt habitem in domo Domini. Et quare ſic ardenter hoc petis? quid actum in illa domo? vt videam voluptatem ſeu delectationem Domini, & protegar à templo ſancto eius. Templum ſuum me protegat, ero templum eius, & protegar ab eo. Sequitur tractus ordinarius omnium feriarum ſecundæ, Quartæ & ſextæ per Quadrageſimam, continens deprecationem pœnitentis. Euangelium proponit doctrinam charitatis, de qua egerat

Isaias precedente lectione: Et preterea docet non esse sectandam famam bonorum operum, sed contra, sinceris mentibus esse exercendam observantiam quam corporaliter exhibemus. Quod, sicut Isaias docuerat in tertio: sic Euangelium docet in altero genere bonorum operum in eleemosyna. Et quidem recte dixerat nostra Collecta, sinceris mentibus esse exercendam observantiam quam corporaliter exhibemus, docens iis, verbis, id quod foris videtur in bono Christiano nihil esse aliud quam nudam exhibitionem continuæ exercitationis, in qua sincera mens occupatur. In Offertorio, Is qui disponit se ad perfectionem charitatis, laudatam in Euangelio, qua iubemur diligere inimicos, benefacere iis qui oderunt nos, orare pro persecutoribus, qui cupit purgari interiorem oculum cordis sui, vt in operibus suis nihil quærat nisi patrem qui videt in abscondito: rectè sic orat, Domine viuifica me secundum eloquium tuum, vt sciam testimonia tua. Communio habet versiculum ex psalmo secundo, qui licet ad literam pertineat ad reges & principes sæculi: recte nihilominus conuenit pœnitentibus, qui debent seruire Domino in timore propter peccata præterita, exultare Deo cum tremore, exultare & gaudere propter donũ pœnitentiæ quæ fit in tremore qui non leuiter, sed seriò, debent apprehendere disciplinam pœnitentiæ, ne pereant de via iusta. Magna pœna iis est formidanda qui aliquid dulcedinis iustitiæ perceperunt. qui enim perit de via iustitiæ, cum magna miseria per vias iniquitatis errabit. Quæ quidem Dei ira a carnalibus minus curatur: ab iis vero qui iustitiæ suauitatem in vera Dei dilectione gustauerunt, præ omnibus supplicijs

quam

quam maxime formidatur.

MISSA FERIÆ SEXTÆ POST CINERES.

INTROITVS.

AVDIVIT Dominus, & misertus est mei; Dominus factus est adiutor meus.

Psal. Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

Vers. Gloria Patri & Filio.

Oratio.

INchoata ieiunia, quæsumus Domine, benigno fauore prosequere, vt obseruantiam quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam synceris exercere valeamus. Per Dominum.

Alia.

EXaudi quæsumus Domine gemitum populi supplicantis, vt qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium sed misericordiam consequi mereamur.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus Deus: Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens quæ iustitiam fecerit, *Cap. 58.*

fecerit,& quæ iudicium Dei ſui non dereliquerit. Rogant me iudicia iuſtitiæ:& appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti:humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra:& omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi;per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum; & ſaccum & cinerem ſternere? Nunquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? Diſſolue colligationes impietatis: ſolue faſciculos deprimentes. Dimitte eos qui confracti ſunt, liberos; & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eum; & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum: & ſanitas tua citius orietur: & anteibit faciem tuam iuſtitia tua: & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum. Quia miſericors ſum, Dominus Deus tuus.

Graduale. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitẽ in domo Domini in æternum.

Verſ. Vt videam voluptatẽ Domini, & protegar à templo ſancto eius.

Tractus. Domine, non ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Verſ.

Verſ. Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Verſ. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore. Dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos: vt ſitis filij patris veſtri qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Si enim diligitis eos qui vos diligunt: quam mercedem habebitis? nõne & publicani hoc faciunt? Et, ſi ſalutaueritis fratres veſtros tantum: quid amplius facitis? Nõne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Cum ergo facis eleemoſynam; noli tuba canere ante te, ſicut hypocritę faciunt in Synagogis, & in vicis, vt honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Te autem faciente eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua: vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito, Et pater tuus *Cap. 5. & 6.*

tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.

Offertorium. Domine viuifica me ſecũdum eloquium tuum, vt ſciam teſtimonia tua.

Verſ 1. Fac cum ſeruo tuo Domine ſecũdum magnam miſericordiam tuam; & ne auferas de ore meo verbum veritatis.

Verſ. 2. Seruus tuus ſum ego, da mihi intellectum Domine, vt diſcam mandata tua; & voluntaria oris mei fac mihi in beneplacito.

Secreta.

SAcrificium Domine obſeruantiæ Quadrageſimalis quod offerimus, pręſta quęſumus, vt tibi & mentes noſtras reddat acceptas, & continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem. Per Dominum, &c.

Præfatio.

AEterne Deus. Et maieſtatem tuam ſuppliciter deprecati, vt intelligentię nobis ſpiritum benignus infundas, quo vel ipſi rationabiliter agenda cernamus, vel eis qui inutilia ſentiunt indicemus cernenda; nec ſtudia noſtra ſectemur, ſed offerentibus meliora ſubdamur. Quoniam apud te ſapientia eſt, quæ non ſuis inhæret vitijs, ſed vndecunque prolatam diligit veritatem. Per Chriſtum Dominum.

Communio. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam ne pereatis de via iuſta.

Poſt-Communio.

SPiritum nobis Domine tuæ charitatis infunde: vt quos vno pane cœleſti ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per Domi-

Dominum noſtrum.

Super populum.

TVere Domine populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda: quia nulla ei nocebit aduerſitas, ſi nulla ei dominetur iniquitas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, &c.

Benedictio.

BEnedicat nos Deus Pater, cuſtodiat nos Ieſus Chriſtus, illuminet nos Spiritus ſanctus, omnibus diebus vitæ noſtræ: Confirmet nos virtus Chriſti, intercedentibus ſanctis ſuis, indulgeat nobis Dominus vniuerſa delicta noſtra. *Amen.*

SABBATHO POST CINERES.

De Ieiunij Quadrageſimalis authoritate, qua origine, quibus legibus, qua pœna ſit ſancitum.

EXPLICAVIMVS *feria præcedente, quare differat ieiunium Quadrageſimæ a cæteris ieiuniis. Proximum eſt vt explicemus huius ieiunij authoritatem; qua origine ſit ſuſceptum, quibus legibus, qua pœna ſit ſancitum. Ieiunium imperatũ fuit in paradiſo ante peccatum. ibi enim prohibitus fuit eſus cibi boni, cibi pulchri, cibi delicati. Sed vt ieiunaretur 40. diebus, ea de re nulla vetus lex ante Chriſtum reperitur. Ieiunauit Moſes quadraginta diebus; Fuit cum Domino Moſes quadraginta dies & quadraginta noctes,*

noctes, panem non comedit & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Et Helias fu-
Exod. 34
3. Reg. 19 giens Iesabel, ambulauit per desertum vsque ad mon-
tem Horeb, & ambulauit in fortitudine cibi quem comederat, panis subcinericij; & aqua quam biberat,
Matt. 4. quadraginta diebus & noctibus. Postremo Christus Dominus ieiunauit quadraginta diebus & quadra-
ginta noctibus. Et omnia ista ieiunia coniuncta fue-
runt diuinarum rerum maximis negotiis. Moses sic secundo accepit legem. Helias vidit illam mirabi-
lem visionem Domini. Dominus transijt: & Spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens pe-
tras. Non in Spiritu Dominus. Et post spiritum com-
motio: nõ in commotione Dominus. Et post cõmotio-
nem, ignis: Non in igne Dominus. Et post ignem, si-
bilus aurę tenuis: & ibi Dominus. Et post istam vi-
sionem, accepit Helias potestatem vngendi Asahel in regem super Syriam, & Iehu regem super Israël, Et Elizaum prophetam pro se. Dominus quoque ab
isto ieiunio auspicatus est omne opus salutis nostrę, mysterium prædicationis suę. Præterea Niniuitę ad
prædicationem Ionę ieiunauerunt quadraginta die-
bus, primis tribus ita exactè vt scribitur apud Ionam, cæteris diebus eo modo vt ad solam corporis neces-
sitatem relaxarent seueritatem. Cum enim prædicasset Ionas, quadraginta dies, & Nineue subuertetur: non
est verisimile eos solis primis diebus fuisse sollicitos de re tanta fide a se credita, inde neglexisse cæteros dies;
eo magis metuendos quo propius accedebant ad diem
Q. super Genesim cap. 169. comminatum. Qua de re sic beatus Augustinus. Unde & in Hebræo de Niniuitis apud Ionam Pro-
phetam scriptum perhibent; Quadraginta dies, & Nineue euertetur: vt per tot dies accommodatos vi-
delicet humiliationi pœnitentium, intelligantur in
ieiuniis

ieiuniis ſua deſleniſſe peccata & impetraſſe miſericordiam Dei. Atque hæc quidem exempla forſan non fuiſſent habitura vim legis: ſi non etiam Chriſto in cœlos digreſſo, huinſcemodi ieiunium Apoſtoli in Eccleſiam Chriſti, & legibus & moribus ipſe ſuis introduxiſſent. Quod cum illi fecerunt: tum id eſt intellectum, in illis quæ oſtendimus tribus ieiunis fuiſſe nobis propoſitum non ſolum quod miraremur, ſed multo etiam magis quod imitari nos oporteret. Prima igitur authoritas huius ieiunij Quadrageſimalis eſt imitatio Chriſti. Ambroſius. Quia iſti ieiunādum negant: qua cauſa Chriſtus ieiunauerit aſtruāt, niſi vt nobis exemplo eſſet eius ieiunium. Et idem ſer. 36. Quadragenarius ieiunij numerus non ab hominibus conſtitutus ſed diuinitus conſecratus, nec terrena cogitatione inuentus, ſed cœleſti maieſtate præceptus eſt. Nec moueri hac in re eorum verbis nos oportet, qui dicunt, tam non poſſe nos imitari hoc, Chriſti ieiunium, quam non poſſumus eius miracula. Nam Chriſti hominis opera propoſita nobis ſunt ad exemplum & imitationem. Quidem plena ſunt omnia ſcripta Apoſtolorum, qui nobis nihil tam commendant frequenter atque illius exemplum, & hoc in iis rebus quæ nullam videntur recipere imitationem, vt ſunt eius paſſio, mors & reſurrectio. Dixit Dominus. In hoc cognoſcent omnes quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilexeritis inuicem, ſicut ego dilexi vos. Quod ſane Chriſti præceptum ex iſtorum ſermone non debuit admitti: Certum enim eſt nullum mortalium eam poſſe habere perfectam dilectionem proximi, quam habuit Dominus. Quod igitur dicitur de imitatione Chriſti, id accipiendum eſt, non vt præcise id faciamus quod fecit Chriſtus; & vt in noſtra imitatione nihil deſit ex iis circūſtantiis quæ fuerunt in actione

Epiſt. 85. contra Ianuar.

Ioan. 13.

in actione Christi; sic enim nemo imitatur Christũ: sed vt sic imitemur Christum sicut hoc docet eius sponsa Ecclesia Dei, quæ tradit quo pacto sit moriendum, sit resurgendum, sit nascendum, sit ieiunandũ, exemplo Christi. Beatus Augustinus docet dilucide quomodo imitandus sit Christus, nempe non iis in rebus quas fecit ab initio; in creatione in gubernatione mundi non in miraculis quæ fecit in carne. Non hoc dicit Dominus, Non eris discipulus meus nisi ambulaueris super mare, aut nisi suscitaueris mortuum quatriduanum. nec ad ipsa ergo miracula hortatur quæ ipse fecit & antequam esset homo; sed quid te hortatur vt imiteris? Quod non posset nisi factus homo. tolerare enim passiones nunquid posset nisi homo? mori & crucifigi & humiliari poßet, nisi homo? Atque hæc eo loco pluribus B Augustinus: Ex qua illius doctrina constat ieiunium Domini nobis propositum esse ad imitandum; quia & illud non posset, nisi factus homo. Comedere enim, a cibo abstinere, & deinde esurire, non poterat nisi homo. Fuisse vero Apostolos, & hoc ex Christi doctrina, authores huius ieiunij; & ante nostras hæreses qui negarent vix vlli extiterunt; & qui hoc affirmarent, omnibus sæculis toto orbe terrarum infiniti sunt reperti. Et quidem inter canones Apostolorũ can. 60. Episcopus & cæteri, inferiores clerici, vi non impediti valetudine, non ieiunant sanctam Quadragesimam, deponuntur, laici excommunicantur. Clemens Romanus Apostolicarum constitutionum lib. 5. cap. 12. dicit esse seruandum ieiunium Quadragesimæ; quod vitæ Christi & legis latæ recordationẽ continet. Scribit idem Ignatius epistola 8. Et Tertullianus: Ieiunium paschatis per illos dies quibus ablatus est sponsus, dicit esse solenne, constitutum scripturis fidei,

In præf. Psal. 90.

Contra Psychicos

fidei, & traditione maiorum. Petrus Chryſologus: Quod Quadrageſimam ieiunamus non eſt humana inuentio: authoritas eſt diuina, & eſt myſticum non præſumptum: nec de terreno vſu, ſed de cœleſtibus eſt ſecretis. Hieronymus: Nos (inquit) vnam Quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo, ieiunamus. Leo Magnus: Merito inquit à Sanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus ſancti maiora ſunt ordinata ieiunia, vt per cõmune conſortiũ crucis Chriſti, etiam nos aliquid in eo quod propter nos geſſit ageremus. Et alibi, de eodem ieiunio; Quod ergo dilectiſſimi omni tempore vnumquemque conuenit facere Chriſtianum; id nunc ſolicitius & deuotius eſt exequendum, vt Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum ieiunio impleatur, non ciborum parcitate tantummodo, ſed priuatione maximè vitiorum. B. Aug. Quadrageſima ieiuniorum habet authoritatem & in veteribus libris ex ieiunio Moyſi & Heliæ; & ex Euãgelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demoſtrans Euangelium non diſſentire à lege & Prophetis. In perſona quippe Moyſi, lex; in perſona Eliæ, Propheta accipiũtur: Inter quos in mõte glorioſus apparuit Dominus, vt euidentius emineret quod de illo dicit Apoſt. teſtimonium habens a lege & Prophetis. Verũ huius Apoſtolica originis nullum adferri poteſt ſolidius teſtimoniũ vniuerſali illo conſenſu omniũ omnino & temporum & locorum. Niſi enim vna cum religione Chriſtiana hic mos traditus extitiſſet: fieri nulla ratione poterat vt ſic ad omnes gentes ea conſuetudo tranſiret. Quin etiam leges Imperatoriæ de Quadrageſima ſic conſtituunt: Quadraginta diebus qui auſpicio ceremoniarum Paſchale tempus anticipant, omnis cognitio

ſerm. 11.

Ad Marcellam epiſt. 54.

ſer. 9. de Quadr.

ſer. 6 de Quadr. & ſer. 1.

Ad Ianuarium epiſt. 119

l. quadragiſta. C. de feriis.

inhibeatur criminalium quæstionum. A quo priuilegio excipiunt Honorius & Theodosius latrones, & maxime Isauros; in quorum quæstionibus nullum Quadragesimæ tempus, nec venerabilem Paschæ diē dicunt esse eximendum. Pertinent quoque ad authoritatem Quadragesimæ ea quæ passim leguntur in eius violatores. B. Augustinus. Rogo vos fratres charissimi & admoneo, vt in isto legitimo & sacratissimo tempore exceptis Dominicis diebus nullus prandere præsumat, nisi forte ille quem ieiunare infirmitas non permittit, quia aliis diebus ieiunare remedium est aut præmium; in Quadragesima non ieiunare peccatum est. Alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam: in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam. B. Ambrosius. Quisquis Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam, prænaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quod legem diuinitus pro salute sua datam, prandendo ipse rescindit. Et rursum: Sicut reliquo anno ieiunare præmium est; ita in Quadragesima non ieiunare, peccatum est. Illa enim voluntaria sunt ieiunia, ista necessaria, illa de arbitrio veniunt, ista de lege, ad illa inuitamur, ad ista compellimur. Et idem alibi: Quadragesimam in totum non obseruare, sacrilegium est: ex parte violare, peccatū est. Et apud Burchardum legūtur canones pœnitentiales contra violatores Quadragesimæ. Soluisti ieiunium in Quadragesima antequam vespertinum celebraretur officium; nisi propter infirmitatem sic feciſti, pro vnoquoque die tres in pane & aqua pœnitere debes. Et rursum in concilio Toletano: Etenim cum Quadragesimæ dies anni totius decimæ deputentur, quæ & in oblatione ieiunij Domino consecrantur, quibus etiam saluberrimè conditio humani

L. pen.

de temp. ser. 62.

ser. 34.

ser. 37.

tom. 3. conciliorū fol. 192.

generis

generis expiatur, dum à quatuor mundi partibus ad hanc homo religionem crediturus adducitur; & ex quatuor elementis formatus propter transgressionem decalogi quaterdecies conuenienter affligitur: illis qui ausu temerario hec omnia contemnunt, nec voracitatis ingluuiem frenant, & quod peius est, paschalia festa illicitorum esuum perceptione prophanant; ex hoc accerrimè interdicitur vt quisquis absque inenitabili necessitate atque fragilitate & euidenti languore seu etiam impossibilitate ætatis, diebus Quadragesimæ esum carnium præsumpserint attentare; non solum reus erit resurrectionis Dominicæ, verum etiam alienus ab eiusdem diei sancta communione, & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipsius anni tempore ab omni esu carnium abstineat gulam, qui sacris diebus abstinentiæ oblitus est disciplinam. Illi vero quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut necessitas arctat, non antè prohibita violare præsumant, quam a Sacerdote permissum recipiant.

DE EXPLICATIONE OFFICII.

IESTVD *Sabbathum habet peculiares collectas, Lectionem & Euangelium: reliqua eadem sunt cum feria sexta Collecta petit à Domino, vt nõ solum abstineamus à cibo, & sic ieiunemus, sed vt deuoto seruitio celebremus hoc solemne ieiunium quod animis corporibuq; curandis salubriter, est institutum. Erit igitur deuotum seruitium, si hoc quærimus in iudicio cui illud est deuotum, & cuius gratia est institutum.*

Quod vero dicitur cura corporis, uō est præcipuè intelligendū secundū Galenū, sed secūdum Apost. qui castigabat corpus suū, & in seruitutē illud redigebat. Quodnā vero sit illud deuotū seruitiū quo celebrari oporteat istud solenne ieiunū, explicatur lectione sequēte, quæ in textū prophetiæ cōmuto sermone cohæret lectioni duci præcedetis. In ieiunio vestro præter ea quæ superiore diesunt cōmemorata, prætereà id generaliter est curādū vt auferas de medio tui catenam, nempe peccatorū, de qua Petrus loquebatur ad Simonē. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse. Funibus enim peccatorū suorū quisque cōstringitur raro inuenitur anima quæ hāc grauissimā torquē non habeat collo suo circūdatā, ad terrena se opera deprimentē, vt nequaquā cælum sed terram adspiciat: quod & de Euangelica refertur muliere quam vinxerat Sathanas per annos decem & octo vt incuruata cœlestia non videret. Si ergo (ait) tuleris de medio tui hanc catenam, & huiusmodi vincula dissipaueris & desieris superbire, minans digitis & lingua; si non solum abstines ab his malis, sed etiam fecerimus ea quæ sequuntur, vt esurienti non (sicut supra) demus panem nostrum, sed animam nostram, vt eum in quibuscunq; possumus adiuuemus, & non quasi ex tristitia & necessitate, sed ex animo tribuamus, accipientes magis quam dantes beneficiū, hilarē enim datorem diligit Deus, vt animā esurientem siue afflictam non refocillemus ex parte, sed saturemus, & doleamus cum dolētibus, lugeamusq; cum lugētibus: Tunc orietur in tenebris lux tua, id est, ablatis peccati tenebris eris gratia illuminatus, & tenebræ tuæ erunt sicut Meridies. Mirabilis gratia pœnitentis, vt tenebræ eius conuertantur in lucem Meridianam, vt habitatorem habeat Deum qui impleat splendo-

ſpẽdoribus animam eius, & poſtremo det ei requiem aeternam. Explicat praterea iſta lectio aliis etiã verbis, gratiam pœnitentis, qui per opera bona emendat mala opera praterita, per ſimilitudinem horti irrigui, & fontis nunquam deficientis, per bonam adificationem & reſtaurationem rerũ collapſarũ. Deinde ſequitur in lectione huius prophetiæ de ſpirituali obſeruatione Sabbathi, ne faciamus ſeruile opus, & perdamus animæ libertatem. Qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati: Ne onus portemus in Sabbatho quale portabat ille qui dicit: Iniquitates meæ eleuatæ ſunt ſuper caput meum, quaſi onus graue aggrauatæ ſunt ſuper me. Ne iniquitas quæ ſedet ſuper talentũ plumbi, in nobis habeat poteſtatẽ: Ne nos voluptas corporis, & libido ſuccendant. Omnes enim adulterantes quaſi clibanus corda eorum: & diaboli iacula ignita ſunt, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. Præcipitur quoque nobis, vt arrepto aratro non reſpiciamus poſt tergũ: vt rectorũ altitudinẽ conſcendentes, nequaquã ad tollenda ſæculi veſtimenta velimus deſcẽdere: ſed vt audiamus cum Moyſe: Tu vero hic ſta meçũ, & ſedeamus cũ Domino, laſſi in via huius ſæculi ſuper puteũ Samaritanæ, cõuerſionẽ erraniũq; ſalutẽ ſitiẽtes: vt audiamus Apoſt. cõmonentem: State firmi, & immobiles: illiusq; ſemper ſentẽtiæ recordemur; Si ſpiritus poteſtatẽ habentis aſcenderit ſuper te, locũ tuũ ne dimiſeris: Qui ſic quieſcit in Sabbatho, & lauat inter innocẽtes manus ſuas, nec mouet pedes, vt ſuas faciat volũtates: iſte celebrat Sabbatha Domini delicata. Qui Sabbatiſmus iuxta Epiſtolam ad Hebræos, repromittitur nobis in cœleſtibus, & gloria præparatur, dum non facimus vias noſtras in Sabbatho, nec inuenitur volũtas noſtra, vt loquamur ſermonẽ: quòſcilicet nec opere, nec ſermone peccemus.

Zach. 5.

Oſee 1.

Pſal. 10.

Luc. 9. Matt. 24.

Exod 34. Ioan. 4.

1. Cor. 15 Col. ſſ. 1.

Eccl 10. 4 Pſal. 72.

Heb. 4.

Alioquin si hæc tantum prohibentur in Sabbatho, ergo in aliis sex diebus libertas nobis tribuitur delinquendi. Quod si stultum est credere. superest vt Sabbathum, quod interpretatur requies, omni tempore sanctificandum sit a fidelibus, dum nõ carnis, sed spiritus faciunt voluntatem Euangelium non laquitur nominatim de Quadragesima, totum nihilominus pertinet ad illud tempus. Quid enim est aliud nauicula discipulorum in medio mari, & Iesus stans in littore, nisi Dominus in cœlo, & Ecclesia in hoc sæculo? quid discipuli laborantes remigando, & ventus contrarius, nisi labores Ecclesiæ? Quid Dominus veniens quarta vigilia, Dominus ambulãs super aquas, Dominus compescens ventos, nisi Dominus veniens in nubibus ad iudicandum? Quid stupor & admiratio de Domino ambulante super aquas, & deinde plena eius cognitio, cum transfretarunt & applicuerunt nauim; nisi distinctio temporalis, & illius futuri sæculi? ad quod nos perducat qui est benedictus in sæcula. Amen.

MISSA.

INTROITVS *vt feria præcedente.*

Oratio.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & concede vt hoc solemne ieiuniũ quod animis corporibusque curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus. Per Dominum nostrum, &c.

Alia.

OBseruationis huius annua celebritate lætantes, quæsumus Domine, vt actibus

Qua-

Quadrageſimalibus inhærentes, plenis eius effectibus gaudeamus.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus Deus. Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris digitũ extendere, & loqui quod non prodeſt; cum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies. Et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit. Et eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum cuius non deficient aquæ. Et ędificabuntur in te deſerta ſæculorum, fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis. Et vocaberis ædificator ſepium, conuertẽs ſemitas in quietem. Si auerteris à Sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo, & vocaueris Sabbathum delicatũ, & ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum dum non facis vias tuas, & non inuenietur voluntas tua, vt loquaris ſermonem: tũc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinem terræ, & cibabo te hæreditati Iacob patris tui. Os enim Domini locutum eſt. *Cap. 58.*

Graduale vt feria prędente.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Marcum.

IN illo tempore. Cum ſero eſſet factum, erat nauis in medio mari, & Ieſus ſolus in terra. Et vidit diſcipulos ſuos laborantes in remigando; Erat enim ventus contrarius eis. Et circa *Cap. 6.*

quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulás ſuper mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem ſuper mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim eum viderunt, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit illis; Confidite: Ego ſum: Nolite timere. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Et plus magis intra ſe ſtupebant: Non enim intellexerunt de panibus. Erat enim cor illorum obcæcatum. Et cum transfretaſſent, venerunt in terram Geneſareth, & applicuerunt. Cumque egreſſi eſſent de naui, continuo cognouerunt eum. Et percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui ſe male habebant circumferre, vbi audiebant eum eſſe. Et quocunque introibat in vicos vel in villas aut in ciuitates: in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum vt vel fimbriam veſtimenti eius tangerent. Et quotquot tangebant eum, ſalui fiebant.

Offertorium, vt feria præc.

Secreta.

SVſcipe Domine ſacrificium, cuius te voluiſti dignanter immolatione placari: præſta quęſumus, vt huius operatione myſterij mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum. Per Dominum noſtrum, &c.

Alia.

PRæpara nos quæſumus Domine huius abſtinentiæ feſtiuis officijs, vt hęc ſacrificia veneranda, ſobrijs ſemper mentibus cele-

celebremus.

Præfatio.

AEterne Deus. Et maiestatem tuam suppliciter deprecari, vt mentem nostram tibi placitam benignus efficias, quę non tantum speciem bonitatis ostendat, sed iustitiæ fructibus illuminata clarescat, tuæque semper dedita maiestati, beneficia desiderata percipiat, qui necessarijs prosequi muneribus non omittis quos tuo cultui præstiteris conuenienter intentos. Per Christum Dominum, &c.

Communio vt feria precedente.

Post Communio.

Cœlestis vitæ munere vegetati, quæsumus Domine, vt quod est nobis in præsenti vita mysterium, fiat æternitatis auxilium, Per Dominum nostrum, &c.

Super populum.

ORATIO.

FIdeles tui Deus per tua dona firmentur, vt eadem & percipiendo requirant, & quærendo sine fine percipiant. Per Dominum nostrum, &c.

Alia.

DA populo tuo quæsumus Omnipotens Deus & æternę promissionis gaudia quęrere, & quæsita citius inuenire.

Benedictio.

COelesti benedictione benedicat nos diuina maiestas & vera deitas, Pater ✠ & Filius ✠ & Spiritus sanctus ✠ *Amen.*

Domine Deus Omnipotens tibi commendo hodie & in omni tempore, ànimam meam,

meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum, omnes cogitationes, affectiones, locutiones, actiones; omnia exteriora & interiora, sensum & intellectum, memoriam meam, fidem & credulitatem meam, & perseperantiam meam, in manus potentię tuæ, vt custodias ea diebus ac noctibus horis atque momentis.

DOMINICA PRIMA QVADRAGESIMÆ.

De mysterio Ieiunij Quadragesimalis quod continetur numero quadragenario.

IN *explicatione ieiunij Quadragesimalis, tertio loco dicebamus quæri de eius rei variis mysteriis. Mysterium vero id dicimus, quod præter eam formam quæ conspicitur, aliquid intra se continet occultum, quod intellectu percipitur. Ieiunamus quadraginta diebus; Verum quænam sit occulta ratio in isto numero quadragenario, id pauci intelligimus. Scimus numeros sua natura nihil habere virium aut significationis: Verum Deus, qui fecit omnia iustè, vtique in numeris proposuit nobis cogitandam certam aliquam proportionem seu iustitiam. quo in genere multa nobis proposuit exempla, cum id quærere debeamus in isto numero quadragenario. Quis enim sanæ mentis hoc sibi persuaserit, fortuitò accidisse vt*
Gen. 7. *Moses & Helias taliter in monte socij gloriæ Christi, vna cum Christo sic per quadraginta dies ieiunarent?*

rent? deinde cum legimus factam pluuiam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, Gen. 18.
vt deleretur per diluuium iniquitas terræ; per quadraginta dies conditum corpus mortuum patriarchæ Iacob vt non difflueret putredine; Exploratores miſſos a Moyſe in terram Chanaan poſt quadraginta Num. 13.
dies omni terra circuita reuerſos ad Moyſen & Aaron; & hanc proportionem numeri quadrenarij magis etiam expreſſam cap. ſequente, filij (inquit) veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadauera patrum in deſerto iuxta numerum quadraginta dierum quibus conſideraſtis terrã: Annus pro die imputabitur; Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltionem meam; Rurſum cũ in Deuteronomio explicat Moyſes cur Dominus duxerit populum per deſertum annis quadraginta, En (inquit) quadrageſimus annus eſt, vt recogites in corde tuo quia ſicut erudit filium ſuum homo, ſic Dominus Deus tuus erudiuit te, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, & ambules in viis eius, & timeas eum; Et paulo ante dixerat idem Moyſes feciſſe hoc Dominum per annos 40. vt affligeret atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrum cuſtodires mandata illius an non; Affixit te penuria, &c. cum contra Philiſtæos & Goliat procedetem per 40. dies, pugnat populus in valle Terebinthi, & non liberatur niſi per Dauid. Cum Niniuitis clamat Ionas: Adhuc 40. dies & Niniue ſubuertetur: Cum Ezechiel eximius Chryſol. ſer. 166.
Prophetarum 40 diebus iacens latere vno captiuitatem futuram dum præfigurat abſoluit; Cũ B Matheus licet reuera ſint plures, tamen in genealogia Domini non niſi 40. generationes cõmemorat: Quis

non

non credat mysterium esse in isto numero quadragenario? Ecce, inquit Chrysologus, Quadragesima ieiunium, quod deuotione solenni die crastino suscipit vniuersalis Ecclesia, multi putant abstinentiæ tantum studio vel nobis traditum vel pro nobis Dominum transegisse; nec altioris intelligentiæ continere mysterium. sed solummodo castigandis corporibus, resecandis vitiis, tẽperandis mentibus, hoc prouisum: Porro quadragenarius iste numerus tã sacratus esse a saculis, tam mysticus reperitur, vt semper in efficiẽdis rebus diuinis, & maximis Dei negociis explicãdis adhibitus lege inuiolabili prescribatur. Et deinde post multa exempla numeri quadragenarij, Sacratus (inquit) iste numerus suscipit iniquitates vt deleat, iniquitates vt absoluat ingreditur, vincula patitur vt relaxet. Hinc ergo est quod dominus author, a sæculis in hoc numero abscõditi sacramẽti intrat ipsũ numerũ dierũ 40 ieiunij, vt quod adũbrauerat in famulis, ipse per se, iam veritate facta, perficeret: firmaret tenera, inchoata suppleret, & quæ præceptis instituerat, roboraret exẽplo. Et paulo post: Mihi temerariũ, & vobis nõ necessariũ, causarum tales tantarúq; origines perscrutari. Vera deuotionis est fidelissimæ seruitutis est, quid fieri velit, nõ quare velit dominator, inquirere. Quæ postrema verba Chrysol. idcirco vera sũt, quòd sacrorũ mysteriorũ perfecta & absoluta cognitio obtineri à nobis nõ possit, nõ etiã quod pie & religiose quari non oportere rẽ eã arbitretur. Si enim hæc illius fuisset sententia: nec hoc ipse tot locis faceret: neq; toties B. Aug. qui sic alibi de isto numero quadrage-

quæst. 81. inter 83. *nario. Omnis sapiẽtiæ disciplina quæ ad homines eruditos pertinet, est creatorẽ creaturárq; dignoscere, & illũ colere, dominantẽ; istam subiectã fateri. Est autẽ creator, Deus; ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo*

Rom. 11.

omnia,

omnia, & ideo Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Creatura verò partim est inuisibilis, sicut anima, partim visibilis, sicut corpus. Inuisibili, ternarius numerus tribuitur, quare diligere Deũ tripliciter iubemur, ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: Corpori, quaternarius numerus propter euidẽtissimã naturã eius, id est, calidã & frigidã, humidã & siccam. Vniuersæ ergo creaturæ tribuitur septenarius. Quapropter omnis disciplina dignoscens & discernẽs creatorem atque creaturã, denario numero insumatur; quæ disciplina, quãdiu corporeis motibus temporaliter significatur, credendo constat, & rerũ gestarũ, venientiũ atque transeuntium authoritate, quasi lacte parvulos, nutrit: vt idoneos faciat conteplationi quæ non venit & transit, sed semper manet: in qua quisque narratis sibi rebus diuinitus tẽporaliter pro salute hominum gestis, siue gerendis quæ adhuc futura prædicantur, si permãserit in fide, & promissa sperauerit, & quæ diuina authoritas præcepit infatigabili charitate implere curauerit, agit vitam huius necessitatis & temporis quæ numero quadragenario commẽdatur. Quoniã denarius numerus qui totam insinuat disciplinã, quater ductus, id est numero qui corpori tribuitur multiplicatus (quia per motũ corporalis administratio geritur, qua dictum est fidem constare) quadragenarium numerum conficit. Ita impetrat etiam stabilem & nullius temporis indigentem sapientiã, quæ denario numero cõmendatur, vt ad quadraginta addantur decem, quia & partes æquales quadragenarij numeri simul ductæ, ad quinquaginta perueniunt. Partes autẽ æquales habet quadragenarius numerus primò quadraginta, in singulis, deinde viginti, in binis, decẽ in quaternis, 8. in quinis, 5. in octonis, quatuor in denis, duas in vicenis, vnum

Matt. 22. Deu. 6.

vnum ergo, & ano, & quatuor & quinque & octo & decem & viginti, simul ducta, efficiunt quinquaginta. Quapropter sicut Quadragenarius numerus aqualibus suis partibus computatis, parit amplius denarium numerum, & sit quinquagenarius: sic tempus fidei rerum pro salute nostra gestarum & geredarum, cum aquitate vitæ actum, impetrat intellectum stabilis Sapientiæ; vt non solum credendo, sed etiam intelligendo, disciplina firmetur. Et ideo ea quæ nunc est Ecclesia, quamuis filij Dei simus, ante tamen quam appareat quid erimus, in laboribus & afflictionibus agit; & in ea iustus ex fide viuit. Nisi enim crediderius, inquit, non intelligetis. Et hoc est tempus quo ingemiscimus & dolemus, expectãtes redemptionem corporis nostri, quod Quadragesima celebratur. Scimus autem quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, cum additur denarius quadragenario, vt non solum credere quæ pertinent ad fidem, sed etiam perspicuam veritatem intelligere mereamur. Talis Ecclesia in qua nullus erit mœror, nulla permixtio malorum hominum, nulla iniquitas, sed lætitia & pax & gaudium; quinquagesimæ celebratione præfiguratur.

Propterea postea quam Dominus noster Iesus Christus resurrexit a mortuis, quadraginta diebus peractis cum discipulis suis, eadem ipsa scilicet per hunc numerum insumata temporali dispensatione quæ ad fidem pertinet, ascendit in cœlum, & decem aliis diebus peractis, misit Spiritum sanctum, vt non ad humana & temporalia, sed ad diuina & æterna contuenda, quodam amoris & charitatis spiramento & incendio, quadragenario denarius adderetur. Et hoc tam totum id est quinquagenarius numerus, dierum lætitiæ celebratione signandus est. Quæ verba beati

3 Ioan. 3
Abac. 2.
Rom. 1.
Gal. 3.
Isa. 7.
Rom 8.
1. Ioan. 3

Act. 1.

Act. 2.

Augustini licet etiam pertineant ad Quinquagesimam; idcirco nihilominus huc omnia transcripsimus, quod inter cæteros fines Quadragesimæ, is sit præcipuus, quòd per Quadragesimam tendamus ad quinquagesimam. Et alibi de istius numeri significatione sic B. Augustinus, Numerus 40 illud tempus significat quo & in hoc sæculo, & in hac terra regi nos oportet à Christo secundum disciplinam laboriosam, qua flagellat Deus, vt scriptum est, omnem filium quem recipit. Et paulo post: Quia ergo numerus iste, laborioſi huius temporis Sacramentum est, quo sub disciplina Regis Christi aduersus diabolum dimicamus: etiam illud declarat quod 40. dierum ieiunium hoc est humiliationem animæ consecrauit & lex & Prophetæ, per Moysen & Heliam, qui quadraginta diebus ieiunauerunt; & Euangelium per ipsius Domini ieiunium, quibus diebus quadraginta etiam tentabatur à diabolo quid aliud quam per omne huius sæculi tempus, tentationem nostram in carne sua quam de nostra mortalitate assumere dignatus est præfigurans? Et rursum eodem loco. Cur autem iste numerus hanc temporalem vitam terrenamq; significet, illa interim causa de proximo occurrit, quamuis sit alia fortassis secretior, quod & tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, & mundus ipse quatuor partibus terminatur, quas aliquando ventorum nomine scriptura commemorat, ab Oriente & Occidente & Aquilone & Meridie. Quadraginta autem, quater habent decem. Porro ipsa decem ab vno vsque ad quatuor progrediente numero, consummatur. Et rursum idem ingenium quippe, vt ita dixerim, ingenium non potest non moueri, quid sibi velit quòd & Moyses & Helias & ipse Dominus quadraginta diebus ieiunauerunt. Cuius

De cõsensu Euang. li. 2. ca. 51

De doctr. Christ. l. 2. cap. 16.

actionis

actionis figuratus quidam nodus, nisi huius numeri cognitione & consideratione, non soluitur. Habet enim denarium quater, tanquam cognitionem omnium rerum intextum temporibus; quaternario quippe numero & diurna & annua curricula peraguntur; diurna matutinis, meridianis, vespertinis, nocturnisq; horarum spaciis; Annua vernis, æstiuis, autumnalibus, hyemalibusq; mensibus. A temporum autem delectatione dum in temporibus viuimus, propter æternitatem in qua viuere volumus, abstinẽdum & ieiunandum est; quamuis temporum cursibus ipsa nobis insinuetur doctrina contemnendorum temporum, & appetendorum æternorum. Porro autem denarius numerus creatoris atque creaturæ significat scientiam: Nam Trinitas creatoris est, septenarius autem numerus creaturam indicat, propter vitam & corpus, nam in illa tria sunt, vnde etiam toto corde, tota anima, tota mẽte diligendus est Deus, In corpore autem quatuor manifestissima apparent, quibus constat, elementa. In hoc ergo denario dum temporaliter nobis insinuatur, id est quater ducitur: caste & continenter a temporum delectatione viuere, hoc est quadraginta diebus ieiunare, monemur. Hoc lex, cuius persona est in Moyse; hoc Prophetia, cuius personam gerit Helias; hoc ipse Dominus monet: qui, tanquam testimonium habens ex lege & Prophetis, medius inter illos in monte, tribus discipulis videntibus atque stupentibus, claruit. Et quidem huiuscemodi de huius numeri mysterio, sunt aliis locis apud Aug. & apud alios quoque scriptores, multa: qui præterea hoc mysterium in omnibus ijs gestis intra numerum quadragesimum, quæ commemorauimus, religiosè exponunt. Salutaris (inquit B. Augustinus) & mysticus est quadragenarius numerus.

serm. 68 de diuersis
Hieron in Ezech 29
Petrus Chrysol. serm. 11. Tom. 10. serm. 69. de temp.

Nam

Nam primum, cum mundi faciem iniquitas hominum poſſideret, tot dierum curriculo Deus effuſis de cœlo imbribus, vniuerſam terram diluuio ſuperfudit. Vides ergo iam in illo tempore myſterium in figura diſpoſitum. Nam ſicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum: ita & nunc quadraginta diebus miſeretur ad purificandum hominem. Et rurſum: Sãctum ergo & ſacratum Quadrageſimæ tempus eſt, quod ſtatim ab initio cœpit inter iuſtos & iniuſtos diſcernere, bonos & malos quodam iudicio ſeparare. Quod quidem ſimiliter fieri etiam in hac noſtra Quadrageſimæ obſeruatione, perſpicimus. Nam per hos quadraginta dies ſeparantur mali à bonis, luxurioſus a caſto, à ieiuno intemperans, à Chriſtiano gentilis, ſeparatur, inquã, malus a bono, hoc eſt peccator à iuſto, diabolus à ſancto, hæreticus à fideli. Sic quoque quadraginta dies ſepulturæ Iacob interpretatur idem beatus, vt ſignificent aliquid pœnitentiæ qua peccata ſepeliuntur. ſic annos 40. quibus fuit populus in deſerto; ſic dies 40. quibus proceſſit Philiſtæus & pugnauit Iſraël; cæteraq; ſic explicant omnes ſcriptores, vt oſtendant pene ſemper ſignificari eo numero tẽpus laborioſum iſtius vitæ temporalis, quod eſt a nobis tranſigendum in labore, vt accedat denarius, & fiat quinquageſima. Atque hæc de myſterio huius ieiunij quod cõtinetur numero quadrageſimo: quæ res non eſt ingenioſe conficta; ſed, conſtante totius orbis Chriſtiani religione confirmata, omnium Eccleſiaſticorum ſcriptorum libris deſcripta, certa & indubitatæ authoritatis exiſtit.

Q. 169. ſup. Gen.

DE EXPLICATIONE OFFICII.

QVADRAGESIMA *est tempus militiæ Christianæ, tempus pœnitentiæ, tempus afflictionis & mortificationis, tempus tentationis; atque ea ratione opportunè Ecclesia auspicatur hodiernum officium a consolatione & spe in Domino. Sicut dicit Apostolus: Spe fortes;* Rom. 12. *In tribulatione gaudentes. Et Esaias: In silentio & in* Esai. 30. *spe erit fortitudo vestra. In silentio, videlicet à tumultibus sæculi, nihil de his quæ sunt sæculi appetendo; & in spe, æterna desiderando. Est quoque alia ratio cur Introitus sumatur ex Psalmo 90. quia ex isto Psalmo tentatus est Dominus, vt legitur in hodierno Euangelio, Cuius rei occasione totus ille Psalmus recitatur in Tractu hodierno, & præterea in Introitu, Graduali, Offertorio & Communione ex eodem psalmo repetuntur versiculi, singulis ijs partibus conuenientes. Proponitur enim nobis hodie pro capite officij Euangeliũ, quo caput Ecclesiæ Christus ieiunans in deserto tentatoris insidias superasse narratur, atque ita super aspidem & Basiliscum ambulasse, leonemq; & draconem conculcasse; atque ea ratione Prophetica per totum officium de hoc psalmo circumsonant tubæ; victoriam eandem cunctis membris eiusdem capitis, & toti repromittentes corpori Ecclesiæ. Introitus habet initium & finem huius Psalmi, Fiduciam eius qui habitat in adiutorio altissimi, qui non habitat in adiutorio suo, qui non est superbus, qui totam spem suam in illo ponit in quo sunt vires nostræ, non in præsumptione. Et hoc profi-*

teatur

tetur verſiculus: Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *Et huic Chriſtianæ profeſſioni reſpondet ipſe Deus*, Inuocabit me, & ego exaudiam eum; eripiam eũ & glorificabo eum; & longitudine dierum adimplebo eum. *Quæ eſt longitudo dierum? Vita æterna eſt. Fratres, nolite putare longitudinem dierũ dici, ſicut ſunt hyeme dies minores, æſtate dies maiores. tales dies nobis habet dare? longitudo illa eſt quæ non habet finem; æterna vita, quæ nobis promittitur in diebus longis. Et verè quia ſufficit, non ſine cauſa dixit: Replebo eum, Non nobis ſufficit quicquid longum eſt in tempore, ſi habet finem; & ideo nec longum dicendum eſt: ſed, ſi auari ſumus; vitæ æternæ debemus eſſe auari, talem vitam deſiderare quæ non habet finem. Ecce vbi extendatur auaritia veſtra. Argentum vis ſine fine? Vitam æternam deſidera. Non vis vt habeat finem poſſeſſio tua? Vitam æternam deſidera. quod eſt, longitudine dierum replebo eum. Graduale, habet illa verba quibus diabolus tentauit Dominum in deſerto, & in deteſtationem tentatoris. Eccleſia ad gradus, in medio populi, per illa ipſa verba laudat Deum, gratias illi agens de miniſterio Angelorum. Offertorium & Communio quia vtraque habent eũdem ſenſum hominis totum ſe reſignantis Deo; idcirco etiam ex eodem Pſalmo eundem habent verſum,* Scapulis ſuis obumbrabit tibi Dominus, & ſub pennis eius ſperabis; ſcuto circundabit te veritas eius. *Qui enim ſe totum vouet Deo, eſt ſicut pullus ſub gallina matre, ibi tutius contra radios ſolares, contra frigora, contra aëreas poteſtates tanquam accipit res circumuolantes vt infirmum pullum auferant. Collecta, magna brevitate rogat multa. Primò, tribuit Deo certum*

genus medicinæ quo purgentur Christiani, nempe annuam Quadragesimalẽ obseruantiam, deinde rogat vt illud quod abstinẽdo nitimur obtinere perducatur ad effectũ per bona opera. abstinendo spectamus pœnitentiam; ergo faciamus fructus dignos pœnitentiæ. Spectamus mortificationem; ergo abstineamus ab operibus carnis. spectamus elevationem mentis; ergo a terrenis abstracti studeamus cœlestibus. spectamus parsimoniã; ea igitur locupletati faciamus ampliores eleemosynas, illo largiente, cui dicimus: Deus, qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimali obseruatione purificas, præsta familiæ tuæ vt quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Ad lectionem epistolæ hæc tradit B. Thomas Aquinas. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, 2. Cor 6. In istis verbis duo notantur, Primo, præsentis temporis cõmendatio, ibi, Ecce nunc tempus acceptabile. Secũdo, causa commendationis subiungitur, ibi. Ecce nunc dies salutis. Circa primum, sciendum, quod tẽpus præsens dicitur tẽpus acceptabile propter octo. Primo, quia est tempus Dominum requirendi. Osee 10 Tepus autẽ requirendi Dominũ, cũ venerit qui docebit iustitiã &c Secundò, quia est tẽpus Domino placẽdi. Ps 68. Tẽpus beneplaciti Deus. Tertiò, quia est tempus mores corrigendi Heb 9. Vsque ad tẽpus correctionis impositis, scilicet iustitiæ Iudæorũ, &c. Quarto, quia est tempus vitia & superflua resecandi. Cant. 2. Tempus putationis aduenit. Quinto, quia est tempus diuinam misericordiam suscipiẽdi, Psal. 101. Tempus miserendi eius, quia venit tempus. Sexto, quia est tempus tribulationem patiendi. Iere. 30. Tempus tribulationis est, Iacob, & ex ipso saluabitur. Septimò, quia tempus salutẽ acquirendi. Eccl. 4. Ne retineas verbũ in tẽpore salutis. Octauo,

quia

quia est tẽpus benefaciendi. Circa istud vltimum notandum, quod tempus Quadragesimæ est tempus benefaciẽdi spiritualiter, ad quod inuitãt nos octo. Primo, scriptura, quæ in isto tẽpore legitur, Modo enim leguntur Euangelia & Epistolæ, quæ inuitãt nos ad orandum, ad ieiunandum, ad faciendas eleemosynas, ad iustitiam faciendam, & pœnitentiam, & cætera huiusmodi. vnde surdus videtur esse qui modo non bene operatur. Videtur enim nõ audire voces tot scripturarum quæ modo leguntur, quæ ad bonũ hortantur. 2. inuitat nos ad hoc Creator, qui creditur in isto tẽpore fecisse mũdũ. vnde valde incuriale est, non facere aliquod bonũ pro Deo, cũ ipse tot bona fecerit pro nobis. 3. inuitat nos ad hoc creatura, quæ tẽpore hyemali ab opere cessauit, modo reincipit operari, sicut patet in herbis, plãtis, & animalibus. Hier. 8. Milnus in cælo cognouit, operãdo scilicet, tepus suũ. 4. inuitat ad bene operãdũ Christi exẽplũ, qui in isto tẽpore bona fecit nobis. Ber. Qui me totũ, & semel dicendo fecit, in reficiẽdo, & dixit multa, & fecit mira, & pertulit dura. 5 inuitat Ecclesiæ ordinatio, quæ instituit vt omnes cõfiterentur, & ieiunarent, & Ecclesiã frequẽtarent. vnde qui hæc nõ facit, transgreditur præceptũ matris Ecclesiæ. Pro. 1. Ne dimittas legẽ matris tuæ. 6. multorũ prouocatio & consuetudo Modo enim multi incipiunt bene operari, vnde debet verecundari solus cũ paucis remanere. Heb. 12. Ideoq; & nos tantam habentes nubem impositam testium, deponentes omne pondus & circunstãs nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, &c. Septimo, diuinæ gratiæ abundans effusio. Credibile est enim quod Deus, qui tot bona largitus est nobis istis diebus, modo gratiam abundantius effundat; vt in Epistola legitur, hortamur vos ne in vacuum

gratiam Dei recipiatis, &c. Octauo, debet nos hortari ad bonum magni Paschatis expectatio. qui enim expectat magnum festum, debet facere magnam vigiliam. ideo modo cantat Ecclesia: Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. Item, corpus Christi recipere expectamus, quod nullus debet recipere nisi purgatus. 1. Cor 11. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. & de calice bibat, &c. Unde sic digne celebrando Quadragesimam istam in presenti, perueniemus ad montem Dei Orebid est ex Euangelio ad mensam cœlestem, ad quam, &c. Euangelium proponit nobis historiam, quando. nempe post baptismum; vbi, in deserto, vbi nulli homines, sola morabantur bestiæ; quandiu, nempe 40. diebus & noctibus continuis ieiunauit Dominus, abstinens ab omni & cibo & potu. narrat quoque tentationes, quibus eum tentauit Satanas: & quia summa religio est imitari quod colimus; idcirco proponitur nobis hoc Euangelium non solum ad prædicandum dignitatem & fortitudinem eius qui sic auspicabatur doctrinam suam, sed multo etiam magis ad imitationem. illa enim quæ ostendit in homine, qui factus est propter nos homo cum esset Deus per quem facti sumus, propter nos ostendit. Tentatio Christi nostra doctrina est; ipse prior tentatus est, ne tentatione vinceremur. ille magister in omnibus tentari voluit quia tentamur; sicut mori voluit quia morimur; sicut resurgere voluit quia resurrecturi sumus. Tres verò hic narrantur tentationes. Diabolus voluit expiscari quis esset. audierat de eo mirabilia, & peccatum vsque ad annum ætatis trigesimum nullum in eo inuenerat. Verumq; itaq; spectauit damon, scire quisnam esset, & simul prouocare eum ad pecta-

tum, *ſicut libidinoſus ſollicitat caſtam. Dominus eſuriebat, obtulit itaq; illi lapides. Dic, inquiens, vt lapides iſti panes fiant. Si pareret Dominus, obtemperabat dæmoni, oſtentabat ſe. ſi non faceret, multum detraheret ſibi de ſua exiſtimatione. Reſpondet Dominus gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei; Ad ſedandam famem non eſt abſolute panis neceſſarius. Dominus enim ſolo verbo oris ſui quiduis poteſt facere idoneum cibo humano; ſicut hoc præſtitit in Manna, quod pluit in deſerto, quinimo ſine vllo omnino cibo hoc poteſt ſi vult, ſicut hoc mihi præſtitit per dies 40. & in hunc ſenſum dicit ſcriptura: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. id eſt, quicquid ille vult hoc eſt cibus hominis. Damon intelligens hoc reſponſo magnam fiduciam Ieſu, & quod habitaret in adiutorio altiſſimi, ex illa ipſa fiducia cœpit eum tentare, nempe vt præciptem ſe daret é faſtigio templi. Scriptum eſt in pſalmo de homine qui poſuit Deum fiduciam ſuam, Angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Iſte dæmon erat hæreticus, abutebatur ſcripturis contra ſenſum ſcripturarum. Dominus erat conditor teſtamenti, atque ea ratione perfectiſſimè nouerat ſcripturam. Non negat ſcriptum; ſed proponit exceptionem ex alia ſcriptura, Non tentabis Dominum Deum tuum. Poſtremò, cum nec filium Dei agnouiſſet ex commutatione panum, nec famis neceſſitate obedientiam ſui perſuadere potuiſſet, cum deinde nec fiducia in Deum, nec ſanctitatis ſuæ conſcientia adducere eum potuiſſet ad temeritatem in Deum, tandem vt purum hominem tentat, de terreno dominatu & ſplendore ſæculi: ea conditione, ſi ſe adoraret. Et hæc erat omnium indigniſſima & turpiſſima ten-*

tatio, atque ea ratione vltima, qua si vinceretur daemon, iam nihil illi restaret, nisi vt audiret à Domino: Vade Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Tũc reliquit eũ diabolus, & ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei. Secreta, vocat obseruationem Quadragesimæ. Sacrificium, & eius præstationẽ, immolationem sacrificij: eo genere loquendi, qua bona opera sunt sacrificia; & simul petit vt restrictio carnalium epularum, sit temperamentum & omnimoda abstinentia à noxiis voluptatibus, quibus quotidie nos tentat diabolus. A quibus nos liberet, qui nos docuit orare: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Amen.

MISSA DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

INVOCABIT me & ego exaudiam eum, eripiam eum & glorificabo eum: longitudine dierum adimplebo eum.

Psal. Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

Vers. Gloria Patri, &c.

LITANIA.

Diuinæ pacis & indulgentiæ munere supplicantes, ex toto corde & ex tota mente precamur te,

℟. Domine miserere.

Pro Ecclesia tua sancta catholica, quę hic & per vniuersum orbem diffusa est, precamur te,

℟. Domine miserere.

Pro Papa nostro N. & pontifice nostro N. &

omni

omni clero eorum, omnibusque ſacerdotibus ac miniſtris, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro famulo tuo N. Imp. & famula tua N. Imperatrice, & omni exercitu eorū, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro famulo tuo N. Rege & Duce noſtro, & omni exercitu eius, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro pace Eccleſiarum, vocatione Gentium, & quiete populorum, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro ciuitate hac & conuerſatione eius, omnibusq. habitantibus in ea, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro aëris temperie ac fructuum, & fecunditate terrarum, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro Virginibus, viduis, orphanis, captiuis, ac penitentibus, precamur te.
℟. Domine miſerere.
Pro nauigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exilijs conſtitutis, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Pro his qui diuerſis infirmitatibus detinentur, quiq. ſpiritibus vexãtur immũdis, precamur te.
℟. Domine miſerere.
Pro his qui in ſancta tua Eccleſia fructus miſericordiæ largiuntur, precamur te,
℟. Domine miſerere.
Exaudi nos Deus in omni oratione atque deprecatione noſtra, precamur te,
℟. Domine miſerere.

Dicamus

Dicamus omnes, ℟. Domine miserere.

Kyrie eleyson, Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Oremus.

DEus qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimali obseruatione purificas: præsta familiæ tuę vt quod à te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum.

ADesto Domine supplicationibus nostris, vt hoc solenne ieiunium, quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est: deuoto seruitio celebremus.

EXaudi quæsumus Domine supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per.

Lectio Epist. B. Pauli Apost. ad Corinthios.

2. Cor. 6. Isai. 49. FRATRES: Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. (Ait enim, Tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce, nunc tempus acceptabile: ecce, nunc dies salutis.) Nemini dantes vllam offensionē, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores & veraces: sicut

qui

qui ignoti & cogniti: quasi morientes,& ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes semper autem gaudentes:sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes.& omnia possidentes.

Graduale. Angelis suis Deus mandauit de te,vt custodiant te in omnibus vijs tuis. *Psal. 90.*

Vers. In manibus portabunt te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.

Tractus Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. Dicet Domino, susceptor meus es tu,& refugiũ meũ, Deus meus sperabo in eum. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis. Scuto circũdabit te veritas eius:non timebis à timore nocturno. A sagitta volante per diem, à negocio perambulãte in tenebris,à ruina & dæmonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: tibi autem non appropinquabit. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quoniam in me sperauit,liberabo eum: protegam eum,quoniam cognouit nomen meum. Inuocabit me,& ego exaudiam eum,cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.Longitudine dierum adimplebo eum: & ostendam illi salutare meum. *Ibidem.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

In illo

Cap. 4. IN illo tempore: Ductus est Iesus in desertũ à spiritu, vt tẽtaretur à diabolo. Et cum ieiunasset 40. diebus & 40. noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Deut. 8. Scriptum est, Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Tũc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scri- Psal. 90. ptum est enim, Quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus rursum, Deut. 6. Scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde: & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc Ibidem. dixit ei Iesus: Vade Satana: Scriptum est enim, Dominũ Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum diabolus: & ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei,

Et dicitur CREDO.

Offertorium. Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, & sub pẽnis eius sperabis. Scuto circundabit te veritas eius.

V. 1. Dicet Domino, susceptor meꝰ es, nõ timebis à timore nocturno, à sagitta volãte per diẽ.

Vers. 2. Quoniam Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum.

Vers. 3. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & cõculcabis leonem & draconem: quoniam in me sperauit, liberabo eum.

Secreta.

Secreta.

SAcrificium Quadragesimalis initij solemniter immolamus, te Domine, deprecantes, vt cum epularum restrictione carnalium, à noxijs quoque voluptatibus temperemur. Per Dominum.

DOmine Deus noster, in cuius spiritalibus castris militat laudanda sobrietas, abstinẽtia fructuosa, & casti pectoris opulẽta frugalitas, ieiunãtiũ vota clemẽter adsume: & fidelibus postulatus consueta pietate succurre. Per.

Præfatio.

AEterne Deus, per Christum Dominum nostrum, qui cõtinuatis quadraginta diebus & noctibus, hoc ieiuniũ non esuriẽs dedicauit, postea enim esurijt; nõ tã cibum hominũ quã salutẽ. Nec escarũ secularium epulas cõcupiuit: sed animarũ desiderauit potius sanctitatẽ. Cibus nãque eius est redẽptio populorũ. Cibus eius totius bonæ voluntatis affectus. Qui nos docuit operari non solum cibũ qui terrenis dapibus apparatur sed etiã eum, qui diuinarũ scripturarum lectione percipitur. Per quẽ maiest.

Communio. Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, & sub pennis eius sperabis: scuto circundabit te veritas eius.

Post Communio.

TVi nos Domine Sacramenti libatio sancta restauret, & à vetustate purgatos, in mysterij salutaris faciat transire consortium. Per Dominum.

MVndet & muniat nos, quęsumus Domine, diuini Sacramẽti munus oblatũ: & intercedẽte B. virg. Dei genitrice Maria, cũ beatis

Apostо-

Apostolis tuis, Petro & Paulo, atque beato N. & omnibus sanctis, à cunctis nos reddat & peruersitatibus expiatos, & aduersitatibus expeditos.

PVrificent nos, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, Sacramenta quę sumpsimus: & intercedentibus omnibus sanctis tuis, præsta: vt hoc tuum Sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam: sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit viuorum atque mortuorum fidelium, remissio omnium delictorum. Per Dominum.

TRibue nobis Omnipotens Deus, vt dona cœlestia quæ debito frequentamus obsequio, sincera professione sectemur. Per.

Benedictio.

BEnedicat nobis omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moysi & Heliæ, nec non mediatoris nostri ieiunio consecrauit: concedatque nobis ita transigere præsentis vitæ dispensationem, vt accepto à patre familias remunerationis denario, perueniamus ad peccatorum omnium remissionem, & ad glorioſam cum sanctis omnibus resurrectionem. *Amen.*

Detque nobis spiritualium virtutum inuictricia arma, quibus exemplo Domini deuincere valeamus antiqui hostis sagaciſſima tentamenta. *Amen.*

Quo non in solo pane, sed in omni verbo, quod de ore eius procedit, spiritalem sumentes alimoniam, per ieiuniorum obseruationem, &

cæteros

cæterorum bonorum operum exhibitionem, percipere mereamur immarcessibilem gloriæ coronam. *Amen.*

Quod ipse prestare dignetur, cuius poreſtas nec initio nec fine coangustatur in sæcula sæculorum. *Amen.*

FERIA SECVNDA POST DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

Mysterium Quadragesimę quod consistit in oblatione decimæ.

DOMINICA *præcedente ostendimus, Ieiunium quadraginta dierum habere occultam sui significationem: in numero quadragenario. Nunc explicandum est aliud eiusdem ieiunij mysterium: Nempe quod ista ratione offeramus Deo decimas totius anni. Quâ de re sic Cassianus: Lege Mosaica vniuerso populo generalis est promulgata præceptio: Decimas tuas & primitias offeres Domino Deo tuo. Itaq; qui substantiarum nostrarum omniumq; fructuum decimas offerre præcipimur, multo magis necesse, vt ipsius conuersationis nostræ, & humani vsus operumq; nostrorum decimas, offeramus: quæ perfectè in supputatione Quadragesimæ euidenter implentur. Nicolaus Papa ad responsa Bulgarorum, dicit: in Quadragesima dari Deo decimas carnis nostræ. Concilium Tol. vt die præcedente descripsimus; Cum, inquit. Quadragesima dies anni totius decimæ deputentur, quæ & in oblatione ieiunij Domino consecrantur. B. Gregorius*

Col 21. cap. 25.

Cap. 9.

gorius in homilia hesterni Euangelij, post explicata mysteria numeri quadragenarij, hæc subdit: De Quadragesimali tempore est adhuc aliud quod possit intelligi. A præsenti etenim die vsque ad Paschalis solennitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarũ videlicet dies quadraginta duo sunt, ex quibus dum sex dies Dominici abstinentia subtrahuntur; nõ amplius in abstinentia quam triginta & sex dies remanent: dum vero per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autẽ per triginta & sex dies affligimur: quasi anni nostri decimas Deo damus: vt qui nobis ipsis per acceptum annum vximus, auctori nostro nos in eius decimis per abstinentiam mortificemus. Vnde fratres chariſſimi sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita et offerre contendite & decimas dierum. Vnusquisque in quantum virtus suppetit, carnem maceret: eiusq; desideria affligat, concupiscentias turpes interficiat, vt iuxta Pauli vocem; Hostia viua fiat. Quin etiam Cassianus tãtum tribuit præstationi huius decimæ, vt inde putet hoc ieiunium accepisse nomen Quadragesimæ: Tempus, inquit, quo anniuersariæ decimæ Deo, tringinta & sex semis ieiuniis offeruntur. Quadragesimæ nomen accepit, & paucis interiectis: & fortasse ipsa decimatio recte quasi ab vsu telonij Quadragesimæ nomen accepit; ita enim illa publica vulgo vocatur exactio, ex qua tanta lucri portio regis commodis deputatur, quantum & a nobis, a rege omnium sæculorum pro vsu vitæ nostræ legitimum Quadragesimæ vectigal exigitur, Atque hæc illi: Qua in re duo sunt examinanda. Quænam sit iustitia in ista decimatione. Deinde quopacto ieiunium 40. dierum accipiatur pro decima. Numerus denarius significat perfectionem operis, constat enim ex trinario, qui vtique

designa

designat vnum & trinum Deum: qui etiam est diligendus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, & ex septenario, qui pertinet ad creaturam: tanto enim tempore creata sunt omnia a Deo, est igitur numerus denarius creatura adhærens Deo, & hinc decem præcepta decalogi; quibus continetur omnis operatio, inde Dauid psallens Deo, in psalterio decem chordarum: quin in humano corpore vbi sunt instrumenta omnium humanorum operum, ibi quoque inueniuntur a Domino collocati inæqualiter, æquales decem digiti. Quoniam ergo lex ex denario numero prædicatur, vnde est memorabilis ille decalogus, profecto numerus vndenarius, quoniam transgreditur denarium, transgressionem legis, ac per hoc peccatū significat, hinc est quod in tabernaculo testimonij, quod erat in itinere populi Dei, velut templum deambulatorium; vndecim vela cilicina fieri præcepta sunt: in cilicio quippe recordatio est peccatorū propter hædos ad sinistrā futuros: quod cōfitētes in cilicio prosternimur, tanquā dicentes, quod in in Psalmo scriptum est: Peccatum meum ante me est semper. Sic progenies ex Adam per Cain sceleratum, vndecimo numero finitur, quo peccatum significatur, & ipse numerus fœmina clauditur, a quo sexus initium factum est peccati, per quod omnes morimur; commissum est autem vt & voluptas carnis, quæ spiritui resisteret, sequeretur: nam & ipsa filia Lamech Noema, id est voluptas interpretatur. Per Seth autem ab Adam vsque ad Noe, denarius insinuatur legitimus numerus. Nec solum denarius significat perfectionem operis; sed etiam operis sic perfecti & absoluti, merces, vocatur denarius; quem dat pater familias omnibus operantibus in vinea sua, quacunque hora fuerint conducti: quod

Aug. de ciuit Dei l. 15. c. 20

est vtique vita æterna. Sicut igitur Dominus dat denarium operantibus in vinea sua vsque ad horam duodecimam, sic quoque æquissima ratione vult sibi Dominus dari à vobis, decimam omnium quæ hic possidemus: non tanquam indigenti, sed ob honorem sibi debitum, quem solutione decimæ tanquam vectigalis præstatione libere profitemur: & hanc quidem Domini voluntatem in præstatione decimarum de fructibus terræ, docuit Abraham factis, Iacob promissis, & lex præcepto. Et post legem idem docet Ecclesia: Decimæ inquit B. Aug. ex debito requirũtur. Quid si diceret Deus, Meus est homo quem feci, mea est terra quam colis, mea sunt & semina quem spargis, mea animalia quæ fatigas, mea sunt imbres & pluuiæ, & ventorum flamina mea sunt, meus est Solis calor, & cum omnia mea sunt elementa viuendi, tu qui manus accommodas solam decimã merebaris. Sed quia pie nos pascit omnipotens Deus, amplissimam tribuit minus laboranti mercedem, sibi tantum decimam vindicans; nobis omnia condonauit. Et ex sententia huius diuinæ legis, imperantis decimam agrorum profecta est interpretatio Ecclesiæ; quæ monet dari oportere decimam eleemosynariam, ex quouis alio honesto quæstu: quod si inquit Aug. decimas non habes fructuum terrenorum, quod habet agricola, quodcunque te pascit ingenium, Dei est: & inde decimas expetit vnde viuis, de militia, de negocio & de artificio redde decimas, aliud enim pro terra dependimus, aliud pro vsura vitæ pensamus. Redde ergo homo, quia possides, redde quia nasci meruisti. Sic enim dicit Dominus: Dabunt singuli redemptionem animarum suarum, & non erunt in eis morbi neque casus. Istâ itaque ratione, qui nouem partibus anni vacamus non desideriis sæculi, quod

nunquam

nunquam licet; sed necessitatibus sæculi, vxori, liberis, familiæ, muneribus publicis, priuatis, curæ paulũ luxiori corporis; debemus dare decimam Deo, nempe vt illâ decima auocata ab omnibus illis curis, vacet soli Deo: ita vt reliquæ necessitates, nullam a nobis aliam curam accipiant, atque eam quæ in supremo gradu est necessaria, vt sic semper maneamus in numero denario, nunquam transeuntes ad numerum vndecimum: & hunc ipsum decimum postremum numerum impendentes illi vni, quod solum est necessarium, quod elegerat Maria, quomodo decimum præceptum decalogi concluſit omnia: Non concupisces. Præterea, decimatio est quoddam genus expiationis, qua ratione cum totus exercitus peccauit, nec in totum libet animaduertere, solet lex hoc facere in decimum quemque militem: quin & Pagani, Herculi Alexicaco, depulsori malorum, vouere solebant decimam: male, quia Herculi, naturæ tamen ductu eo modo sic illi faciebant, quin & hoc in denario non incongrue notatur, quod in malis significet summum malum. Vnde ille debitor decem millium talentorũ in Euangelio, accipitur pro omnium criminum reo; & decem plagæ Ægyptiæ summam calamitatem: & in his, decima, luctum maximum, de morte primogenitorum. Magna itaque atque ea summe legitima est ratio, qua iubemur offerre Deo decimam totius anni, & propter iustitiam præstantis Deo censum, & propter deprecationem malorum. Verum qua ratione id fiat ieiunio Quadrageſimali, non videtur satis expeditum: ratio enim B. Gregorij omittit dies quatuor, qui sunt in ieiunio ante primam Dom. Quadrageſimæ. Deinde numerus triginta sex est decima dierum 360. non etiam 365. Præterea ratio Cassiani, qua ille ieiunium Græcorum accommo-

dat decimæ magis etiam videtur intricata. Respondeo: In corpore humano, singulæ partes præter vsum præcipuum habent alios varios vsus: sic pedes præcipue sunt ad ingressum, illis nihilominus alio sine vtitur textores, alio qui comprimunt onera, alio qui subigunt pannos. Os videtur præcipue datum ad sermonem; eo tamen vtimur & ad cibum & ad respirationem, non est igitur incongruum, vt vnius alicuius actionis, varij existant vsus atque fines: neque illud magni est momenti, quod ieiunium non exacte quadret decimæ totius anni: neque enim minutiæ hisce in rebus sunt sectandæ, & certe in eo quod plus est vtique continetur, & quod minus est. Quin etiam religiosè à nonnullis sic exacte explicatur hæc decima dierum, vt dicant decimam totius anni, continere dies 36. & dimidium, & decimam quadrantis. Deinde sicut in lege minores leuitæ, reddebant summo sacerdoti decimam decimæ; sic nos præterea etiam dare Christo Pontifici futurorum bonorum decimum decimæ: atque ea ratione pro decima illorum 36. dierum, offerri à nobis, tres dies & dimidium. Deinde quia ex illis triginta sex diebus, restat vnus dies decimandus, & præterea superest dies dimidius & decima pars quadrantis: ex prima decimatione dicunt pro suppletione istarum minutiarum, ieiunari Sabbatho magno, vsque ad noctem Dominicæ resurrectionis. atque ea ratione ieunio quadraginta dierum offerri vtramque decimam; & illam quam debebat vniuersus populus, & illam decimam decimæ, quæ offerebatur à Leuitis summo Sacerdoti: qua in re illud, quod affirmatur de ieiunio Sabbathi accipiendum est secundum maiorum nostrorum consuetudinem, vnde etiam in Missa eius

Sabbathi,

Sabbathi, dicimus: Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem. &c.

DE EXPLICATIONE OFFICII.

INTROITVS *proponit nobis deuotiſſimum Pſalmum, breuem illum quidem, ſed qui pœnitentiæ optime conuenit.*

Ad te leuaui oculos meos qui habitas in cęlis.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum: donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quia multum repleti ſumus deſpectione.

Quia multũ repleta eſt anima noſtra opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Sunt cœli in quibus iam per ſpeciẽ habitat Deus, videntes eũ facie ad faciem, omnes ſancti Angeli, omnes ſanctæ virtutes, poteſtates, ſedes, dominationes, Hieruſalem illa cœleſtis, vnde peregrinãdo ingemiſcimus, & quã deſiderando oramus, ibi habitat Deus, illuc leuauit iſte fidẽ, illuc aſcendit affectu deſiderando, & ipſum deſiderium facit animam deſudare ſordes peccatorũ, & mundari ab omni labe, vt fiat & ipſa cœlũ, quia leuauit oculos ad eum qui habitat in cœlo. Et qui ſunt iſti ſerui & ancillæ, qui ſic habent oculos in manibus dominorum ſuorum, niſi qui iubentur cædi. Fac ergo aliquem Dominum iuſſiſſe ſeruum ſuum cædi. Vapulat ſeruus ſentit

plagarum dolores, attendit ad manus Domini ſui, quoadvſque dicat, parce, manum enim ipſam poteſtatem dicit. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Nonne ſunt iſte voces vapulantis, miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri. Quod verò ſequitur de deſpectione & opprobrio: hoc ſic explicant interpretes Pſalmorum: vt ille qui petit miſericordiam, hoc petat propter opprobrium, quod ſuſtinet, vel quod ipſe orans, eſt abundantibus, & propter deſpectionem quam ſuſtinet a ſuperbis. Quæ explicatio licet ſit cõueniens verbis pſalmi, nemo tamen vt exiſtimo', reprehendet eum ſenſum, vt dicamus, pœnitentem hoc totum de ſe ipſo intelligere: vt dicat iure, & magno ſuo merito, veniſſe ſibi abundanti peccatis, opprobriũ & ſuperbo deſpectionem Collecta pertinet ad ea, quæ ſubſequuntur in lectione & Euangelio. Primo enim iſto die, quo auſpicamur ieiunium Quadrageſimale, oportunè qui ſe componit ad iſtam afflictionem, petit ſui conuerſionem a Deo, qui ſolus dat ſalutem, & ideo vocatur Deus ſalutaris noſter: & vt illa conuerſio bene ſuccedat, ignauus diſcipulus, petit mẽtem ſuam inſtrui cœleſtibus diſciplinis. Et quia in omni diſciplina, primum eſt authoritas magiſtri, & obedientia diſcipuli: idcirco ex Propheta Ezechiele, initio proponit nobis magiſtrum, placatum, paſtorem bonum, liberantem paſcentem, & ſaluantem oues ſuas: Euangelium contra proponit nobis eundem magiſtrum fungentem officio iudicis, dantem præmia bonis & ſupplicia malis diſcipulis. In lectione itaque ordine naturali. Primo iſte paſtor Chriſtus Dominus, ponit ſe in medio ouium diſſipatarum: liberat de omnibus locis, in quibus diſperſa fuerunt, in die nubis & caliginis, id eſt conuertit eas ad ſe ex omnibus peccatis, quibus offenderunt in die nubis & caliginis:

cum

sum versarentur in tenebris peccatorum, liberat eas de omnibus locis, id est ex omni gente & populo. Deinde cum sic vocauit ones ad se, educit eas inde, ex illa vagatione per populos & per terras, & inducit eas in terram suam, & ibi pascit eas mirabiliter, quod expertus quidam, qui se tradiderat in disciplinã huic pastori, si hac de re loquitur: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me, animã meam conuertit. Nec solum pascit eas in pascuis vberrimis, in herbis viretibus, in pascuis pinguibus, & hoc in montibus excelsis. Israël: sed præterea ones sanas facit saniores, morbidas, laceratas, vulneratas, sanat. Et postremo in iudicio pascam illas dicit Dominus omnipotens, id est valde sapienter & accuratè, & pro cuiusque necessitate. Ad istam itaque lectionem exclamat una aliqua ex onibus dissipatis, una ex iis, quæ perierat, quæ abiecta erat, vt requiratur, & dicit: Protector noster aspice Deus, & respice super seruos tuos, Domine Deus virtutum exaudi preces seruorum tuorum. Deinde lugubri voce exponit ista ouis, quæ cupit redire ad pastorem suum, omnem suum morbum, vt sic inueniat medicinam ab eo, qui sic sanat: Domine non secundum peccata nostra quæ fecimus nos, & reliqua quæ sunt in Tractu. Deinde his omnibus ad instruendas mentes nostras cœlestibus disciplinis, officium subiungit eundem pastorem iudicium exercentem in gregem suum; narrat enim quæ forma iudicij sit futura. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, omnes Angeli eius cum eo, sedens super sedem maiestatis suæ, plane idem & pastor: hoc enim expresse & hic repetitur. Sicut pastor segregat ones ab hedis sed longe alia maiestate, alio fine, quam in lectione præcedenti: sic excitans mentes nostras & Psal. 22.

ad timendum iudiciũ, & ad deſiderandum præmiũ. Quis tunc erit, inquit B. Aug. ſtridor dentiũ, cũ ſanctorũ multitudine, ad dextera Regis, & ad gloriã ſegregata: peccati populus, in profunda tartari ſine vlla miſeratione acveniæ ſpe, demerſus: excludi ſe tenebris ſuis a beata ſanctorum luce viderit, & in profundi ſinũ ſine fine deſcendens vrgente os ſuum puteo, æterna ſupplicia & perpetuam mortem non morituus aſpexerit. Attonita itaque anima, ad hoc Dei iudicium, offerens ſe Deo: Leuabo inquit oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua Domine, vt doceas me iuſtitias tuas: da mihi intellectũ & diſcã mandata tua. Quæ verba pertinẽt ad collectã, qua petit inſtrui cœleſtibus diſciplinis, petit enim intellectũ, vult diſcere mandata Dei, quæ commemorantur in Euangelio. Communio omiſſa cogitatione eorum, qui ſunt a ſiniſtris, repetit gloriam ſanctorum, qui ſunt audituri: Venite benedicti patris mei. Rectè quoque in cõmunione repetitur, gratia eleemoſyna: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſti, qui enim vult Deum communicare ſe ſibi, ille vtique debet ſe communicare pròximo ſuo.

MISSA FERIÆ SECVNDÆ DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

SICVT oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri: miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri.

Pſal.

Pſal. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.

Verſ. Gloria Patri, &c.

Oratio.

CONuerte nos Deus ſalutaris noſter, & vt nobis ieiuniũ Quadrageſimale proficiat, mentes noſtras cœleſtibus inſtrue diſciplinis. Per Dominum.

DEus qui iuſte iraſceris, & clemẽter ignoſcis, afflicti populi lachrimas reſpice: & irã tuæ indignationis, quam iuſte meremur, propitiatus auerte. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

HÆc dicit Dominus Deus: Ecce, ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo illas. Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die, quando fuerit in medio ouium ſuarum diſſipatarum: ſic viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerãt in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & cõgregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuã, & paſcã eas in montibus Iſraël, in riuis, & in cũctis ſedibus terræ. In paſcuis vberrimis paſcã eas, & in mõtibus excelſis Iſraël, erũt paſcua earũ Ibi requieſcẽt in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus, paſcentur ſuper montes Iſraël. Ego paſcam oues meas: & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, conſolidabo: & quod pingue, & forte, cuſtodiam: & paſcam illas in iudicio, dicit Dominus omnipotens.

Graduale.

Pſal. 83. *Graduale*. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice ſuper ſeruos tuos.

Verſ. Domine Deus virtutum exaudi preces ſeruorum tuorum.

Pſa. 102. *Tractus*. Domine, non ſecundum peccata noſtra, quæ fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Pſal. 78. *Verſ.* Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Ibidem. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Cap. 25. IN illo tempore: Dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ: Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis: & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis: hædos autem à ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim: & dediſtis mihi manducare. Sitiui: & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram & collegiſtis me. Nudus: & operuiſtis me. Infirmus: & viſitaſtis me. In carcere eram: & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei iuſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & paſcimus te: ſitientem, & dedimus tibi potum?

Quando

Quando autem te vidimus hospitem, & collegimus te: aut nudum, & cooperuimus te? Aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere & venimus ad te? Et respondens Rex, dicet illis. Amen dico vobis quandiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his, qui à sinistris eius erunt. Discedite à me maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui enim: & non dedistis mihi manducare. Sitiui: & non dedistis mihi potum. Hospes eram: & non collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei, & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, vel in carcere: & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum: iusti autem in vitam æternam.

Offertorium. Leuabo oculos meos, & considerabo mirabilia tua Domine, vt doceas me iustitias tuas: da mihi intellectum, & discã mandata tua. *Psal. 118.*

Secreta.

MVnera tibi Domine oblata sanctifica: nosque à peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, qui das escam omni carni, & nos non solum carnalibus, sed etiam spiritualibus escis reficis: vt non in solo pane viuamus, sed in omni verbo tuo vitalem habeamus

mus alimoniam: nec tantum epulãdo, ſed etiam ieiunando paſcamur. Nam vt dapibus & poculis corpora, ſic ieiunijs & virtutibus animæ ſaginantur. Magnam in hoc munere ſalubritatẽ mentis & corporis contuliſti, quia ieiunium nobis venerabile dedicaſti; vt ad paradiſum de quo non abſtinendo, cecidimus; ieiunando ſolennius redeamus. Per Chriſtum.

Matt. 25. *Communio*. Amen dico vobis: quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum ab initio ſæculi.

Poſt-Communio.

SAlutaris tui, Domine, munere ſatiati, ſupplices exoramus: vt cuius lætamur guſtu, renouemur effectu. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

ABſolue, quæſumus, Domine, noſtrorum vincula peccatorum: & quicquid pro eis meremur, propitiatus auerte. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

BEnedictione tua ſancta me & omnes nos benedic Domine, vt per eam fides, charitas, ſpes in te, cõfirmetur in nobis: & omnes ſimul in exitus noſtri extremiq́ue iudicij die benedictionem tuam vere percipientes, paſſionis & meriti tui fructu cum omnibus ſanctis in æternum perfruamur: qui viuis ac regnas verus Deus, verus homo, in ſæcula ſæculorum. *Amen.*

FERIA

FERIA TERTIA POST DOM. I. QVADRAG.

Tertium myst. Quadr. quia continet exemplum Dom. conuersationis.

EXPLICAVIMVS *duo mysteria ieiunij Quadrageſimalis, eſt autẽ & tertiũ: quod ſecundo de decimis eſt affine. Taimẽ quia aliis verbis proponitur, & latius ſe extendit, alterum ab illo locum obtinebit. Nempe hoc illud quod dicit B. Ignatius in epiſt. ad Philippenſes: Quadrageſimale ieiunium neſpernatis, cõtinet enim exẽplum cõuerſationis Dominicæ. Et Clemẽs Romanus: Seruãdum nobis eſt ieiunium Quadrageſimæ, quod vitæ Chriſti, & legis latæ recordatione cõtinet. Quæ verba B. Ignatij latius patent, quam vt pertineant ad ſolam imitationem ieiunij quadraginta dierum, quos Dominus ieiunauit, quin imo id voluit Ignat. Quadrageſimã eſſe exẽplũ & imitationẽ, non vnius alicuius actionis Chriſti ſed totius eius cõuerſationis, ſeu vt loquitur Clemẽs: totius eius vitæ & legis ab eo latæ, vel forsã legis latæ in mõte Siõ; illa enim ſacrata fuit ieiunio 40. dierũ, nã ſi recte perpedimus doctrinã Eccleſiæ Cathol. atque eos ſacroſanctos libros, quis integrioribus Eccleſiæ moribus, a ſanctis ſunt cõſcripti. Sic illi intellexerunt Quadrageſimam, vt eo tẽpore neceſſe ſit omnibus Chriſt. nõ modo bene viuere, & cauere a peccatis, quod nullo vnquã tẽpore poteſt omitti; ſed quod eo tẽporis ſpatio componere ſe omnes debeãt ad exactiſſimam & perfectiſſimam imitationem conuerſationis Dominicæ, qualis fuit Apoſtolorũ, qualis primorum Chriſtianorum, qualis ſanctorũ Martyrum, qualem vt præſtarent Beati Paulus*

Epiſt. 8.

Conſtit. Apoſt l. 5. cap. 13.

& An-

Quadrageſimam: vt qui eo tempore non ſic imitaretur conuerſationem Dominicam, vt is Quadrageſimam non obſeruare intelligeretur. B. Ambroſius ſer. 33. ſeuerè damnat venationem in Quadrageſima, curam canum, negligentiam ſeruorum. & poſtea ſic ſcribit: Surgentes, primo diluculo ad Eccleſiam feſtinemus, referamus Deo gratias, peccatis veniam poſtulemus, rogantes præteritis delictis indulgẽtiam, cautelam futuris. Tota die ſit nobis vel oratio vel lectio. Qui literas neſcit ſanctum virum perquirens, eius confabulatione paſcatur: nulli actus ſæculi, actus diuinitatis impediant: non ludus tabulæ mentem auocet, non voluptas canum ſenſus abducat; non negocij compẽdium animam auiditate peruertat. quicquid enim aliud præter mãdatum Dei feceris, quamuis abſtinens, non ieiunas. Rurſum ſer. 34. Non prætereat nos dies abſque ieiunio, non nos tranſeat vna hebdomada abſque vigiliis, ille enim facit Quadrageſimam qui ieiunando & vigilando aſcendit ad Paſcha. Et paulo poſt: Quiſquis in hac deuotione Quadrageſimæ Dominica mandata ſeruauerit, necabitur in eo diabolica impietas, Apoſtolica autem reſeruabitur gratia, & ſuccedens quodammodo ſibi moritur ea parte qua peccator eſt: viuificatur ex illa parte qua iuſtus eſt. Et rurſum: Igitur & nos fratres, obſeruantes Quadrageſimæ quotidiana & moderata ieiunia, & tanquam in eremo conſtituti nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo ſollicitet. Simus ſobrij, ſimus caſti, habentes quidem conuerſationem in vrbibus, poſſideamus mente deſertum. Si ita abſtinentes egerimus, erit vt cœleſtis mannæ reficiamur alimonia: & nullis vermium ſtimulis compũgamur. Et alibi idem Ambroſius: Formam dedit nobis Deus in hoc facto, vt ieiuniorum tempore tanquam deſertum Serm. 37.

sertum habitantes, abstineamus epulis, voluptate, muliere. Aliter enim, sicut in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta mũdanis deliciis, inuia diabolicis concupiscentiis, & inaquosa libidinosis illecebris. Tunc habitans saluator hoc desertum corporis nostri, omnes ibi diaboli factiones exuperat: & secretum ac securum a cogitationibus sæculi esse suum facit habitaculum; vt deinceps nos intra nosmetipsos veluti in solitudine constituti, non nisi cœlum respiciamus & terram, hoc est non cogitemus alium, nisi cœlestis regni Dominum, & terrenæ resurrectionis authorem. Sunt præterea multa apud B. Ambrosium, de oratione & eleemosyna, quæ idcirco hic omisimus, quod ea omni omnino ieiunio requirantur. Neque nobis hic aliud quæratur, quam vt ostendamus in Quadragesima requiri exactissimum studium sequendi Christum, & imitandi eius sanctam conuersationem: quod feria quinta subsequente, ex aliis quoque patribus sumus probaturi: sunt enim istorum sententiæ summæ piæ, nec tamen hoc capite transcribi facile possunt.

EXPLICATIO OFFICII.

TOTVM *officium est pœnitentiale. Introitus desumptus est ex Psalmo 89. qui inscribitur, oratio Moysis hominis Dei; siue quod ille Psalmus fuerit ab eo compositus, siue quod Rex Dauid diuina reuelatione illius deuotionem sic expressit. Oportunè verò illius hominis Dei oratio proponitur initio Quadragesimæ, qui per dies quadraginta ieiunando accepit legem: & qui per annos quadraginta duxit populum per desertum,*

deſertum, verſus terram promiſſionis, in quam induxit populũ Ieſus ſucceſſor Moyſi ſecundum typũ legis & gratiæ. Dicit itaq; iſte Moyſes: Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationẽ, id eſt ab exordio generationũ vſque ad earũ terminũ, ante legẽ, ſub lege, & ſub gratia, nos ab vtero a te auerſos, ad te conuertere & recurrere feciſti. Sicut enim Deus dicitur nobis factus eſſe iuſtitia & ſapientia, quia nos iuſtos & ſapientes fecit: ita dicitur nobis factus refugiũ, quia nos ad ſe cõuerti fecit. Hoc autẽ Domine refugiũ noſtrũ ad te, ſine tui exiſtit mutatione: quia priuſquã mõtes fierent, aut formaretur terra, & orbis a ſeculo, vſque in ſeculũ, tu es Deus, tu ſemper idẽ es, & diuinitatis tuæ maieſtate immutabilis perſeueras. Proinde refugium nobis factus diceris non a tui, ſed ab ea quam in nobis operatus es mutatione. Collecta proponit ſinẽ ieiunij, dicit animam carnis macerationẽ ſpectare ſui caſtigationem, vt ſic veluti deterſis ſordibus, fulgeat apud Deum; non auro, ſed deſiderio Dei. Nã vt dicit S. Leo, Quamuis diminutio cibi carnẽ proprie videatur afficere, nihil tamen corporeis ſenſibus vel conceditur, vel negatur: quod non ſicut ad ſeruientem, ita pertineat ad iubentem. Lectio ex Iſaia eſt iucundiſſima & ſuauiſſima exhortatio ad pœnitentiam. Primo monet non eſſe differendam pœnitentiam. Deinde conuertenti ſe, offert ſe Dominus, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Et ne terreamur grauitate delictorum, duabus rationibus nos confirmat & inuitat ad pœnitentiam. Primo, quia Dominus non vt homines, ſic retinet memoriam offenſæ. Deinde, quod eius gratia & dona nunquam ſunt inania. Vnde ſequitur, non fore inanem vocationẽ pœnitentis, ſicut imber non reuertitur in cœlũ, ſed inebriat terram, & infundit eam

Ser. de ieiunio 7. menſis.

& germinare facit eam, & dat semen serenti, & panem comedenti. Sic erit verbum Domini prosperabitur in his ad quæ misi illud Graduale suspirans & anhelans ad istam gratiam, desiderans, vt non reuertatur vacua, sed vt faciat quodcunque voluit Dominus, inflammat votum suum. Dirigatur, inquit, Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum, id est totus & interior & exterior homo, intendat in hoc votum. Oratio, est interior eleuatio mentis in Deum. Eleuatio manuum, actus religionis exterior. Ista itaque vtraque petit graduale, vt in suo genere sint perfectissima. Oratio non spectet terrena, sed sicut fumus incensi, dirigatur sursum in conspectum Dei. Oratio sit sicut incensum in conspectu Dei, id est, sicut thymiama, quod offertur Deo, est compositum ex varijs optime olentibus aromatibus: sic oratio nostra diuersis fidei spei & charitatis charismatibus instructa, ad conspectum tuum perueniat. Sicut thymiama est in conspectu Dei, quia incenditur intra sancta sanctorum: sic oratio procedat de intimo cordis affectu. Sicut illud incenditur super altare aureum; sic oratio nostra procedat de corde fideli, & bona intentione. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, quod vtique offerebatur in altari holocaustorum in atrio, extra sancta sanctorum; quod eleuabatur manibus Sacerdotum, & vocabatur, Minha: constans simila vino & oleo. Exteriorem itaque actum religionis comparat sacrificio exteriori, quod erat solennius eiusdem generis sacrificio matutino. Nam matutinum ad vespertinum respiciebat; vespertinum autem vniuersum sacerdotale diei ministerium perficiebat: sed precipuè ideirco erat solennius quod esset typus sacrificij vespertini,

quo

quo Christus sub vesperam eleuatis & extensis manibus, factus est sacrificium. Deinde istud sacrificiũ constabat ex ijs quibus viuit homo hac vita mortali, ergo omne corporale quod habemus in seculo externo, cultu religionis efferre debemus Deo, quod precipue commendatur operibus misericordiæ, & mortificatione membrorum nostrorum Dirigatur itaque oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; & eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Euangelium initio Quadragesimæ, aptissime nobis commendat maiestatem templorum, quæ frequentius sunt colenda in Quadragesima. Commendatur templum & vocatur domus orationis: qua ratione omnia illi conueniunt, quæ amplissima leguntur de dignitate orationis. Deinde, quod magis etiam pertinet ad dignitatem & templi & orationis: templum vocatur domus Dei, & eadem esse affirmantur domus Dei, & domus orationis. Deinde, vindicta magna predicatur in violatores templi, tanta, vt Dominus suis ipse manibus eam iniuriam vindicauerit. Dominus magna nouerat peccata violati templi, quæ non tam facto explicat, quam verbo. venditio enim & annumeratio pecuniæ si non in templo, certe circa templum vel fuit necessaria, vel saltem commodare i necessariæ: sed hoc faciẽdo quid significaret Dominus, illis verbis explicauit. Vos autem feciſtis illam spelũcam latronum, vindicãs enim rem in speciem leuem, verbis tangebat peccatum grauissimum: vt sic cogitarent homines, si hec in viridi, in arido quid fiet. Deinde, ista purgatio templi materialis, docet purgationem templi spiritualis, quod est homo. Primo, intrat ibi Jesus per gratiam prauenientem. Secundo, aufert omnem occasionem peccati, eijcit ementes & vendentes. Tertio, accedentes ad eum in

templo, id est in Ecclesia Catholica, sanantur cæci & claudi, quod sunt peccatores. Quarto pueri, id est liberati peccatis, dant laudem Deo. Quinto, Pharisæi & Scribæ indignãtur, & aliorum conuersione fiunt peiores. Postremo, relictis illis abit Dominus foras, & manet ibi. Offertorium offert pœnitentẽ sperantem in Domino, & dicentem: Tu es Deus meus, non homo quisquã, sed tu es Deus meus, inter homines vnus deficit, vnus proficit. Deus meus neque proficit neque deficit, nec habet quo proficiat perfectus, nec habet vnde deficiat æternus. Dixi Domino, Deus meus es tu, in manibus tuis tempora mea, non in manibus hominum sed in manibus tuis, tempora mea, sors mea; omnis cõditio omnis saluatio mea quæ non est de hominũ voluntate sed de gratia Dei, quãdo Deus nulla merita nostra inuenit sorte voluntatis suæ nos saluos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus; hæc est sors. Communio lætificat pœnitentem. Cum inuocarem exaudiuit me Deus, a quo est iustitia mea. In tribulatione dilatasti mihi: ab angustiis iustitiæ in latitudinem gaudiorum me duxisti. Miserere mei & exaudi orationem meam. Etiam sic dilatatus adhuc cum tremore & timore orat, & misericordiam postulat a Domino.

MISSA FERIÆ TERTIÆ POST DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

Psal. 89. DOMINE refugium factus es nobis; à generatione in generationem à sæculo, & in sæculum tu es.

Ibidem. *Psal.* Priusquam montes fierent, aut formaretur

retur terra,& orbis: à sæculo & vsque in sæculum tu es Deus.

Vers. Gloria Patri, &c.

Oratio.

RESpice,Domine,familiam tuam,& pręsta: vt apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat,quæ se carnis macerationecastigat. Per.

CONserua quæsumus,Domine,populũ tuũ, & ab omnibus quas meremur, aduersitatibus redde securum:vt trãquillitate percepta, deuota tibi mente deseruiat. Per Dominum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis: Locutus est Isaias Propheta, dicens:Quęrite Dominum,dum inueniri potest,inuocate eum,dum prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas:& reuertatur ad Dominum,& miserebitur eius,& ad Deum nostrum,quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meę, cogitationes vestræ:neque viæ vestrę,vię meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meę à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra nõ reuertitur,sed inebriat terram, & infundit eam,& germinare eam facit,& dat semen serenti,& panem comedenti.Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcũque volui, & prosperabitur in his ad quę misi illud, ait Dominus omnipotens. *Cap. 55.*

Graduale. Dirigatur oratio mea,sicut incensum in conspectu tuo Domine. *Psal. 140.*

Vers. Eleuatio manuum mearum ſacrificiũ veſpertinum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Cap. 21. IN illo tempore: Cum intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit Ieſus in templum Dei: & eijciebat omnes vendentes, & ementes in templo: & menſas numulariorum, & cathedras vendentium co-
Iſai. 56. lumbas, euertit. Et dixit eis. Scriptum eſt: Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autẽ feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et acceſſerunt ad eum cæci, & claudi in templo: & ſanauit eos. Videntes autem principes ſacerdotum & Scribæ, mirabilia, quę fecit, & pueros clamãtes in templo, & dicentes: Hoſanna filio Dauid. indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti di-
Pſal. 8. cunt? Ieſus autem dixit eis, vtique, Nunquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem? Et relictis illis, abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam ibique manſit.

Offertorium. In te ſperaui Domine: dixi,
Pſal. 30. tu es Deus meus, in manibus tuis tẽpora mea.

Secreta.

OBlatis, quæſumus, Domine, placare muneribus: & à cunctis nos defende periculis Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

PEr Chriſtum Dominum noſtrum. In quo ieiunantium fides alitur, ſpes prouehitur, charitas roboratur. Ipſe eſt enim panis verus & viuus, qui eſt ſubſtãtia æternitatis, eſca virtutis.

Verbum

Verbum enim tuum per quod facta ſunt omnia, non ſolum humanarum mentium, ſed ipſorum quoque panis eſt Angelorum. Huius panis alimento Moyſes famulus tuus quadraginta diebus ac noctibus, legem ſuſcipiens, ieiunauit: & à carnalibus cibis vt tuæ ſuauitatis capacior eſſet abſtinuit. Vnde nec famem corporis ſenſit, & terrenarum oblitus eſcarum eſt: quia illũ gloriæ tuæ clarificabat aſpectus, & influento ſpiritu Dei ſermo paſcebat. Hunc panem etiam nobis miniſtrare non deſinas, quem vt indeſinenter eſuriamus hortaris, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cuius carne, dũ paſcimur, roboramur: & ſanguine dum potamur abluimur. Per quem.

Communio. Cum inuocarem te, exaudiſti me, Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti me: miſerere mihi Domine, & exaudi orationem meam. *Pſal. 4.*

Poſt-Communio,

PRæſta quæſumus, omnipotens Deus, vt illius ſalutaris capiamus effectum; cuius per hęc myſteria pignus accepimus. Per Dominum noſtrum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

AScendant ad te Domine, preces noſtræ, & ab Eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

BEnedicat nos Dominus ex Sion, qui fecit cœlum & terram, in ſapientia ſua benedictione æterna, qui benedixit omnes ſanctos patres & patriarchas noſtras. Abraham, Iſaac, &

Iacob: Et multiplicet in nobis gratiam ſuã ſpiritalem, ſicut multiplicauit ſemen eorum tanquam ſtellas cœli, & velut arenam quę eſt in littore maris: Ipſe protegat & defendat nos omnibus diebus vitę noſtrę, & perducat nos in regnum gloriæ ſuæ. *Amen*.

FERIA QVARTA QVATVOR TEMPORVM QVADRAGESIMÆ.

RESTANT *nonnulla de ieiunio Quadrageſimæ, verum quia hoc die incidimus in ieiunium quatuor temporum, & ex quatuor temporibus in tempus vernum: idcirco ea de re hic eſt agendum, redituri ad Quadrageſimam feria ſequente. De ieiunio quatuor temporum in genere, & de ieiunio decimi menſis diximus ſupra, de iſto vero ieiunio non eſt res adeo expedita, difficultatem facit quod iſta quatuor ieiunia aſſignata eſſent olim. Primo, quarto, ſeptimo, & decimo menſi, & quidem quis eſſet menſis decimus, ipſa per ſe nominis ratio oſtendebat: & eadem ratione ſequebatur vt Martius eſſet menſis primus. Diſtincta vero fuiſſe hæc ieiunia quatuor temporũ, nominibus ieiuniorum menſis primi, quarti, ſeptimi, & decimi, conſtat ex ordine Romano: ſic enim ibi quater vno pene loco nominantur. Vocatum quoque fuit hoc ieiunium, Ieiunium menſis Martij, vt conſtat ex Micrologo. Et hoc vt exiſtimo ea ratione quod is menſis crederetur primus. Temporibus itaque Gregorij ſeptimi, erat ea conſuetudo, vt hoc ieiunium celebraretur prima hebdomada menſis Martij, fuit autem factus Gregorius 7. Pontifex*

Micrologus cap. 24.

anno

anno Domini 1073. qua ratione ſit vt in ordine Romano ſic legatur: In primo menſe quarta & ſexta feria & Sabbatho in prima hebdomada ipſius mẽſis primum ieiunium celebretur. Temporibus item Amalarij, qui vixit ſub Carolo magno, a quo etiam fuit legatus Conſtantinopolim ad Michaelem Imp. Erat eadem cõſuetudo, Berno Augienſis qui mortuus eſt anno 1048. annis 25. ante electionem Gregorij ſeptimi: Hunc quoque fuiſſe morem ſuo tempore ita perſpicue oſtendit, vt nulla ratione dicat poſſe hoc ieiunium obſeruari in Februario. Quæſtio, inquit, tua talis erat, vt ſcire optares vtrumnam ſtatim in in primo Sabbatho Martij ſit ieiunandum: etiamſi idem menſis quinta, ſexta, aut ſeptima feria incipiat, an ad aliud Sabbathum, propter quartam feriam ſit differendum. Ad quod tibi ex conſuetudine ſanctæ Eccleſiæ, quæ pro maxima authoritate tenenda eſt, reſpondeo: quod abſque vlla refragatione ſemper eiuſ. de mẽſis quarta feria debeat expectari: quoniã idem ieiunĩ quod quarta feria incipitur ſabbatho finitur, nequaquã Februario ſed totũ Martio deputatur, ea videlicet ratione, vt in eo menſe primũ ieiuniũ noſtrũ Domino conſecretur: in quo principium anni ac ipſa creatio mũdi cœpit. Erat quoq; iſta cõſuetudo cõprobata Synodis, Mogũtinâ tẽporibus C. Magni, & Saleguſtana tẽporibus Benedicti ſeptimi, an. 1023. Sublata eſt nihilominus hac cõſuetudo a Greg. 7. qui vt ſcribit Mycrol conſtituit: vt ieiunium quod dicitur Martij, in prima hebdomada Quadrag. omni anno celebretur; ſicut & ſancti patres illud inſtituiſſe legũtur. Et quidẽ S. Leo in ſer. de ieiunio decimi mẽſis ſic ſcribit: Huius obſeruantiæ vtilitas, in Eccleſiaſticis eſt præcipue conſtituta ieiuniis, quæ ex doctrina ſancti Spiritus, ita per totius anni curriculum diſtributa

De eccleſ. off l. 3. c 2. De quibuſdam ad Miſſam ſpectantibus c. 7.

distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnibus sit ascripta temporibus. Si quidem ieiunium vernũ in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autũnale in mense septimo, hyemale in hoc, qui est decimus celebremus. Et quidem istarum consuetudinum diuersitas non in eo versabatur, quod illi qui primam feriam, quartam Martij obseruabant, aliquod a Quadragesima distinctum ieiunium postularent; vix enim est, vt nõn etiam ea ferin incidat in Quadragesimam: sed quia hoc istud vernum ieiunium erat ieiunium primi mensis, idcirco precisè hoc sequebantur quod ostendimus. Gregorius vero constituit, non vt quouis tempore Quadragesimæ, sed vt hac prima hebdomada res ista obseruaretur. Quo etiam more nunc vtimur. Quanquam neque eos adsim reprehendere qui putarent, olim & totam Quadragesimam acceptam fuisse pro ieiunio verno; ea ratione quod apud Leonem de tribus aliis ieiuniis, sint multi sermones, de hoc isto nullus. Isidorus quoq; primum anni ieiunium faciat Quadragesimam, secundum vero ieiunium Pentecostes. Et Petrus Chrysol. tractans de Quadragesima: Quoniam inquit ieiunii vernum & tempus bellorum spiritualium cernimus aduenisse. Vtcumq; sit cõfusum nunc est istud ieiunium cum ieiunio Quadragesimæ, neque alia hic eius nota existit, quam quod Sabbathum sit in 12. lectionibus: & sequens Dominica vacans quæres conuenit cæteris tribus ieiuniis quatuor temporum. Tractat rem istam accurate Micrologus, qui capite 24. multis verbis laudat hanc constitutionem Gregorij septimi. Cur vero ieiunari conueniat tempore verno alibi à nobis explicatur.

Isid. de eccl. officijs lib. 1. cap. 36 & 37. ser. 12

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

INTROITVS *huius officij est ex psalmo 24.* Ad te Domine leuaui animã meam, Deus meus in te confido non erubescam. *Quia dupliciter hodie ieiunatur, duplex fit Deo oblatio, & tanquam primitiarum propter ieiunium quatuor temporum, & tanquam decimarum propter Quadragesimam. Idcirco singulariter imperatur nobis ardens & summè deuota oratio. Ad te Domine leuaui animam meam, forma enim & perfectio orationis, consistit in mẽtis eleuatione. Deus meus in te confido non erubescam, ne committas vt cum in te iactauerim fiduciã meam, vt excidam spe, vt ea spes me fallat, & sic erubescam. Reliqua quæ sunt in Introitu consarcinata sunt ex eodem Psalmo. Reminiscere miserationum tuarum Domine, Reminiscere operum misericordiæ tuæ Domine, quia tanquam oblitum te homines putant. Et misericordiæ tuæ quæ à sæculo sunt: Hoc reminiscere quia misericordiæ tuæ à sæculo sunt. Nunquam enim sine illis fuisti, qui etiam peccantem hominem vanitati quidem, sed in spe subiecisti, & tot tantisq; creaturæ tuæ consolationibus non deseruisti. Ne vnquam dominentur nobis inimici nostri. Dicit compositor officij aliquid amplius quam est in textu, vbi legitur: Neque irrideant me. Postremo claditur Introitus postremo versu Psalmi: Libera nos Deus Israel ex omnibus angustiis nostris. Redime Deus populum tuum, quem præparasti ad visionem tuam ex tribulationibus & angustiis eius, non tantũ quas foris, sed etiam quas intus tolerat. Collecta quæ*

quæ

ſubſequitur, eſt Introitus mutatus in formã Collectæ, quid enim eſt aliud Ad te Domine leuaui animam meã, non erubeſcam, quam quod eſt in Collecta: Preces noſtras quæſumus domine clemẽter exaudi. Deinde quod eſt in Introitu de liberatione ex anguſtijs, & deprecatione cotra dominatũ inimicorũ eadẽ ſunt cũ verbis collectæ. Et contra cuncta nobis aduerſantia dexterã tuæ maieſtatis extẽde. Sequitur lectio de ſeceſſu Moyſis cum Deo in mõte Sinay, vbi manſit 40. diebus & 40 noctibus. Et fortaſſis idcirco ſolũ proponit Eccleſia initiũ iſtius magni operis, quia ſic conuenit incipientibus Quadrageſimã. Graduale attonitũ ad iſtã Dei gloriã, Tribulationes, inquit, cordis mei dilatatæ ſunt de neceſſitatibus meis erue me. Cũ eſſemus in Ægypto antequã veniremus ad deſertũ, erãt aliquæ meæ tribulationes, nũc verò, cũ relicto ſæculo, relictus ſum cogitationibus deſerti, id iſt ſtudio pietatis: tribulationes meæ dilatatæ ſunt, longius ſe etiã extenderunt: de neceſſitatibus meis erue me, de iſtis periculoſis, neceſſarijs tamen negocijs, libera me, & quomodo liberaberis? Vt Deus videns humilitatẽ & laborẽ meũ dimittat omnia peccata mea, vt videat, vt dirigat, vt dona ſua ipſe coronet, condonãdo nobis peccata noſtra. Sequitur collecta conueniens officio Quadrageſimali, quæ oſtendit Quadrageſimã eandem eſſe cum arte medicinæ corporalis, quæ vt faciat corpus ſanum, & vegetũ, vt reddat Spiritus vitales agiles & viuaces, facit hoc per ſubtractionem ſanguinis, per inediam, per amaras potiones, per varias corporis afflictiones: ſic & Deus in Quadrageſima per abſtinentiam macerat corpus, & inde prouenit vt mens reficiatur fructibus bonorum operum. Verum quia iſte finis non poteſt obtineri ſine Dei gratia, idcirco oramus, vt Deus huic populi ſui deuotioni benignus

benignus intendat. Secunda lectio proponit nobis aliũ ieiunatorem Quadrageſimæ, in Moyſe ieiunabat lex in Helia Prophetæ. Prior lectio pertinet ad ordinandos, qui aſcendunt in montem Domini, vt accipiant legem a Domino, iſta pertinet ad eoſdem ordinandos, per deſertum huius vitæ pergentes ad montem Dei Horeb. Ratio vero cur ordinandis prælegãtur duæ lectiones, alibi a nobis eſt explicata. Tractus qui ſequitur ſecundam lectionem, repetit verba Introitus & gradualis, & adiungit hunc verſiculum. Etenim vniuerſi qui te expectãt, non confundentur, confundantur omnes facientes vana. Quæ verba oſtendunt quod ſæpe occurrit, alia verſione vſum fuiſſe cõpoſitorem officij ab ea, qua vulgo vtimur: quæ ſic habet: Etenim vniuerſi qui ſuſtinent te non cofundentur, confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè. Quod vero dicitur: Etenim vniuerſi qui te expectãt non confundentur, id aliis verbis ſic dicit Eccleſ. Reſpicite filij nationes hominum, quis ſperauit in Deo & confuſus eſt? Euãgelium initio proponit nobis tertium prædicatorem pœnitẽtiæ Quadrageſimalis, Ionam Prophetam: quem apud Lucam dicit Dominus fuiſſe in ſignum Niniuitis, non prædicatione, quæ res nullum continet ſignum, ſed quod tribus diebus fuerit in ventre ceti & inde viuus venerit ad prædicationẽ pœnitentiæ; inde enim conſtabat Niniuitis Dominũ liberare cũ vult, ex omni etiam deſperatiſſimo malo, & ex conſequenti per pœnitentiam ſe poſſe liberari ab imminente excidio Et quomodo hoc fuit ſignum Niniuitis ad pœnitentiam, ſic dicit Dominus: generationi prauæ & aduleræ nullum fore ſignum pœnitentiæ, aliud, atque eius verã mortẽ, qua probatur ex triduana ſepultura: & ea quæ hanc ſequetur ſuã reſurrectionẽ. Vnde etiã Sacramẽta Bapt. & Pœnit.

Feria 4. Dom. 3. Aduent.

hac

hac origine & authoritate ſunt ſtabilita. Et vt hoc ſignum non contemnant Iudæi, vt eo moniti agant pœnitentiam, proponit Dominus parabolam de dæmone: dicit dæmonem veluti hominem eiectum domo, dolere eam eiectionem, ſicut dolent qui eiecti domo, coguntur vagari per loca arida & deſerta, non inuenientes requiem. Deinde reſpicientem in vetus hoſpitium, videt illud vacans, ſcopis mundatum & ornatum, id eſt diſpoſitum ad ſui receptionem, quinimo ſic præparatum, vt cogitet ſe inuitari ad reditum, Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios Spiritus ſecum nequiores ſe: & intrantes habitant ibi, & fiũt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit, inquit Dominus, & generationi huic peſſimæ. Quam Domini prædicationem videmus completam in Iudæis, qui & intus & exterius multo potentius habent imperantem ſibi dæmonem, quam hoc ille faciebat ante Domini reſurrectionem. Verum quia dicit Dominus: ſic erit & generationi huic peſſimæ, propter illam vocem. Et, cogitandum eſt, ad omnes omnino pertinet hoc periculum denunciatum à Domino; ſicut ad omnes pertinet vt faciendo voluntatem Domini, ipſe ſit frater, & ſoror, & mater Domini. Offertorium anhelans ad iſtam tantam dignitatem, cupiens fieri frater, & ſoror, & mater Domini, & intelligens hoc poſſe obtineri faciendo voluntatem patris, qui in cœlis eſt, optando & deſiderando: Meditabor, inquit, in mandatis tuis quæ dilexi valde. Multum eſt dilexi valde, & in illis quæ valde diligi ſemper meditari. Et hoc vtique pertinet ad interioris hominis omnes ſenſus. Et preterea leuabo inquit manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. Exteriore etiam homine idem ſum facturus, non propter laudem hominum, ſed quia dilexi mandata tua.

Communio.

Communio, vt accendat eleuationem mentis in Deū, quam diximus esse formam orationis; ad orationem quatenus est interior affectus cordis dicit: Intellige, quatenus est vocalis dicit, intede voci orationis meæ. Rex meus & Deus meus: Rex præstando directionē, Deus impartiendo beatitudinem.

MISSA FERIÆ QVARTÆ QVATVOR TEMP. QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

REMINISCERE miserationum tuarū Domine: & misericordiæ tuæ quæ à sæculo sunt; ne vnquam dominentur nobis inimici nostri: libera nos Deus Israël ex omnibus angustijs nostris. *Psal.* 24.

Psal. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam. *Ibidem.*

Vers. Gloria Patri. *Post Kyrie eleison, dicitur:*

ORAMVS. Flectamus genua. ℟. Leuate.

PRECES nostras, quęsumus Domine, clementer exaudi: & contra cuncta nobis aduersantia, dexteram tuæ maiestatis extende. Per Dominum.

AFFLICTIONEM familiæ tuæ, quęsumus Domine intende placatus, vt indulta veniæ peccatorum, liberis tibi mentibus seruiamus. Per Dominum.

PROPHETIA.

Lectio Libri Exodi.

IN diebus illis: Dixit Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque *Cap.* 24.

que tibi duas tabulas lapideas,& legem,ac mandata,quæ scripsi;vt doceas filios Israël.Surrexerunt Moyses & Iosue minister eius:ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hic,donec reuertamur ad vos.Habetis Aaron, & Hur vobiscum: Si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumque ascendisset Moyses operuit nubes montem: & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: Septimo autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini,quasi ignis ardēs super verticem montis, in conspectu filiorum Israël. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: Et fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Psal. 24. *Graduale.* Tribulationes cordis mei dilatatæ sunt: de necessitatibus meis erue me Domine.

Vers. Vide humilitatem meam,& laborem meum:& dimitte omnia peccata mea.

Hic dicitur, Dominus vobiscum.

ORREMVS.

DEuotionem populi tui, quæsumus, Domine,benignus intende: vt,qui per abstinentiam macerantur in corpore,per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum nostrum.

Aliæ orationes, vt in Dominica præcedenti.

Lectio Libri Regum.

3.Ca.19. IN diebus illis: Venit Elias in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum: & perrexit in desertum viam vnius diei. Cumque venisset,& sederet

ſederet ſubter vnam iuniperum: petiuit animæ ſuæ vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine tolle animam meam, Neque enim melior ſum, quam patres mei. Proiecitque ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi. Et ecce, Angelus Domini tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede. Et reſpexit, & ecce ad caput ſuũ ſubcinericius panis, & vas aquæ. Comedit ergo, & bibit: & rurſum obdormiuit. Reuerſus eſt Angelus Domini ſecundo, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede. grandis enim tibi reſtat via. Qui cum ſurrexiſſet, comedit & bibit & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb.

Tractus. De neceſſitatibus meis eripe me Domine, vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *Pſal. 24.*

Verſ. Ad te Domine leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam: neq; irrideant me inimici mei.

Verſ. Etenim vniuerſi, qui te expectant, non confundentur, confundantur omnes facientes vana.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

IN illo tempore: Acceſſerunt ad Ieſum Scribę & Phariſæi, dicentes: Magiſter, volumus à te ſignum videre. Qui reſpondens ait illis: Generatio mala & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignũ Ionæ Prophetæ: ſicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, *Cap. 12.* *Iona. 2.*

Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitẽtiam egerunt in prædicatione Ionę. Et ecce, plus, quam Ionas, hic. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terrę audire ſapiẽtiam Salomonis. Et ecce, plus, quam Salomon, hic. Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærẽs requiem, & non inuenit Tũc dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et veniens inuenit eam vacantẽ, ſcopis mundatã, & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum, nequiores ſe, & intrantes habitant ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peſſimæ. Adhuc eo loquente ad turbas: ecce, mater eius, & fratres ſtabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te. At ipſe reſpondens dicenti ſibi, ait: Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Et extendens manum in diſcipulos ſuos, dixit. Ecce mater mea, & fratres mei: Quicumq; enim fecerit volũtatem patris mei, qui in cœlis eſt: ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

Ion. 3.

3. Reg. 10

Offertorium. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde, & leuabo manus meas ad mãdata tua, quæ dilexi.

Pſal. 118

Secreta.

HOſtias tibi Domine, placationis offerimus: vt & delicta noſtra miſeratus abſoluas, & nutantia corda tu dirigas. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus qui in alimentum corporis humani frugum copiam produci inſtiſti, & in

& in alimentum animarũ ieiunij nobis medicinam indidisti; Te itaque ſupplices inuocamus, vt tibi ſit acceptabile ieiunium noſtrum, & nos à cibis ieiunantes, à peccatis abſoluas. Per Chriſtum.

Communio. Intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine. *Pſal. 5.*

Poſt-Communio.

TVi Domine, perceptione Sacramenti, & à noſtris mundemur occultis, & ab hoſtiũ liberemur inſidijs. Per Dominum.

Aliæ Poſt-Communiones vt in Dom. prec.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

MEntes noſtras, quæſumus, Domine lumine tuæ claritatis illuſtra: vt videre poſſimus, quæ agenda ſunt; & quæ recta ſunt, agere valeamus. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

DEus qui operatur in ſanctis ſuis & velle & perficere, pro bona voluntate ſuæ: deuotionem noſtram ad exequendam ſalutaris abſtinentiæ medicinam, ſua exciret miſeratione; & corroboret benedictione. *Amen*.

Quique caſtigat omnem filium quem recipit, non nos patiatur in flagellis quæ meremur impatientiæ vitio titubare; ſed ad ſuam faciat pietatẽ humili ſupplicatione cõfugere. *Amen.*

Et qui fragilitatem humanæ mutabilitatis, vt pote Creator agnoſcit, auxilium ſuum bonis inchoationibus noſtris accommodet; vt ipſo duce, quo incitatore, quę ad veram ſalutem pertinent, peragamus.

Quo dipie præstare dignetur, cuius regnum & imperium sine fine permanet. *Amen.*

FERIA QVINTA POST DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

Testimonia quibus probatur Quadrages. esse imitationem vitæ Christi.

Ser. 65. de temp.

QVOD *feria tertia præcedente facturos nos esse promiseramus, vt plures laudaremus testes, qui affirmarent Quadragesimam id continere quod dicunt B. Ignatius & Clemens; imitationem conuersationis Dominicæ & totius vitæ Christi: id nunc est præstandum. B. Augustinus: Ecce fratres charissimi Deo propitio tempus Quadragesimæ venit, & ideo rogo dilectissimi, vt dies istos corporibus salubres, & animæ medicinales, ita cum Dei adiutorio sancte ac spiritaliter celebremus, vt obseruatio sanctæ Quadragesimæ, nõ nobis iudicium pariat sed profectum. Si enim negligenter agimus, si nos nimis occupationibus implicamus, si castitatem seruare nolumus: si ieiuniis & vigiliis & orationibus non insistimus, si scripturas diuinas aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus: ipsa nobis medicamenta conuertuntur in vulnera; & inde habebimus iudicium vnde potuimus habere remdium. Et ideo vos fratres charissimi ad vigilias maturius surgite, ad tertiam, ad sextam, ad nonam ante omnia conuenite. Nullus se a sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica vtilitas, aut forte certa & grandis necessitas, tenuerit occupatum. Et paulo post: Et ideo fratres charissimi in istis*

in iſtis quadraginta diebus, quaſi totius anni cibaria anima noſtra ieiunando legendo, vel orando prouidere debemus. Nam licet per totum annum Deo propitio lectiones diuinas frequenter, & fideliter audiatis, in iſtis tamen diebus de pelago & fluctibus mundi huius, quaſi ad portum Quadrageſimæ confugientes, debemus requieſcere, & lectiones diuinas in exceptorio cordis noſtri cum ſilentio & pace ſuſcipere; vt Deo propitio pro amore vitæ æternæ vacãtes, quicquid in nauicula anima noſtra, per totum annum multis tempeſtatibus, id eſt peccatorum fluctibus, aut fractum aut diſſolutum: aliquid aut corruptum, aut perditum eſt, omni ſollicitudine in iſtis diebus reparare ſtudeamus atque componere. Et rurſum: Vnde iterum rogo vt occupationes ſæculi huius in iſtis diebus ſanctæ Quadrageſimæ ſi non poteſtis abſcindere, ſtudeatis vel ex parte aliqua temperare: vt pracioſo damno & glorioſiſſimo fructu hoc ſæculum fungentes, ſubtrahatis aliquas horas occupationi terrenæ, in quibus Deo vocare poſſitis.

Et alibi idem B. Auguſt. In diebus ſanctæ Quadrageſimæ, in Domini lege ſicut ſcriptum eſt, die noctuq; meditemur: & ita cor noſtrum diuinæ legis dulcedine repleamus, vt in nobis nullum locum virtutibus vacuum, quem obtinere poſſint vitia relinquamus. Sicut enim tempore meſſium vel vindemiarum, vnde caro noſtra poſſit ſuſtentari, colligitur, ita in diebus Quadrag. quaſi in ſpiritali vindemiarum vel meſſium tempore, vnde anima noſtra in æternum poſſit viuere congregetur. Et paulo poſt: Recedat carnalis lætitia, recedant venenis plena mundi huius blandimẽta, carnis gaudiũ minuatur, vt animæ lucra ſpiritalia præparentur. Tempus quod nobis furioſus tabulæ luſus ſolebat auferre, lectio diuina incipiat Ser. 56.

occupare; otiosis fabulis, & mordacibus iocis, & detractionibus venenatis, colloquia de scriptura sancta succedant. Horarum spatiis, in quibus solebamus sine vllo lucro animæ detineri, visitentur infirmi, requirantur in carcere cõstituti, peregrini suscipiantur, & discordes ad concordiam reuocentur. Ante omnia in diebus ieiuniorum quod solebamus prandere, pauperibus erogetur. Et sub finem: Ad vigilias alacri, & feruenti deuotione consurgite, propter illud quod scriptum est: De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus. Et iterum: Ad te orabo Domine mane & exaudies vocem meam. Et iterum: Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo Domine. Ad quam rem etiam Dominus & Saluator noster in Euangelio hortatur & admonet dicens: Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.

Ser. 64. Iterum alibi: Omne vitæ tempus, stadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cœleste brauium tota virtute contendere: sed hoc præcipue in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentiæ ac ieiuniis dedicati; tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore voluptatem decerpunt. Et paulo post: In his præcipue diebus ad implendam Domini voluntatem accendimur, quãdo maxime per abstinentiam voluptas carnis extinguitur: tunc enim ad Dominum, & ad eius futura promissa, tota mens purior faciendæ festinat; cum nulla crapula, nulla cibi ac potus satietate crassatur.

Ser. 65. Rursum alibi: Singuli dies sine ciborum nimietate transeant, cessent lauacra, vina vel carnes, non quod creaturam Dei iudicemus esse damnandam, sed qui toto anno nobis viximus; saltem vel paucos dies viuamus & Domino, demus esuriẽtibus prandium nostrum.

Rursum

Rursum alibi idem B. qui cum ostendisset, nos semper debere pendere in cruce affixos timore Dei, & sic imitari Christum pendentem in cruce: sic deinde sermonem prosequitur. Si autem hoc faciendum est per hanc totam vitam, quanto magis per istos Quadragesimæ dies, quibus nō solum agitur, verum etiam significatur hæc vita. Per alios ergo dies nō grauentur corda vestra in crapula & ebrietate: per hos autem etiam ieiunate. Per alios dies, adulteria, fornicationes, omnesq; illicitas corruptelas nolite contingere: per hos autem etiam a coniugibus abstinete. Quod vobis demitis ieiunando, eleemosynis addite prærogando. Tempus quod reddendo coniugali debito occupabatur, supplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus solvebatur affectibus, puris precibus prosternatur. Manus quæ amplexibus implicabātur, orationibus extendātur. Vos autē qui etiam per alios dies ieiunatis, per hos augete quod facitis. Qui per alios dies cōtinētia crucifigitis corpus per hos Deo vestro crebrioribus & intensioribus inhærete orationibus. Omnes vnanimes, omnes fideles fideliter, omnes in hac peregrinatione vnius patriæ desiderio suspirantes & amore feruentes. Ser. 68. de diuersis

Quod vero hic legitur de coniugibus, idem alibi quoque repetit Augustinus: Quicunque inquit etiā estis coniugibus alligati, nunc maxime Apostolica monita nolite contemnere, vt inuicem abstineatis ad tempus, vt vacetis orationibus: quod enim & aliis diebus vtiliter fit, nimis inuerecundum est, si modo non fiat. Arbitror oneri sum non esse debere, anniuersaria obseruatione, solennibus diebus hoc facere coniugatos, quod vidua ex quadam vitæ parte professæ sunt: quod tota vita sanctæ virgines susceperunt. Iam vero eleemosynas his diebus augere, quodammodo

Ser. 72. de diuersis idē quoq; ser. 73. & serm. 74.

modo ex debito est. vbi enim iustius quam misereãs impenditis, quod vobis abstinentia demitis. Et quid iniquius quã vt quod minùs erogat abstinetia, seruet permanes auaritia aut consumat dilata luxuria.

Sunt & alia multa apud eundem August. eius generis, quibus constat arctissimum vitæ genus ab eo desiderari in Quadrag. tale, quo exactius præstari à Christiano, ad Christi exemplum nullum potest.

Leo sermone 1. de Quadrag. Accedẽtes ad Quadrageſimæ initium, id est ad diligentiorem Dominicæ seruitutẽ. Idé S. Leo Prædicaturus vobis dilectissimi sacratissimũ maximumq; ieiunium, quo aptius vtar exordio, quam vt verbis Apostoli, in quo Christus loquebatur, incipiam; dicamq; quod lectum est: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Quãnis enim nulla sint tẽpora, quæ diuinis non sint plena muneribus, & semper nobis ad misericordiã Dei, per ipsius gratiam præstetur accessus: nunc tamẽ omniũ mentes maiori studio ad spiritales profectus moueri, & ampliori fiducia oportet animari, quando ad vniuersa pietatis officia, illius nos diei, in quo redepti sumꝰ, recursus inuitat: vt excellẽs super omnia passionis Dominicæ Sacramentũ, purificatis & corporibus & animis celebremus. Debebatur quidẽ tantis mysteriis ita incessabilis deuotio, & continuata reuerentia, vt tales permaneremus in cãspectu Dei, quales nos in ipsa Paschali festo dignum est inueniri. Sed quia hæc fortitudo paucorũ est, & dũ carnis fragilitate austerior obseruãtia relaxatur, dumq; per varias actiones vitæ huius sollicitudo distẽditur, necesse est, de mũdano pulnere etiã religiosa corda sordescere: magna diuinæ institutionis salubritate prouisum est, vt ad randam mentium puritatem 40. nobis dierum exercitatio mederetur: in quibus aliorum temporũ culpas,

Ser. 4. de Quadr.

2. Cor. 6.

& pœ-

& pia opera redimerēt. & ieiunia casta decoquerēt. Ingressuri igitur dilectissimi dies mysticos, & purificādis animis atq; corporibus sacratius instituios. præceptis Apost. obedire curemus: emūdantes nos ab omni inquinamēto carnis ac spiritus, vt castigatis collectationibus, quæ sunt inter vtrāq; substantiam, animus, quē sub Dei gubernaculis constituū corporis decet esse rectorē, dominationis suæ obtineat dignitatē: vt neminī dantes vllā offensionē, vituperationibus obloquētiū non simus obnoxij. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur, & nostro vitio, lingua impia in iniuriā se religionis armabūt, si ieiunātiū mores a puritate perfecta cōtinētia discreparint. Non enim in sola abstinētia cibi stat nostri sūma ieiunij, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mēs ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. 2. Cor. 7. 2. Cor. 6.

Idē alibi: In omnibus quidē dilectissimi diebus atq; tēporibus quadā nobis diuine bonitatis signa præfixa sunt, & nulla pars anni a sacris est aliena mysterijs, vt dū nobis vbiq; præsidia nostræ salutis occurrūt, innitantē nos semper misericordiā Dei, auidius expectemus: sed quicquid illud est quod in diuersis gratiæ operibus & donis, reparationi humanarum confertur animarum, totū id nobis nunc euidentius & copiosius præsentatur, quando non particulatim quadā agenda sed simul sunt omnia celebranda. Appropinquāte autem festiuitate Paschali adest maximū sacratissimūq; ieiuniū, quod obseruāti ā sui vniuersis fidelibus sine exceptione denunciat, quia nemo tā sanctus est vt nō sanctior, nemo tā deuotus vt nō debeat esse deuotior. Liberius Pontifex Abstinendum est his sacratissimis 40. diebus a cōiugibus, & castè & pie viuēdum est, vt sanctificato corde & corpore, isti dies transigātur: donec perueniatur ad diē sanctū Paschæ, quia ser. 11. de Quadr. Epistola ad omnes Episcopos. cap. 10.

quia nihil penè valet ieiunium quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigilie & eleemosyna non commendant.

Sunt & alia testimonia de abstinentia coniugij, quibus hoc euincitur, exactissimam fuisse vetere obseruationem Quadragesimæ, nempe eum dolorem pœnitentiæ, qui est in capite damnatis; quibus licet non pereat amor coniugis, certe perit cogitatio concubitus. Quadragenarius numerus, inquit Hieronymus, conuenit peccatoribus, ieiunio, & orationi, & sacco, & lachrymis, & perseuerantiæ deprecandi.

Cap 3. Ionæ.

Ecce tempus quo miles procedit ad campum, recurrit ad Dei ieiunia Christianus. Ecce tempus quo carnis ocia, quo mentis ignauia, quo ventris cura, & tota est familiaris obsequij deponenda torpedo. Ecce tempus quo in armorũ cœlestiũ meditatione, animæ & corporis exercenda sunt vires. Ecce tẽpus quo residente Christo, astantibus Angelis, nostra luctaminia exercenda est fortitudo. Nunc est tempus quo gula cũ ieiunio, abstinentia cũ crapula, cum luxuria castitas, cum perfidia fides, pietas cũ impietate, patientia cum furore, cupiditas cum liberalitate, misericordia cum auaritia, humilitas cum superbia, sanctitas cum reatu, Christo remunerante confligit. Si quis ergo spectante Deo, cœlesti resonante iam tuba, angelico insistẽte occursu, cubiculi irretitus illecebris, eneruatus mollitie plumarum resolutus in totum ingalibus blandimentis, exercitium virtutis venire neglexerit, perdit luctaminis præmium, virtutis gloriã, certaminis palmam, iustitiæ coronã, deserteris etiam crimine mulctabitur in futurum.

Chrysol. serm. 13.

Quod vero dicebamus nos probaturos Ieiunium Quadragesimæ esse exemplum conuersationis Dominicæ, argumẽto certi cuiusdã erroris, id est huiusmodi:

modi: Theonas Abbas ea ratione, quod Quadrag. sit præstatio exactissimæ vitæ Christianæ, & quod eiusmodi vitam præstant iusti, quibus, vt loquitur Theonas, non est lex posita, quia spiritualibus officiis non exiguam istam, id est decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt: quia liberi sunt à decimarum legalium functione; idcirco si eos superueniens honesta & sancta necessitas coarctarit, audet stationem ieiunij absque vlla disceptatione laxare, quod profecto absque summæ fraudis reatu facere alter nō poterit. Quæ sententia Theonis probat eum fuisse eius sensum de Quadragesima, quē nos astruimus. Et qui hanc eius sententiam refutant, non illud negant, quod ille sentit de Quadragesima: sed quod inde colligit, id male eum facere ostendunt, & hoc ea ratione, quod non rectè sit assecutus sensum huius sententiæ Pauli: Iusto non est lex posita: vt explicat Hēricus Cuickius in annot. ad Cassianum, & cōtra eandem sententiā Theonis, sic S Leo: Quando, inquit, oportunius ad remedia diuina recurrimus, quā cum ipsa nobis Sacramenta redemptionis nostræ, temporum lege referuntur, quæ vt dignius celebremus, saluberrimo nos 40. dierum ieiunio præparemus. Non enim ij tantū qui per mortis Christi resurrectionisq; mysterium in nouam vitam baptismo sunt regenerate venturi: sed etiam omnes populi renatorum vtiliter sibi & necessario præsidiū huius sanctificationis assumunt: illi, vt quæ nondū habent accipiant, isti vt accepta custodiant. Et B. Aug. Deus qui est nostrarū medicus animarum, congruens tempus instituit, quod & iustis satis sit ad adorandum, & peccatoribus sufficiat ad rogandum: illi requiem postulantes: hi veniam deprecantes.

Cassianus col. 21. ca. 29. & 30

Ser. 5. de Quadr.

Ser. 6. de temp.

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

MONVIMVS *feria quinta præcedente, omnes iſtas quintas ferias olim vacaſſe officio Miſſa. Ratio Micrologi de lege Papæ Melchiadis, quam ibi recitauimus, non videtur expedita: certe Melchiades ea Epiſtola qua prohibet ieiunium Dominicæ & feriæ quintæ, idcirco id ſe facere declarat, quod hæretici & Pagani ieiunare tum ſolerent, vt inter ieiunium inquit, Chriſtianorum & Gentilium veraciter credẽtium, atque infidelium & hæreticorum, vera diſcretio habeatur. Verum ea lex non videtur pertinuiſſe ad ferias quintas Quadrageſimæ, ſicut nec verba B. Aug. qui loquens de conſuetudine ieiunãdi, quæ erat Romæ: ibi, inquit, ieiunandum feria quinta non videtur; quæ vtiq; illius verba pertinent ad eũ morem, quo nunc vtimur vt non fere indicantur ieiunia in feriam quintam. Si enim canon concilij Laodiceni ne quidem feriam quintam in cœna Domini vult eſſe liberam a ieiunio, ſi Romani Græcos ſoliti ſunt reprehendere, quod Sabbathis per Quadrageſimam non ieiunarent, ſi libris veterum ſcriptorum, ſi per totum officium Eccleſiaſticum nulla eſt eius rei memoria: quis facile credat ferias quintas in Quadrageſima fuiſſe exemptas a ieiunio? Verum id videtur accidiſſe lege Melchiadis, vt ea de cauſa hunc diem potiſſimum elegerint Pontifices, quo vacarent ab officio Eccleſiæ: videtur enim conuenire vt quo die minus conſueuimus affligere animas ieiunio, & cæteris officijs pietatis ieiunio connexis, vt illum potiſſimum eligamus curis, vel publicis vel domeſticis.*

Tom. 1. Concil.

Ad Caſ. Epiſt. 86.

ſtieis. Propter iſtam itaque feſtiuitatem ſeu hilaritatem tributam a Melchiade feriæ quintæ, factum eſt, vt etiam eadem feria per Quadrageſimam acceperint quandam indulgentiam, potius quam alius quis dies. Siue igitur Gregorius ſecundus quod perhibetur, ſiue quis alius hodiernum officium in hunc ordinem digeſſerit prudenter & religioſe inter duorum ieiuniorum grauiorem afflictionem, conſolatorium officium pœnitentibus proponitur: tum ne abſorbeantur a triſtitia, tum quod ordinum ſacrorũ collatio gaudium ſit amantibus Deum. Inutilis enim eſt meſſis, ſi nõ ſunt operarij qui metant, qui cõchãt in horrea, qui terant, qui purgent. Vnde & Chriſtus orare nos iuſſit Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Incipit igitur Introitus ab hilari & lato Pſalmo 95. Cantate Domino canticum nouum. Omnes qui arduas operum ſublenant & ſolantur anguſtius, probant ad ſolatium laboris datam nobis naturaliter cantilenam. Hinc nautæ cantu ſuperant marina diſcrimina, hinc immenſa pondera adducũt lenamine canticorũ, hinc viantes, colles arduos facit tranſcendere vox ſonora, hinc prælatores ipſos præcedens cantus ſubire concitat amara bellorum. Ac ne multis. Omne quod durum eſt operis, quod laboris, dulcis vincit & efficit cantilena. Sic nos fratres Quadrageſimæ ieiunio, cãtica diuina iungamus, vt abſtinentiæ pondus cœleſtis temperet & ſubleuet ſymphonia. prouocãte nos ad hæc Dauide beato, qui dum fiſtula pecus carum mulcet & oblectat in paſcuis, cantu dura didicit ſuperare bellorum, cantu meruit ductare populos ad ſalutem, cantu volnit vocare gentes, reducere Iudæos, fugare dæmones, Dei filios ad ſuperni patris obſequiũ conuocare, hactenus Chryſologus. Cantemus igitur Domino canticum nouum. Chryſol. ſerm. 18.

Man-

lueris magnificus, ante cadis quam surgas. Non enim surgis, sed extolleris. Melius surgis, si te ille erigat qui non cadit. Descendit enim ad te ille qui nō cadit: Tu cecideras, ille descendit, porrexit tibi manum, non potes viribus tuis surgere, amplectere manum descendentis, vt erigaris a forti. Quid ergo? Cōfessio & pulchritudo in conspectu eius, sanctitas & magnificētia in sanctificatione eius. Collecta eadem est quæ feria precedente: quod fit ea ratione, qua diximus hanc feriam olim caruisse officio Missæ. Epistola habet Hier. 31.
& ipsa consolationem. Populo Israel transierat in prouerbium: Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt. Quod etiam repetit Propheta Ieremias: In diebus illis, inquit, non dicetur vltra. Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed vnusquisq; in iniquitate sua morietur. Omnis homo qui comederit vnam acerbam obstupescent dentes eius. Ista parabola, iste sermo translatitius, verbis loquens de vuis acerbis & stupore dentium: sensu vero significās culpam ab alio commissam, & pœnam præstitam ab eo qui non peccasset, transierat in prouerbium, in sermonem ordinarium, quo & in terra Israel & postea captiui, accusabant iniuriam sua calamitatis & captiuitatis. Dominus hac lectione reprehendit vsum huius prouerbij: & propter arrogantiam illorum qui sic iustificabant seipsos, & propter consolationem eorum, qui putabant a se præstādam rationem peccatorum, qua vel patres vel filij commisissent. Tota itaque ista lectio hoc solum continet, quod est in lectione diei subsequentis: Filium non portaturum iniquitatem Patris nec econtra; nempe in illo iudicio vbi agitur de morte & vita anima. Qui enim natus ex iniustis ipse est iustus, ille vita viuet, ait Dominus, id est illa

vita

uita quæ vere est uita. Graduale, intelligens narrationem tot uirtutum quæ commemorantur in lectione, sciens sine singulari Dei gratia non præstari illa à nobis, istis verbis rogat eam gratiam. Custodi me Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarū protege me. Nullum accipiā vulnus peccati mortalis, sicut vulnus non admittit pupilla oculi: occulta virtute & prouidentia protectionis tuæ protege me. Et ad illud quod dicit lectio filium nō portaturū iniquitatem patris, respondet graduale. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem, tu enim iudicas iuste, tu aliena in me non vindicabis. Euangelium est de muliere Chananea, cuius filia à dæmonio vexabatur: in cuius interpretatione inter cætera hæc habet Iansenius: Moraliter autem mulier hæc rectè quamlibet animam peccatricem designat, cuius filia, hoc est, caro, à dæmonio vexatur: quia exagitatur etiam spiritu repugnante ad vitia varia. Hæc igitur si sibi, suæq; filiæ sanitatem exoptat, imprimis necesse est, vt è suis egrediatur finibus, hoc est, priora suæ conuersationis vitia in quibus quiescit, relinquat: tum ad Christum fide accedat, qui vnicus est salutis author. Ad quem cum fide accesserit, opus est & fiducia firma; quæ feruidam & perseueranciem eliciat precem: & humilitate, qua se velut catellam per confessionem peccatorum agnoscat, ac indignam planè iudicet cum filijs, immaculatis mysterijs mensæ Dominicæ frui. Si enim desit humilitati fiducia, talis humilitas & indignitatis consideratio pariet desperationem: si vero desit fiducia humilitas, fiducia talis pariet præsumptionem. Verum vbi duo hæc coniuncta fuerint, nec humilitas franget animū, nec fiducia temere quid sibi vendicabit. Sed etiamsi conscientia inter orandum dicatur: Peccasti grauiter,

Augustī.

uiter, indigna es quæ exaudiaris, æquum non est vt audiaris: tamen ita agnoscet suam indignitatem per humilitatem, vt per fiduciam de Dei bonitate concipiam, non cesset orare, imo ex indignitatis suæ ratione argumentum impetrandi a Deo colligat, ita vt dicat: Quoniam ergo Domine indignus sum, ideo miserere: quoq; magis peccaui, eo tu, cui propriũ est misereri, magis miserere, & amplius laua me ab iniquitate mea, qui venisti peccatores saluos facere, & dixisti, nõ esse opus medico bene habentibus, sed male. Sic oranti cõtinget filiæ sanitas, ac profligato malo dæmone, consequetur anni trãquillitas & quies, quæ innocentiæ & gratiæ diuinæ comes est. Hanc enim significat recubitus puellæ sanatæ super lectum, inuentæ a matre. Notanda quoque est in hoc Euãgelio humilis prudentia huius Chananeæ. Quæ cũ audisset Dominũ dicẽtem: Non est bonũ sumere panem filiorum & mittere canibus. Non est indignata sic loqui Iudæum, de gente vicina, quin ipsum Dominũ verbis suis veluti circũuenit, Omnino sic est, & quia canis sum, idcirco pasce me vt canem, patere vt accipiam aliquid de micis quæ cadunt de mensa dominorum: nã & hoc conceditur catellis, quod responsum sic placuit Domino, vt dicat B. Marcus ad ea verba eum dixisse Chananeæ: Propter hunc sermonem vade, exijt dæmonium a filia tua. Offertorium ad mentionem panis filiorũ, quem sic amabat ista catella, vt eius micas sic humiliter expeteret, dicit: gustate & videte quam suauis est Dominus. Non dicit solum: gustate, sed adiungit, videte. Et ne quis miretur gustando & videndo cognosci suauitatem Domini. Communio explicat rem istam: Panis, inquit, quem ego dedero, caro mea est, pro sæculi vita. Gustate pertinet ad panem. Caro mea est, ad fidem: qua sola rectè videmus in rebus

MISSA FERIÆ QVINTÆ POST DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

Pſal. 95. CONFESSIO, & pulchritudo in conſpectu eius: ſanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius.

Ibidem. *Pſal.* Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.

Verſ. Gloria Patri, &c.

Oremus.

DEFOTionem populi tui, quæſumus, Domine, benignus intende: vt, qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructū boni operis reficiantur in mente. Per Dominum noſtrum.

AB omnibus nos, quęſumus, Domine peccatis propitius abſolue: vt percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus ſeruiamus. Per Dominum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Cap. 18. IN diebus illis: Factus eſt ſermo Domini ad me, dicens: Quid eſt, quod inter vos parabolam veritis in prouerbium iſtud in terra Iſraël dicentes: Patres comederunt vnam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Viuo ego, dicit Dominus Deus ſi erit vobis vltra parabola hęc in prouerbium in Iſraël. Ecce, omnes animæ meæ ſunt: vt anima patris, ita & anima filij, mea eſt: anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Et vir ſi

vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium, & iustitiam, in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël: & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit & hominē non contristauerit: pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento: ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit: ab iniquitate auerterit manum suam: & iudicium verum fecerit inter virum & virum: & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem. Hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.

Graduale. Custodi me Domine vt pupillam oculi: sub vmbra alarum tuarum protege me. *Psal. 16.*

Vers. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore: Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sydonis. Et ecce, mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël. At illa venit: & adorauit eum, dicens: Domine, adiuua me. Qui respondens, ait. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine, Nam & catelli edunt de micis, quæ *Cap. 15.*

cadunt de mensa dominorum suorum. Tũc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua. Fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Psal. 3. *Offertorium*. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos: gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.

Vers. 1. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Vers. 2. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in inuicem.

Vers. 3. Accedite ad eum, & illuminamini: & vultus vestri non erubescant. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius liberauit eum.

Secreta.

SAcrificia, Domine, quæsumus, propitius ista nos saluent, quę medicinalibus sunt instituta ieiunijs. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, quia competenter atque salubriter religiosa sunt nobis instituta ieiunia, vt corporeæ iocunditatis immoderatas coerceamus illecebras: vt terrenæ delectationis insolentia refrenata, purior atque tranquillior appetitus ad cœlestia contemplãda mysteria, fidelium reddatur animarum. Per Christum Dominum.

Communio. Panis quem ego dedero, caro mea est pro sęculi vita. *Post-Communio*.

TVorum nos, Domine, largitate donorum, & temporalibus attolle præsidijs, & renoua

noua ſempiternis. Per Dominum.

Alia Poſt. Communiones vt in Dom. præc.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

DA, quæſumus Domine, populis Chriſtianis, & quę profitentur agnoſcere: & cœleſte munus diligere, quod frequentant. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

ADſpiciat in nos creator ęternus, conſeruet in nobis gratiam ſuam quam ſuper nos infudit, mentem noſtram regat, vias noſtras dirigat, cogitationes noſtras in bono illuſtrer, roboret ac confirmet: pręterita peccata indulgeat, pręſentia ac futura protegat ac defendat, ſit manus Domini auxiliatrix noſtri, & brachiũ ſanctum eius nobis nobis auxilium concedat, omnibus diebus vitæ noſtræ. *Amen.*

FERIA SEXTA QVATVOR TEMPORVM QVADRAGESIMÆ.

Quartum myſterium ieiunij Quadrageſimalis hoc eſſe legitimum, & quodam modo ſufficiens tempus pœnitentiæ.

OSTENDIMVS *tertio myſterio ieiunij Quadrageſimalis, hunc numerum quadragenarium eſſe ſacratum in quadam perfectione boni operis. Vel vt loquitur Chryſologus: Quadrageſimam quatuor decades, quadratam*

Ser. 3. de Quadr.

dratam fidei continere disciplinam; quia semper est quadrata perfectio atque ea ratione continere exemplum conuersationis & vitæ Christi. Sequitur nunc quartum mysterium, nempe hoc ieiunium quadraginta dierum esse legitimum, & quodam modo sufficiens tempus continuæ pœnitentiæ quæ res aliquid aliud continet a priore mysterio. Nam licet Dominus verbo prædicauerit pœnitentiam, & facto solidissime eam docuerit, morte sepultura, & resurrectione sua: nulla tamen ratione pertinet pœnitentia ad conuersationem & vitam Christi Et quidem huius rei quam sumus dicturi, quotidianum exeplum habemus in contagione pestis, a cuius infectione, personæ, domus, supplex, post diem quadragesimum libera iudicantur. Et in lege mulier quæ concepto semine peperit masculum, licet in sanis corporibus non fere fluant menstrua vltra dies septem, tamē propter alias excretiones, ad perficiendam plenam purificationem tota partus immunditia purgata censetur die quadragesimo: & post tot dies permittitur puerpera ingressus in templum. Isto itaq; modo temperauit etiam Dominus afflictionem & humiliationem pœnitentium. Sic Niniuitis volens Deus, vt conuerterentur: Quadraginta inquit, dies & Ninive subuertetur. Qua prædicatione hoc certe ostendit Dominus tantum tempus accommodatum esse, humiliationi pœnitentium: sicut etiam illi per tot dies in ieiunio defleuerunt peccata sua, & impetrauerunt misericordiam Dei. Sic in lege Moysi, Eum qui peccauit, ita tamen vt non sit dignus morte, corrigendum tamen pœna corporis, eum lex iubet prosterni, & coram iudicibus verberari. Pro mensura peccati erit & plagarum modus: ita duntaxat vt quadragenarium numerum non excedat, ne fœde lacer atus ante

Leuit. 12.

Deut. 25.

oculos

oculos tuos abeat frater tuus. Sic Dominus pluuia 40. dierum deleuit iniquitatem terræ. Ista itaq; de causa, vt plurimum Canones inultis generibus peccatorum imponunt pœnitentiam quadraginta dierum. Indulgentiæ quoque Episcopales hoc termino dierum definiri consueuerunt. In vita Romualdi Abbatis, legimus eis temporibus fuisse ordinarium, vt homicidæ & eius criminis aliquo modo participes, facerẽt pœnitentiam in monasterio per dies quadraginta. Recte igitur B. Augustinus, quod hic est repetendum: 'Deus qui est nostrarum medicus animarum, congruens tempus instituit quod & iustis, satis sit ad adorandum & peccatoribus sufficiat ad rogandũ: illi requiem postulantes, hi veniam deprecantes; congruens enim tempus est Quadragesimæ nec breue est ad exorandum, nec longum est ad promerendum, 40. enim dierum ieiunius quæuis iniquitas peccatoris exorari potest, & quamuis seueritas iudicis mitigari. Sit longum & fastidiosum forte sic tempus, qui nec orat de culpa: nec sperat de venia. Desperatio enim nec confiteri de scelere, nec indulgentiam nouit sperare de iudice. Sanctus ergo & saluiaris Quadragesimæ cursus, quo adducuntur ad misericordiam peccator per pœnitentiam & iustus ad requiem Ambrosius quoque hoc istud mysterium sic explicat, vt dicat animam purgatam & fatigatam tot obseruationibus postea venire ad Baptismum. Verum quia pulchra est, libet totam sententiam transcribere. Habentes igitur huiusmodi medicum qui percutiendo sanat mortificando viuificat subdamur ei cum omni patientia ad curandum: vt quicquid vlceribus fœtidum esse perspexerit, incidat, amputet, exsecet, vt refectis omnibus diaboli vulneribus, hoc solum in nobis faciat remanere, quod Dei est. Istud autem Ser. 27.

præceptum eius est primum: vt his 40. diebus ieiuniis, orationibus, vigiliis operam commodemus: ieiuniis enim lasciuia corporis castigatur, orationibus deuota saginatur anima, vigiliis diaboli insidiæ depelluntur. Deinde cum istis mandatorum obseruationibus, fuerit hoc tempus impletum, tunc purgata & fatigata tot obseruationibus anima ad Baptismũ veniens, Spiritus sancti inũdatione reficitur: & quicquid in ea ægritudinem ardor exiccauerat, cœlestis gratiæ rore perfunditur.

EXPLICATIO OFFICII.

VERBA *hodierni Introitus explicata sunt feria quarta præcedente, Collecta refutat aduersarios nostros, qui dicunt, nos tribuere salutem æternam non Deo, sed nostris meritis. Tam enim nihil tribuimus nobis tanquam ex nobis, vt vbiq; cuncta tribuamus soli gratiæ Dei: deuotionẽ nostrã in hac collecta tribuimus Deo, quam tibi facis esse deuotam, & ad retinendam hanc gratiã præuenientem. Religiose præterea oramus vt Deus sit propitius plebi, vt eã miseratus refoueat, benignus auxilio. Quæ verba singula habet peculiarem emphasim, quomodo enim superbit in seipso, qui ex misericordia Dei petit refoueri, & hoc auxilio Dei, & illo benigno, nõ auxilio iure sibi debito, sed benigne & misericorditer concesso. Per Dominũ Iesum Christum. Lectio Ezechielis Prophetæ, est cõtinuatio eius lectionis, quæ lecta est die præcedẽte, vbi audiuimus. Ecce omnes animæ meæ sunt, dicit Dominus, vt anima patris ita & anima filij mea est: corpora sunt & ipsa Dei, sed plus iuris in illa habet pater quã in ani-*

mam,

mam, quæ non eſt ex traduce, ſed creatur a Deo. Et idcirco fit vt peccata parentum puniantur aliquãdo in corpore filiorum, & econtra: & hoc vſque ad pœnã mortis, quia ſic punimur in re noſtra, quomodo punimur dãno animaliũ ſeruorũ, pecuniæ & ſupellectilis. Verũ mors animæ nulli poteſt ſic euenire, iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas erit ſuper eũ. Deinde illis verbis: Si autem impius egerit pœnitentiam, in hunc ſenſum proſequitur Deus: Tantum ait peccata patrum ad filios non redundant, nec iuſtũ filium ſceleratus pragrauat pater, neque alii pro aliorum ſceleribus puniuntur, vt ipſe vnus atque idem, qui prius impius fuit atque peccator, ſi poſtea egerit pœnitentiam, & ad meliora conuerſus, priſtina peccata deleuerit: non iudicetur vetuſtate peccati, ſed in meum ſuſcipiatur gregem, innouatione virtutis ſimulq; conſiderandum, qualem impium & peccatorem ſuſcipiat pœnitentem: Si ab omnibus, inquit peccatis ſuis quæ operatus eſt, auerterit ſe, & cuſtodierit vniuerſa præcepta Domini: quo ſcilicet omnia crimina derelinquat, & cũctas virtutes ſequatur: ſi omnia bona fecerit, & cuncta deſeruerit mala, & ego omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, obliuiſcar. In iuſtitia ſua quam operatus eſt viuet. Si Ezechiel prophetaſſet Geneuæ aliter ei fuerat loquẽdum: ibi enim nulla recipitur hominis iuſtitia quam ille poſſit dicere ſuam. Et forſan ibi nollent aquã dici calidam, quia illam qualitatem accipit extrinſecus ab igne. Tota præterea iſta lectio, iucundiſſima eſt, ad conſolationem quærẽtis pœnitentiã, & ſecuriſſima cautio: Vt qui ſtat videat ne cadat. Iſaias: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius; & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum, Iſai. 55.

& vt

& vt est in Hebræo, quoniam multiplicat ad ignoscendum non semel ignoscit sed sapissime Et Ieremias: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me. Et iterum cum dixisset se deleturum impios: Si pœnitentiam inquit egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo quod cogitaueram vt facerem ei. Recte igitur Apostolus vocat Deum patrem misericordiarum & Deū totius consolationis Nunquid voluntatis meæ est mors impij? Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuentium: nam vt dicit Apost. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod intelligitur de voluntate Dei antecedente non etiā consequente, quæ semper impletur: quod non semper accidit in voluntate antecedente, quod sapienter docet Thomas. Illi quoq; qui faciunt iustitiam, si desinant eam facere si auerterint se ab ea, & fecerint iniquitatem, omnes iustitiæ eius quas fecerit non recordabuntur; nempe vt vitam æternam obtineat, nisi agat pœnitentiam de illis abominationibus, tūc enim sicut in Dauid, restituitur illi gratia illorum meritorum, quæ fecit cum operaretur iustitiam. Et licet in lectione hodierna non inueniatur, libet nihilominus ad consolationem animæ, ea hic subijcere, quæ sequuntur apud Prophetam: Et dicunt filij Israël Non est æqua via Domini. Nūquid viæ meæ non sunt æquæ domus Israel & non magis viæ vestræ prauæ; idcirco vnumquemque iuxta vias suas iudicabo domus Israel ait Dominus. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et quare moriemini domus

Ierem. 3.

Sap. 1

1. Tbi. 2.

3. parte qu. 1. 9. 6.

domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus. Reuertimini, & viuite. Atque hac Propheta: vel potius ipſe Deus in Propheta Domine omnipotens Deus Iſrael, Anima in angustiis & ſpiritus anxius clamat ad te: Aud' Domine & miſerere Graduale ex iſta lectione concipit ſpem & dicit: Saluum fac ſeruum tuum ſperantem in te. Tractus commotus ad pœnitentiam & anhelans ad conuerſionem prædicatam in lectione, timens quoque pœnas denunciatas, eadem lectione non conuertentibus ſe ad Dominum, tribus verſiculis ſic gemit ad Dominum. Primo dicit: Domine non ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras reſtribue nobis. Non dicimus: Patres noſtri manducauerunt vuas acerbas & dentes noſtri obſtupuerunt; peccata quæ fecimus nos, & iniquitates noſtras confitemur tibi non facias nobis ſecundum peccata noſtra, quia anima quæ peccauerit ipſa morietur; & impietas impij erit ſuper ipſum. Quantum diſtat Oriens ab Occidente, longe fac a nobis iniquitates noſtras. Secundus verſiculus dicit: Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis; Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, quibus tam diu per tot annos annueſtauimus, & quæ per tot annos multiplicatæ ſunt nimis: ita vt pauperes a virtute & gratia tua facti ſimus nimis; & idcirco cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, anticipent nos, & cito anticipent: non vna, ſed omnes miſericordiæ tuæ. Tertius verſiculus concludit vniuerſa. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui, Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Deus ſaluis omnis Author, fac vt non

præcipue

præcipue propter pœnam inferni, non propter infamiã peccatorum, ſed vt præcipue diſpliceat mihi peccatũ meum, quia eſt contra gloriã nominis tui, & propter nomen ſanctum tuum libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris. Non propter nos; nam quid aliud merentur peccata noſtra quam debita & digna ſupplicia. Euangelium de ſanato infirmo qui habebat triginta & octo annos in infirmitate, & iacebat ſub porticu ad probaticam piſcinam, optime conuenit lectioni quæ promittit ſanitatem de omnibus iniquitatibus conuertenti ſe ad Dominum. B. Aug. religiosè & ingenioſè explicat hoc Euãgeliũ, e cuius tractu nõnulla tranſcribimus: optime enim conueniũt tempori Quadrag. & hac feria quatuor temporum diutius immorandum eſt ſtudio rerum diuinarum. Sic igitur ille beatus, ad illa verba noſtri Euangelij: Triginta & octo annos habebat in infirmitate. *Hic numerus quomodo magis ad languorem pertineat, quam ad ſanitatem, paulo diligentius exponendum eſt. Intentos vos volo: aderit Dominus, vt congrue loquar, & ſufficienter audiatis. Quadragenarius numerus ſacratus nobis in quadam perfectione commendatur. Notum eſſe arbitror charitati veſtræ. Teſtantur ſæpiſſimè diuinæ Scripturæ: ieiunium hoc numero conſecratum eſſe bene noſtis. Nam & Moyſes quadraginta diebus ieiunauit, & Helias totidem: & ipſe Dominus noſter & Saluator Ieſus Chriſtus hunc ieiunij numerum impleuit. Per Moyſen ſignificatur lex, per Heliam ſignificantur Prophetæ, per Dominum ſignificatur Euangelium. Ideo in illo monte tres apparuerunt, vbi ſe diſcipulis oſtendit in claritate vultus & veſtis ſuæ. Apparuit enim medius inter Moyſen & Heliam, tanquam Euangelium teſtimoniũ haberet a lege & Prophetis.*

Aug. in Ioan. tract. 17.

Exod. 24 d. 18. & 34. d. 28. 3. Reg. 19 b. 8. Matt. 4. a. 2.

Mat. 17. a. 3. De conſ. diſ. 5. cap. ieiunium.

Sine

Siue ergo in lege, ſiue in Prophetis, ſiue in Euangelio, quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur. Ieiunium autem magnum & generale eſt, abſtinere ab iniquitatibus & illicitis voluptatibus ſæculi: quod eſt perfectum ieiunium, vt abnegantes impietatem, & ſeculares cupiditates, temperanter & iuſte & pie viuamus in hoc ſæculo. Huic ieiunio quam mercedem addit Apoſtolus? Sequitur & dicit: Expectantes illam beatam ſpem & manifeſtationem gloriæ B. Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. ad Tit 2. d. 13.

In hoc ergo ſæculo quaſi Quadrageſimam abſtinentiæ celebramus. cum bene viuimus, cum ab iniquitatibus & ab illicitis voluptatibus abſtinemus. Sed quia hæc abſtinentia ſine mercede nõ erit, expectamus beatam illam ſpem, & reuelationem gloriæ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. In illa ſpe, cũ fuerit de ſpe facta res, accepturi ſumus mercedem denarium. Matt. 20. b. 9.

Ipſa enim merces redditur operariis in vinea laborantibus ſecundum Euangelium, quod vos credo reminiſci: neque enim omnia commemorãda ſunt tanquam rudibus & imperitis. Denarius ergo qui accepit nomen a numero decem redditur: & coniunctus quadragenario fit quinquagenarius. Vnde cum labore celebamus Quadrageſimã ante Paſcha, cum lætitia vero tanquam accepta mercede, quinquageſimã poſt Paſcha. Nam huic tanquam ſalutari laborí boni operis, qui pertinet ad quadragenariũ numerũ, additur quietis & fœlicitatis denarius, vt quinquagenarius fiat. Significauit hoc & ipſe Dominus Ieſus multo apertius, quando poſt reſurrectionem quadraginta diebus conuerſatus eſt in terra, cum diſcipulis ſuis, quadrageſimo autem die cum aſcendiſſet in cœlum, peractis decem diebus miſit mercedem Spiritus ſancti. Significata ſunt iſta, & quibuſdam Act. 1. a. 3. Act. 2. a. 1.

ſignifi-

significationibus res ipsæ præuentæ sunt. Significationibus pascimur, vt ad res ipsas perdurantes peruenire possimus. Operarij enim sumus, & adhuc in vinea laboramus: finito die finito opere, merces restituetur. Sed quis operarius perdurat ad percipiendam mercedem, nisi qui pascitur cum laborat? Non enim & tu operario tuo mercedem solam daturus es. Non etiam afferes illi vnde vires reparet & in labore? Pascis vtique cui mercedem daturus es. Proinde & nos Dominus in istis scripturarum significationibus laborantes pascit: nam si ista intelligendorum Sacramentorum lætitia subtrahatur a nobis, deficimus in labore, & non erit qui perueniat ad mercedem. Quomodo ergo quadragenario numero perficitur opus? Fortasse ideo quia lex in decem præceptis data est, & per totum mundum prædicanda erat lex: qui totus mundus quatuor partibus commendatur, Oriente & Occidente, Meridie & Aquilone. Vnde denarius per quatuor multiplicatus, ad quadragenarium peruenit: Vel quia per Euangelium quod quatuor libros habet, impletur lex quia in Euangelio dictum

Matt. 5. b. 17. *est: Non veni soluere legem, sed adimplere. Siue ergo illa, siue ista sit causa, siue alia aliqua probabilior, quæ nos latet, doctiores non latet: certum est tamen quadragenario numero significari quandam perfectionem in operibus bonis, qua maximè opera bona exercentur in abstinentia quadam, ab illicitis cupiditatibus sæculi, hoc est, generali ieiunio. Audi & Apostolum dicentem: Plenitudo legis charitas. Cha-*

Rom. 1. 3. 6. 10. *ritas vnde? Per gratiam Dei per Spiritum sanctum. Non enim habemus illam ex nobis, quasi facientes*

Rom. 5. a. 5. *illam ex nobis. Dei donum est, & magnum donum: quoniam charitas Dei, inquit, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Charitas

Charitas ergo implet legem, & veriſſime dictum eſt: Plenitudo legis charitas. Quæramus hanc charitatem, qua admodum commendatur a Domino. Memeniote quid propoſuerim. Numerum triginta octo annorum in illo languido volo exponere. Quare numerus ille trigeſimus & octauus languoris ſit potius quam ſanitatis. Ergo, vt dicebam, charitas implet legem. Ad plenitudinem legis in omnibus operibus pertinet quadragenarius numerus: in charitate autẽ duo præcepta nobis commendantur. Sniuemini obſecro & figite memoriæ quod dico ne ſitis contemptores verbi, ne fiat anima veſtra via, vbi grana iacta non germinent: & venient inquit volatilia cæli & colligent ea. Percipite & recondite in cordibus veſtris. Charitatis præcepta duo ſunt a Domino commẽdata. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: & diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Merito & illa vidua omnes facultates ſuas, duo minuta miſit in dona Dei. Merito & pro illo languido a latronibus ſauciato, ſtabularius duos nummos accepit, vnde ſanaretur. Merito apud Samaritanos biduum fecit Ieſus, vt eos charitate firmaret. Binario ergo iſto numero cum aliquid boni ſignificatur, maxime biperita charitas commendatur. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, & lex non impletur niſi in gemino præcepto charitatis: quid miraris quia languebat, quia quadraginta duo minus habebat? Videamus proinde iam quo Sacramento iſte languidus curetur a Domino. Venit enim ipſe Dominus, charitatis doctor, charitate plenus, breuiãs, ſicut de illo prædictum eſt, verbum ſuper terram: & oſtendit in duobus præceptis

Marc. 4. a. 3. Luc. 8. a. 5.

Mat. 22. d 37. Luc. 21. a. 2.

Luc. 10. f. 35.

Iſai. 10. f. 23. & 28. f. 22

Rom. 9. f. 28.

ceptis

ceptis charitatis pendere legem & Prophetas. Inde ergo pependit Moyses quadragenario suo, inde Helias cum suo, hunc numerum attulit. Dominus in testimonio suo. Curatur iste lãguidus a præsente Domino, sed prius quid ei dicit? Vis sanus fieri? Respõdit ille hominem se non habere, a quo in piscinam mittatur. Vere necessarius erat illi homo ad salutem: sed homo ille qui & Deus est. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Venit ergo homo qui erat necessarius. Quare sanitas differtur? Surge, inquit, tolle grabatum tuum, & ambula. Tria dixit: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Sed surge, non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis. Sano autem duo imperauit, tolle grabatum tuum, & ambula. Rogo vos, cur non sufficeret ambula? Aut certe cur non sufficeret, surge? Neque enim ille cum sanus surrexisset, in loco remãsisset. Nonne ad hoc surrexisset vt abiisset? Monet ergo me etiam, quod duo præcepit, qui illum iacentem duobus minus inuenit. Tanquam enim duo quædam iubẽdo quod minus erat impleuit. Quomodo ergo inueniamus in his duobus Dom. iussis duo illa præcepta significata esse charitatis? Tolle, inquit, grabatum tuum, & ambula. Qua sunt illa duo præcepta, fratres, recolite mecum. Notissima enim esse debent, nec modo tantum venire in mentem cum commemorantur a nobis, sed deleri nunquam debent de cordibus vestris. Semper omnino cogitate, diligendum esse Deum & proximum. Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente: & proximum tanquam teipsum. Hæc semper cogitanda, hæc meditanda, hæc retinenda, hæc agenda, hæc implenda sunt. Dei dilectio prior est ordine faciendi. Neque enim quæ tibi præciperet dilectionem istam in duobus præceptis, prius

Ioan. 5. a. 6.

1. Tim. 2. b. 5.

Ioan. 5. b. 8.

Deut. 6. a. 5.

Mat. 22. d. 37.

prius tibi commendaret proximum, & postea Deũ: sed prius Deum postea proximum. Tu autem quia Deum nondum vides, diligendo proximum promereris quem videas: dilgendo proximum purgas oculum ad videndum Deum, euidenter Ioanne dicente: Si fratrem quem vides non diligis, Deum quem non vides quomodo diligere poteris? Ecce dicitur tibi dilige Deum. Si dicas mihi, ostende mihi quem diligam: quid respondebo, nisi quod ait ipse Ioannes? Deum nemo vidit vnquam. Et ne te alienum omnino a Deo videndo esse arbitreris: Deus, inquit, charitas est: Et qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Dilige ergo proximum: & intuere in te vnde diligis proximum, ibi videbis vt poteris Deum. Incipe ergo diligere proximum. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto, induc in domum tuam. Si videris nudum, vesti, & domesticos seminis tui ne despexeris. Faciens autem ista quid consequeris? Tunc erumpet velut matutina lux tua. Lux tua Deus tuus est, tibi matutina, quia post noctem seculi tibi veniet: iam ille nec oritur nec occidit, quia semper manet. Erit tibi matutinus redeũti, qui tibi occasum fecerat pereũti. Ergo tolle grabatũ tuũ, mihi videtur dixisse, dilige proximũ tuum. Sed clausum est adhuc, & expositione indiget quãtũ arbitror, quare in tollendo grabato dilectio proximi cõmẽdatur: nisi forte hoc nos offendit, quia per grabatum rẽ quandã stolidam & insensatã, proximus cõmẽdatur. Nõ irascatur proximus si cõmendatur nobis per rẽ que sine anima & sine sensu est. Ipse Dominus & saluator noster Iesus Chr. lapis angularis dict⁹ est, vt duos conderet in se. Dictus est & petra, vnde aqua profluxit: Petra aute erat Christus. Quid ergo mirũ si petra Christus, lignũ proximus? Notamẽ qualecũq;

1. Ioã. 4. d. 20.

Ioan. 1. b. 8. 1. Ioã. 4. c. 16.

Esa. 58. v. 7.

Ephes 2. c. 15. 1. Cor. 10 a. 4.

lignum, quomodo nec illa qualiscunque petra: sed
Ephes 2. c. 15. vnde aqua profluxerat sitientibus. Nec qualiscunq; lapis, sed angularis: qui in semetipso copulauit duos parietes e diuerso venientes. Sic nec qualecunque lignum proximum acceperis sed grabatum. Quid ergo in grabato obsecro te? Quid nisi quia ille lāgu dus grabato portabatur? Sanatus autem grabatum portat. Quid dictum est ab Apostolo? Inuicem onera
Gal. 6. a. 2. vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi: Lex ergo Christi charitas est, nec charitas impletur nisi inuicem onera nostra portemus. Sufferentes, inquit,
Ephes 4 c. 2. inuicem in dilectione: studentes seruare vnitatem Spiritus in vinculo pacis. Cum esses languidus portabat te proximus tuus: sanus factus es, porta proximū tuum. Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi. Sic adimplebis ô homo quod ibi deerat. Tolle ergo grabatum tuum, sed cum tuleris,
Deut. 6 a. 5. noli remanere, ambula. Diligendo proximum & curam habendo de proximo tuo, iter agis. Quo
Mat. 22. d. 37. iter agis, nisi ad Dominum Deum tuum: at eum diligere debemus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Ad Dominum enim nondum peruenimus, sed proximum nobiscum habemus. Porta ergo eum cum quo ambulas: vt ad eum peruenias, cum quo manere desideras Tolle ergo grabatum tuum, & ambula. Fecit hoc ille, & scandalizati sunt Iudæi. Videbant enim hominem die Sabbathi portantem grabatum suum, nec calumniabantur Domino quod sanum eum fecerat Sabbatho, vt ei responderi posset, quia si cuiusquam eorū iumentum in puteum cecidisset, vtique die Sabbathi erueret illud, & saluaret iumentum suum. Non itaque eam illi obiiciebant quod die Sabbathi sanus factus esset homo, sed quod portaret grabatum suum. Si sanitas

non

erat differenda, nunquid & opus fuerat imperandū? Non licet tibi, *inquiunt* facere quod facis, tollere grabatum tuum. *Et ille autorem sanitatis suæ obijciebat calumniatoribus:* Qui, *inquit* me fecit sanum ipse mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. *Non acciperem iussionem a quo acceperam sanitatem? Et illi:* Quis est ille homo qui tibi dixit: Tolle grabatum tuum & ambula? Sed qui sanus erat factus nesciebat quis esset. *a quo hoc audierat.* Iesus autem *cum hoc fecisset & iussisset,* declinauerat ab eo in turba. *Videte quemadmodum & hoc impleatur. Portamus proximum, & ambulamus ad Deum: sed eum ad quem ambulamus nondum videmus. Ideo & ille nondum nouerat Iesum. Sacramentum hoc commendatum est quia in eum credimus quem nondum videmus: & vt non videatur declinat in turba. Difficile est in turba videre Christum. Solutudo quædam necessaria est menti nostræ; quadam solitudine inquisitionis videtur Deus. Turba strepitum habet, visio ista secretum desiderat. Tolle grabatum tuum porta portatus proximum tuum, & ambula vt pervenias. Noli Iesum quærere in turba, non est tanquam vnus de turba. Præuenit omnem turbam. Prior ascendit de mari piscis ille magnus, & in cœlis sedet interpellans pro nobis. Tanquam Sacerdos magnus, vnus intrauit in interiora veli, turba foris stat. Ambula tu qui portas proximum tuum, si didicisti portare, qui solebat portari. Denique modo nondum nosti Iesum nondum vides Iesum. Quid postea sequitur? Quoniam non destitit ille tollendo grabatum suum & ambulando. Vidit eum postea Iesus in templo. In turba non eum vidit, in templo vidit. Dominus quidem Iesus & in turba eum videbat & in templo: ille autem lāguidus*

Ioan. 5. v. 10.

Iesum in turba non cognoscit, in templo cognoscit. Pervenit ergo ille ad Dominum: vidit eum in templo, vidit eum in loco sancto. Et quid ab eo audit? Ecce iam sanus factus es, noli peccare, ne quid tibi deterius contingat *Tunc ille postea quam vidit Iesum, & cognouit Iesum authorem sanitatis suæ, non fuit piger in euangelizando quæ viderat.* Abijt, & nunciauit quia Iesus esset, qui eum sanum fecerat. *Ille annunciabat, & illi insaniebant. Ille salutem suam prædicabat, illi salutem suam non quærebant.*

Offertorium quod sequitur, sic accipiendum est, ac si illud pronunciasset iste infirmus triginta octo annorum sanatus a Domino postquã inuenit Iesum in templo, & cepit euangelizare gratiam Dei. Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, renouabitur sicut aquilæ iuuentus mea Et ab eodem infirmo dicitur contra Iudæos reprehendentes ium quod pareret Domino, & quod prædicaret gloriam Jesu. Erubescant & cõturbetur omnes inimici mei aduertantur retrorsum, & erubescant valde velociter. Quæ verba recitantur in Communione, quibus illis prædicit interitum, si non conuertantur: & petit iis a Domino erubescentiam necessariam pœnitenti, quam nobis tribuere dignetur qui talem infirmum sic sanauit.

MISSA FERIÆ SEXTÆ QVATVOR TEMP. QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

Psal. 24. DE necessitatibus meis eripe me Domine: vide humilitatem meam, & laborem meũ, & di-

& dimitte omnia peccata mea.

Pſal. Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido non erubeſcam. *Ibidem.*

Verſ Gloria Patri, &c. *Oremus.*

ESto, Domine, propitius plebi tuæ: & quã tibi facis eſſe deuotam, benigno refoue miſeratus auxilio. Per Dominum.

PRecibus noſtris quęſumus Domine aurem tuæ pietatis accõmõda & orationes ſupplicum, occultorum cognitor benignus exaudi: vt te largiente, ad vitã perueniãt ſempiternam.

HVius nobis parſimoniæ quæſumus Domine præbe mentiam, vt quod licentiæ carnis auferimus, ſalutarem nobis fructum mentis adquirat. Per Dominum.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

HÆc dicit Dominus Deus. Anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatẽ patris: & pater nõ portabit iniquitatẽ filij. Iuſtitia iuſti ſuper eũ erit: & impietas impij erat ſuper eum. Si autẽ impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit vniuerſa præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iuſtitiã, vita viuet, & nõ morietur. Omniũ iniquitatum eius, quas operatus eſt, nõ recordabor. In iuſtitia ſua, quã operatus eſt, viuet. Nũquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus, & nõ vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat? Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius: nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. *Cap. 18.*

In præuaricatione ſua, qua præuaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccauit, in ipſis morietur. Et dixiſtis: Non eſt æqua via Domini. Audite ergo domus Iſraël. Nunquid via mea non eſt æqua, & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt? Cum enim auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis. In iniuſtitia, quam operatus eſt, morietur. Et cum auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam: ipſe animã ſuam viuificabit. Conſiderans enim, & auertẽs ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis, quas operatus eſt: vita viuet & non morietur, ait Dominus omnipotens.

Pſal 85 *Graduale*. Saluum fac ſeruum tuum Deus meus, ſperantem in te.

Pſal. 102. ℣ Auribus percipe Domine orationẽ meã.

Tractus. Domine, non ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Pſal. 78. *Verſ* Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarũ: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Ibidem. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Cap 5. IN illo tempore: Erat dies feſtus Iudæorum: & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis Probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium,

guentium, cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini secundum tempus descendebat in piscinam: & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat, a quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognouisset quia iam multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei infirmus: Domine, hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbathum in illa die. Dicebant ergo Iudæi, illi, qui sanus factus fuerat: Sabbathum est, non licet tibi tollere grabatum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, & ambula? Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat, quis esset. Iesus autem declinauit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi. Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat. Abijt ille homo, & nuntiauit Iudæis, quia Iesus esset, qui fecit eum sanum.

Offertorium. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: & renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. *Psal.102*

Vers.1. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus

tibus tuis,& redimit de interitu vitam tuã, qui coronat te in miſeratione & miſericordia.

Verſ.2. Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors.

Secreta.

SVſcipe,quęſumus,Domine,munera noſtris oblata ſeruitijs: & tua propitius dona ſanctifica. Per Dominum.

Prafatio.

AEterne Deus. Qui ieiunij obſeruatione, & eleemoſynarum gratiſſima largitione,nos docuiſti noſtrorũ remedia cõſequi peccatorũ:Vnde tuã imploramus clementiã,vt his obſeruationibus, & cęteris bonorum operum exhibitionibus muniti; ea operemur, quibus ad æterna gaudia conſequenda, & ſpes nobis ſuppetat & facultas. Per Chriſtum.

Communio. Erubeſcant, & conturbentur omnes inimici mei: auertantur retrorſum, & erubeſcant valde velociter. *Pſal. 6.*

Poſt-Communio.

PEr huius, Domine, operationem myſterij, & vitia noſtra purgentur, & iuſta deſideria compleantur. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

EXaudi nos miſericors Deus: & mentibus noſtris gratiæ tuę lumen oſtende. Per Dominum.

COnſerua quæſumus Domine populum tuum, & ab omnibus quas meretur, aduerſitatibus redde ſecurum: vt tranquillitate percepta, deuota tibi mente deſeruiat. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus qui Niniuitarũ culpas ita ferire disposuit, vt potius eligeret misereri conuersis; nos benedictione sua ditatos, dignè faciat pœnitere, quod male gessimus: & largiatur præmia, quæ piè desideramus. *Amen.*

Cõcedatque humilitati nostræ, vt ita corpora, amplectẽdo parsimoniam ab epulatum delicijs abstineant, quatenus mentes nostræ esurientes & sitientes iustitiam, ab illecebris male blandientium ieiunent vitiorum. *Amen.*

Accendat corda nostra timore casto, & amore perfecto, vt euadamus mala ista timenda: & adipiscamur bona perennia beatis speranda. *Amen.*

Quod ipse præstare dignetur.

SABBATHVM QVATVOR TEMPORVM QVADRAGESIMÆ.

De ordinatione Diaconorum.

SABBATHO *quatuor temporum Aduentus, explicauimus cur ista Sabbatha dicerentur in duodecim lectionibus, cur Dominica sequens Dominica vacans, & quomodo nõ in Sabbatho sed in Dominica fieret ordinatio Quãobre non sunt illa hic repetenda; vnum modo est faciendũ; vt sicut illuc tractauimus de ordinatione presbyterorum, sic idem hic faciamus de ordinatione Diaconorum. Nõ quod Sabbatho olim fuerit facta Diaconorum ordinatio, sed quod nostris moribus id fiat nũc Sabbatho ante meridiẽ; traxerũt enim*

enim mores populi in suas partes, veterem Ecclesiæ consuetudinem: vt iam nec Missa fiat hora nona, neque vespera tempore vespertino: nec post vesperam a qua incipit Dominica fiant ordinationes, sed contra; quia ferre homines non ieunia, non Missas, non vigilias tam tardas facile poterant factum est vt antiqua religionis seueritas, cederet generali & quod fertur ciuiliori hominum consuetudini Et quidem vox Græca Diaconorum est notæ significationis: qua ministrum illi vocare consueuerunt: & diaconiam ministerium & officium alicui incumbens. Qua in re notandum est, Apostolos in Ecclesia Christi sectatos fuisse summam humilitatem vocabulorum: quid enim humilius quam vt tantæ rei principes vocarentur Apostoli, id est nuncij siue missi vt illi qui certæ plebis supremam curam acciperent, dicerentur solummodo Episcopi, id est inspectores: vt deinde qui vocati erant in partem Episcopalis ministerij, vocarentur Presbyteri, id est seniores magis eos commendantes hac voce, morum grauitate quam imperij alicuius excellentia. Vt postremo isti dicerentur Diaconi: licet eorum munus esset Angelicum Qua nam vero ratione, resista quam

48. 7. *simus explicaturi, venerit in vsum Ecclesiæ Christi, non est longè petendum: describit eam B. Lucas, in hanc sententiam. Narrat actuum Apostolicorum cap 7 Cum adhuc omnes duodecim essent Hierosolymis, cum neque ad gentes neque extra eam vrbem progressa esset prædicatio Euangelij, ingentem fuisse nihilominus multitudinem credentium seu discipulorum; ad primam enim concionem Petri baptizatæ fuerant, appositæ fuerant in die illa animæ circiter tria millia. Et breuissimo tempore post, cum claudum sanasset Petrus, & iterum prædicasset: Multi,*

inquit,

inquit, Lucas eorum qui audierant verbum, crediderunt: & factus est numerus virorũ quinque millia. Et rursum mortuis Anania & Sapphira, cum per manus Apostolorum fierent prodigia multa in plebe, magis augebatur credentium in Dominum multitudo, virorum & mulierum: tanta, vt eius rei fama concurreret multitudo vicinarum ciuitatum: vt magistratus templi non auderent vim facere Apostolis; timebant enim populum ne lapidarentur. Et quidem tanta credentium multitudo viuebat in commune, eo modo quo res illa descripta est ab eodem B. Luca in qua vitæ communione illud euenit: vt inter istos credentes amulatio atque murmur sit exortum. Erant quidem omnes isti credentes ex circuncisione, sed eorum nonnulli Palæstini, alij Iudæi peregrini qui vno nomine Græci appellabantur. Inter istos itaq; Græcos & Hebræos orta est ea contentio; vt diceret Græci despici in ministerio quotidiano viduas suas: constituerant enim Apostoli viduas quæ prouiderent necessitatibus istius communis vitæ fructum. Et præterea viduæ alebantur de publico. In huius itaque vel ministerij præstatione, vel etiam eleemosynarum datione & præbitione alimentorũ, dicebant Græci, magis obseruari viduas indigenarũ quam suas. Ne igitur ista contentio humano more latius progrederetur: conuocantes duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: Inter vos non conuenit & nos: Apostoli non possumus vacare viris q; vestris necessitatibus; vt ministremus vobis simul & verbum Dei, & necessitates mensarum vestrarum: id est vt prouideamus ijs quæ pertinent ad sustinendam vitam vestram temporalem. Hoc enim & mẽse nomine in scripturis intelligitur, vnde illud in Psalmo: Nunquid poterit parare mensam in deserto,

parare

parare mensam populo suo. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto & sapientia: quos constituamus super hoc opus. Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto: & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum; & orantes imposuerunt eis manus. Atque hæc est historia primorum Diaconorum, qui fuerunt præsentati & electi à multitudine credentium, & fuerunt ordinati: acceperunt potestatem faciendi id, cui erant destinati ab Apostolis, & hoc per orationem & manus impositionem. Et quidem fuisse magnam dignitatem in Ecclesia istorum Diaconorum ex textu B. Lucæ, liquido constat, monetur multitudo credentium, vt considerate, vt prudenter eligat viros boni testimonij, plenos Spiritu sancto, & sapientia. Cum oratione imponunt eis manus Apostoli. Epiphanius dicit istos septem fuisse ex numero 72. discipulorum. Eligitur Stephanus vir tantus, plenus gratia & fortitudine, faciens prodigia & signa magna in populo; cum quo disputant Synagogæ & non possunt resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur, qui in concilio ipsis hostibus apparet facie, tanquam facie Angeli: qui moriturus vidit cœlos apertos, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei: qui est primitiæ Martyrum: qui moriens orat pro inimicis, & facit Saulum persequentem, Paulum vas electionis. Eligitur Philippus, qui euangelizat Eunucho. Paulus quoque scribens Thimotheo, quales oporteat esse Episcopos, continuo sermone

1. Tim. 3. *Diacones inquit oportet similiter esse pudicos: non bilingues, non multo vino deditos, non turpelucrum sectan-*

sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum: & sic ministrent nullum crimen habentes. Deinde explicans, quales quoque debeant esse mulieres ministrantes seu diaconissæ: vult eas esse pudicas non detrahentes, sobrias fideles in omnibus. Redit rursum ad Diaconos: sint inquit, vnius vxoris viri: qui filiis suis bene præsint, & suis domibus. Qui enim bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquiret, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu. Ex istis itaque verbis Pauli planè constat, duo fuisse munera Diaconorum: procurationem eleemosynarum seu necessitatum humanarum, ad quod pertinet non bilingues: non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: & administrationem aliquam rerum sacrarum, ad quod pertinet, habentes mysterium fidei in conscientia pura hoc est qui sint potentes verbo & opere. Quæres non requiritur a Paulo in mulieribus ministrantibus: solummodo vt præter pudicitiam, non sint garrulæ, & detractrices sint sobriæ & fideles in omnibus negocijs. Errant igitur qui putant delectos fuisse Diaconos, vt ministrarent mensis viduarum, quam sententiam optimis rationibus refutat Baronius: annalium libro primo. Quin huic illorum sententiæ repugnat recta naturalis ratio. Neque enim accidere hoc potuit, in ordinatissima Ecclesia Dei, vt ea tanti faceret fœminas, vt ad sternendum earũ mensas, ad cibos inferendos sic laboraret. Quin contra, Ecclesia, fœminas anus, boni testimonij, volebat ipsas ministrare sanctas, & esse diaconissas. Deinde toto genere vile est, istud ministerium sternẽdi mensas. Quopacto igitur adduci potuisset Apostoli, vt tãtos viros huic muneri præficeret, cũ Paulus de cotrouersijs decidẽdis, quæ de negocijs humanis inciderent, sic scribat Corinthijs: 1. Cor. 6.

Secularia

Secularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Si igitur Paulus hoc dixit de magno & necessario negocio seculari, qui potuit accidere, vt viliori negocio tantam, tam excellentem curam Apostoli adhiberent. Obstat vero huic nostræ sententiæ, canon sextus decimus sextæ Synodi: vbi nominatim dicuntur isti septem Diaconi constituti ab Apostolis non ad aliquod munus sacrum sed fuisse illis concreditam & traditam dispensationem eorum, quæ tunc collecta erant: sed laborat authoritas istorum canonum; & vt maximè concedatur hoc fuisse illis concreditum non sequitur, vt non etiam in alijs rebus sacris, Apostolis ministrauerint præsertim cum vt ostendit Baronius tunc vna atque eadem mensa, seruiret corpori per cibum naturalem, & animæ per panem supersubstantialem. Quin neque hoc studio fuit patribus, a quibus conditi sunt canones qui dicuntur sextæ Synodi: vt docerent in Ecclesia munus Diaconorum esse prophanum: tale, quod cuiuis viro probo instrumento mandati committi possit. Cuiusmodi sunt qui nostris moribus per parochias præficiuntur vel collectis eleemosynarum, vel curationi ædificij, & suppellectilis Ecclesiarum: qui etiam generali voce dici possunt Diaconi; sicut & mulieres ministrantes in Ecclesia dicebãtur Diaconissæ: Quin contra eadem Synodus, passim multis canonibus docet, esse in Ecclesia munus sacrum Diaconorũ præbentium immaculatam communionem. Nec aliud vult hic iste canon decimus sextus quam quod originem eorum Diaconorum, qui ministrãt mysterijs: non putet profectam esse ab isto exemplo Apostolorum. Quibus credi contra tot priora concilia, & graues alias authoritates, difficulter potest. B. Igna-

Can. 4. 13 16. 23. 28.

tius,

tius, qui vixit cum Apostolis, sic scribit ad Trallianos: Oportet & diaconos mysteriorũ Christi ministros per omnia placere: nec enim ciborum & potuum ministri sunt sed Ecclesiæ Dei administratores. Et inferius. Quid vero Diaconi, quam imitatores Angelicarum virtutum? qui purum & inculpatum ministerium illis exhibent, Sacerdotibus scilicet, vt sanctus Stephanus beato Iacobo, Timotheus & Linus Paulo Anacletus & Clemens Petro: qui igitur his non obedit atheos prorsus & impius est. &c Rursus ad Heronem Diaconum: Nihil inquit sine Episcopis facito: Sacerdotes enim sunt, tu vero Sacerdotum minister: baptizant sacrificant eligunt, manus imponunt: tu vero illis ministras, vt S. Stephanus Jacobo, & presbyteris qui erant Hierosolymis. Hæc Ignatius. Fuisse vero hoc factum Apostolorum tale, vt etiam extra Hierosolymam id esset imitandum, probat Epistola Pauli ad Timotheum. Concilium Neocæsariense, Synodus Romana sub Silvestro Eusebius qui hoc exemplo in maximis quibusq; ciuitatibus nisi septem Diaconos statuunt non esse ordinandos: & per parochias non plures duobus. Fuisse vero in sacro ministerio altaris & tractatione mysteriorũ vsum Diaconorum & istis Diaconis multa per canones imperari, multa vetari quæ laicis non consueuerunt, tam est obuium omnibus locis, vt nullum fere sit concilium, quo non etiam res ista occurrant. Concilium Aquisgranense non est illud quidem antiquissimum, tamen quia ex antiquis conciliorum canonibus, & patrum sententiis est consarcinatum, parem authoritatem obtinere id oportet. In eo itaq; cor tilio cap. 7. de Diaconis, post explicatum exemplum Leuitarum veteris legis, deinde recitato institu to Apostolorũ, quod ex Actibus cõmemorauimus,

Ignat. Epist. ad

Idem. Ep. ad Ir.

hac

hæc sequuntur. Ex hinc iam decreuerunt Apostoli vel successores Apostolorum, per omnes Ecclesias 7. diaconos ordinandos esse, qui sublimiori gradu cæteris, proxime circa aram Christi, quasi columnæ altaris, assisterent: & non sine aliquo septenarij numeri mysterio. Hi enim sunt, quos in Apocalypsi legimus,
Apoc. 8. b. & 1. c. 10. a. 7. Angeli tubis canentes. Hi sunt 7. candelabra aurea. Hi voces tonitruorum. Ipsi enim clarâ voce in modum preconis admonent cunctos: siue in orando, siue in flectendo genua, siue in psallendo, siue in lectionibus audiendis. Ipsi etiam, vt aures habeamus ad Dominum clamant. Ipsi quoque euangelizant: sine ipsis Sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est. Ille orare, hic psallere mandat. Ille oblata sanctificat: hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam Sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit a Diacono. Leuitæ inferunt oblationes in altaria, Leuitæ componunt mensam Domini, Leuitæ operiunt arcam testamenti: Non enim omnes vident alta mysteriorum, quæ operiuntur a Leuitis, ne videant, qui videre non debent: & sumant, qui seruare non possunt. Qui propterea altari albis indu-
1. Tim. 3. a. ti assistunt, cœlestem vitam habeant, candidiq; ad hostias, & immaculati accedant, mundi scilicet corpore, & incorrupti pudore. Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio; sed potius puri eminentiâ castitatis splendeant. Quales autem Diaconi ordinentur, Apostolus Paulus plenissime scribit ad Timotheum. Nã cum præmisisset de Sacerdotum electione, continuo subiunxit: Diaconos similiter irreprehensibiles, hoc est, sine macula sicut Episcopi. Pudici vtique, id est,

a libidine

à libidine continentes. Non bilingues, scilicet, ne cõturbent habentes pacem. Non multo vino deditos: quia vbi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. Non turpè lucrum sectantes, ne de cœlesti mysterio, lucra terrena sectentur. Est quoque turpis lucri appetiti, plus de præsentibus quam de futuris cogitare. Post hæc subiecit: hi autem probentur primum, & sic ministrent: nullum crimen habentes. Hi vtique sicut Episcopi, ante ordinationem probari debent, si digni sint, & sic postea ministrare. Sunt præterea in cæterorum conciliorum, canonibus multa, quæ pertinent ad officium Diaconorum, è quibus hoc mihi videor intelligere, Diaconis vsos fuisse episcopos ad varia atque ea diuersa munera, est enim vbi cura pauperum & hospitalium ijs demandatur; est vbi vocantur oculi Episcoporum, non solum quia semper ei præsto sunt ad eius defensionem & tutelam, contra insidias & calumniatores, vt scribit Euaristus: verum & ea ratione, quod vt scribit Clemens Romanus, ad Diaconos pertineret, vt essent oculi Episcopi: oberrantes & circumlustrantes cum verecundia, actus totius ecclesiæ; & perscrutantes diligentius, si quem viderent vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato; vt hoc referant episcopo, vt moneant negligentiores in audiendo verbo Dei. Item vt perquirant eos, qui secundum carnem ægrotant, & moneant plebem, vt eos visitent, & ijs necessaria tribuant: & de peregrinis similiter Episcopo suggerant refouendis; & cætera his similia, quæ ad cultum ecclesiæ & disciplinam eius pertinent, diaconis curæ sunt. Erat igitur munus Diaconorum, dignitate & hierarchica potestate, minus ea quã habebant presbyteri, qui erant vice Episcoporum, nam sicut presbyteri, præcipuè ea ratione erant inferiores Ibidem.

In decretis Euaristi. Tom. 1. Concil. In epist. prima ad Iacobum fratrem Domini.

episcopis, quod carerent potestate ordinandi: sic Diaconi ea ratione præcipuè differebant à Presbyteris, quod eorum munus careret potestate Sacramẽtali consecrandi & benedicendi. Quam etiam ob

Concil. Carthag. 4 cap. 7. *causam multis canonibus Diaconi subijciuntur vt Episcopis, sic etiam presbyteris, verum quia maiorem habebant facultatem, vel bene merendi vel nocendi, pecuniaria quoque ratio eleemosynarum ad*

Can. 7. Sexta Synod. *eos pertinebat, Diaconorum quoque opera Episcopi in grauissimis sepe negocijs vterentur, varia officia & munera ecclesiastica obtinerent, in Sardicensi concilio statueretur, vt qualescunque preces habuerint episcopi ad palatium, diaconi eas perferant.*

Can 9. *Non equidem mirari oportet, si contendere cum presbyteris & ausi illi fuerunt, & multis ea temeritas canonibus est repressa, videmus istud quotidie in aulis principum, vt Secretarij licet gradu sint inferiores consiliarijs; sepenumero eos vincant & gratiâ apud principem, & existimatione apud populũ. Quin etiam hoc animaduertimus in presbyteris, & Diaconibus Cardinalibus vrbis Romæ; qui supra Episcopos in tantum se splendorem extulerunt, propter prærogatiuam electionis, & ius deliberandi cum Papa. In quo ordine Cardinalium, illi etiam vocantur Diaconi Cardinales, qui Diaconi sacri ordinis non existunt, ea nominis ratione quod habeant in titulos Diaconias, id est hospitalia pauperum cum suis capellis, & istarum Diaconiarum, olim re, nunc verbo sint proprij & principales hospitarii. Quin ex epist. 24. lib. 9. B. Gregorij istarum Diaconiarum administratio, videtur Romæ fuisse eiusmodi; vt ea tribueretur non per manus impositionem, sed per instrumenta & literas: sic enim ibi mensa pauperum, & exhibitio diaconiæ videtur*

fuisse

fuisse attributa, cuidam Ioanni religioso. Sic etiam Archidiaconi nunc illi dicuntur, qui habent illud munus Diaconorum, quod ex Clemente descripsimus, qui etiam retinent hoc nomen, licet Diaconorum gradum excesserint, & sint vt plurimum presbyteri, vt Diaconatus hac in re non sit ordo sed veteris ordinis Diaconalis, officium & munus tributum cuiuis è clericali ordine. Et hac quidem ex vetere memoria, cum in Ecclesia id res essent quod dicerentur. Nunc vero Diaconorum non fere est alius vsus in ecclesia, quam quod non nisi per eum gradum collatum, dico collatum, non etiam administratum, nemo ascendat ad presbyterium: & quod in Missis solennibus, certa sint ibi eorum officia; præcipuè lectio Euangelij. Quæ consuetudo tam est vetus, vt inueniatur probata concilio Vasensi, temporibus Leonis Magni. Verum licet hæc ita nunc fiant, Ecclesia nihilominus Diaconos tam nunquam liberauit præstatione eorum munerum, quibus eos canones obligarunt: vt etiam eius rei nomine moneantur à Concilio Tridentino; & Episcopi suo equidem iure, vt existimo, exigere eadem possent a Diaconis, quos equidem tales optare omnes debemus, quales in hoc ordine fuerunt, Stephanus & Laurentius. Quod illis ieiunio & oratione præcandum est à Domino, vt vel manentes in eo ordine, sic placeant Deo, vt luceant coram Deo & hominibus; vel vt dicat eis Dominus. Ascende sursum: Euge serue bone quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, Dicamus itaque Domino: Mitte in eos quæsumus spiritum sanctum, quo in opus ministerij fideliter exequendo, septiformis gratia tua munere roborentur; abundet in eis totius forma virtutis, authoritas modestia, pudor constans, innocentiæ puritas, & spi-

ritalis obſeruantia diſciplinæ. In moribus eorum præcepta tua fulgeant, vt ſuæ caſtitatis exemplo, imitationem ſanctam plebs acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeuerent, digniſq; ſucceſſibus de inferiori gradu, per gratiam tuam capere potiora mereantur. Per eum qui dixit: Non veni miniſtrari ſed miniſtrare.

EXPLICATIO OFFICII.

De ordine Antiph. cap. 35.

AMalarius dicit Antiphonas & Reſponſoria, in quadrageſima eſſe claues & titulos de conuerſatione & ſtatu totius quadrageſimæ: his enim inquit diebus, oportet corrigere mores noſtros, ieiunare, plorare, orare, patientes eſſe, vigilare, pœnitere, eleemoſynam dare præ cæteris anni temporibus. In iſto catalogo ſpurcitia hominum abſtergitur, & lauatur homo ab omnibus inquinamentis. Secundum iſtam itaque monitionem Amalarij, ad ſingula ſcribamus vnum verbum. Introitus commendat nobis inſtantiam orationis: Jn die clamaui & nocte coram te, omni tempore, rebus lætis. & aduerſis clamaui coram te Domine Deus ſalutis meæ. Jntret in conſpectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam. Ingreſſus orationis in conſpectu Dei, acceptatio eius eſt: inclinatio auris Dei miſericors exauditio eſt. Audimus clamantem coram Domino, ſed qua de cauſa ſic clamat coram Domino, dicit Pſalmus vnde eſt iſte Introitus. Quia repleta eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit. Officium noſtrum cum genuflexione, dicit idē alijs verbis: vt flagella tua iracundia clementer auertas.

Oramus

Oramus igitur vt liberemur à peccatis nostris. Et huic petitioni populi sui respondet Dominus, lectione subsequente. Non sufficiunt ad orationem nuda verba: Petiuit à me Moyses vt respiciens de sanctuario meo, & de excelso cœlorum habitaculo, benedicerem populo Israël: audi quid responderim Israëli; Clamans coram me, elegisti Dominum vt sit tibi Deus, sed quid est eligere Dominum vt sit nobis Deus? Ambulare in vijs eius, custodire ceremonias illius, & mandata, atque iudicia, & obedire eius imperio. Deinde subdit Dominus, quia sic elegistis me, ego Dominus elegi vos hodie, vt sitis mihi populus peculiaris, custodiens omnia præcepta mea. Et quãuis sic ista lectio pertineat ad omnes fideles, verius tamen videtur assumpta, propter ordinandos qui peculiariter eligunt Dominum, & eliguntur ab eo, vt possint dicere, si bene intendant huic lectioni, Dominus pars hæreditatis meæ.

Graduale quod subsequitur primam lectionem, reuertitur ad cogitationem peccatorum, & petit propitiationem à Domino, propter gloriam Domini: quem suum finem, tribus atque ijs diuersis rationibus, sic exponit. Primò dicit, idcirco esto propitius peccatis nostris, nequando dicant gentes, vbi est Deus eorum. Secũdo propter honorem nominis tui. Tertiò dicit collecta. Vt libera tibi mente famulemur. Progreditur quoque gradatim iste precator coram Domino. Primo petit solam propitiationem: Deinde adiutorium, & sic quandam liberationem, postremo, videns quo pondere prematur, cupit percipere, id est totam capere Dei misericordiam, vt iam libera mente illi famuletur. Officia quatuor temporum, fiunt in luctu pœnitentiæ & afflictione ieiunij. Sabbatha nihilominus eorum officiorum sunt

mixta, & lectiones eorundem sabbathorum, magis continent lætitiam diuinarum benedictionum, & gratiarum actiones seu laudes Dei, quam illum luctum & afflictionem. Sic prima lectio promittit Israëli, facturum se eum excelsiorem cunctis gentibus, quas creauit in laudem, & nomen, & gloriam suam: vt sit populus sanctus Domini Dei sui. Secunda lectio, promittit hostium debellationem, magnum imperium, & alia multa. Ratio istius varietatis consistit in ordinatione clericorum: quæ est magna & singularis benedictio; non solum quoad episcopū, qui talem potestatem accepit a Domino, sed multo etiam magis propter populum Dei, qui sine istis benedictionibus nō potest esse benedictus. Neque enim potest existere, populus Dei, vbi non est ecclesia Dei; nec illa sine sacramento ordinis. Ad secundam lectionem respondet graduale: Protector noster aspice Deus, & respice super seruos tuos. Quod sic interpretatur Micrologus. Cap. 28. *Quod in lectione de corporali liberatione, populo Israël promittitur, hoc sancta ecclesia, in graduali spiritualiter nobis adimpleri supplicat, vt gentes demonum vincamus, sicut illi gentibus paganorum præualuerunt. Collecta quæ sequitur hanc lectionem, audiens de hostibus, & de magna prosperitate seculi, rectissime petit a Domino; vt eo largiente, simus & inter prospera humiles: & inter aduersa securi. Sequitur tertia lectio, quæ exemplo Machabæorum docet, quopacto debeamus esse & inter prospera humiles: & inter aduersa securi. Illi enim inter prospera faciebant orationem, offerebant sacrificium Deo, pro populo Israël. Et Ionathas sicut in bello, sic in studio pietatis & orationis inchoabat: ceteri respondebant. De illorum vero securitate inter aduersa, per se monet, ipsum nomen*

Macha-

Machabæorum: qui omnem ſecuritatem ſuam ponebant in Domino. Qua ratione dicit Ionathas in fine huius lectionis: Nec vos deſerat in tempore malo Dominus Deus veſter. Pertinet quoque iſta lectio ad benedictionem, expreſſe enim ibi legimus: Benefaciat vobis Deus, & meminerit teſtamenti ſui, quod locutus eſt ad Abraham, Iſaac, & Iacob; ſeruorum ſuorum fidelium: quod eſt vtique ſemen in quo benedicuntur omnes gentes, quod eſt ille ordo ſacerdotalis, non ſecundum Aaron, ſed ſecundum Melchiſedech. Graduale reſpondet huic orationi Ionathæ, propter ſecuritatem inter aduerſa dicit: Conuertere Domine: & deinde Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem. Collecta inter aduerſa quærit ſecuritatem, ex eadem humiliatione, quæ requiritur inter proſpera: humiliat enim ſe cogitatione peccatorum ſuorum; qua ratione confitetur ſe iuſte pro peccatis ſuis affligi, & petit pro gloria diuini nominis, miſericorditer liberari. Quæ collecta pertinet etiam ad omnes ieiunantes, qui ſe iuſte pro peccatis ſuis affligunt, vt ab ijs pro Dei gloria, miſericorditer liberentur.

Sequitur quarta lectio, ex libro Sapientiæ. Notat Amalarius in officio quatuor temporum in ordinandis lectionibus, quæ continent benedictiones, obſeruatam fuiſſe rationem, quæ inuenitur Pſalmo 134. in quo legimus Domus Iſrael benedicite Domino: Domus Aaron benedicite Domino: Domus Leui benedicite Domino. Qui timetis Dominum benedicite Domino: Benedictus Dominus ex Sion: vt eo modo ſint quatuor lectiones benedictionales, & illas ſubſequatur tanquam generalis acclamatio omnium iſtorum quatuor ordinum, qui loco Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hieruſalem:

occinant illi hymnum trium puerorum in camino ignis: Benedictus es Domine, Deus patrum nostrorum. B. Augustinus notauit in Psalmo, hunc ordinem: vt Domus Israel accipiatur generaliter, Domus Aaron pro ijs qui præsunt, Domus Leui pro ijs qui ministrant: & de cæteris nationibus in vniuersum: Qui timetis Dominum, benedicite Dominum. Vt omnes idcirco vna voce dicant quod sequitur, Benedictus Dominus ex Sion. Et quidem istæ quatuor lectiones, sic etiam singula conueniunt istis ordinibus. Prima lectio dicit expresse: Audi Israel. Et toti populo Israelis, sic in fine lectionis benedicit: Vt sis populus sanctus Domini Dei tui. Secunda lectio loquitur de benedictione principatus, de dispersione omnium gentium, ante faciem vestram: de omni loco quem calcabit pes vester, vt vester sit: de dominatu a deserto, vsque ad mare occidentale. Tertia lectio nominatim continet benedictionem, quam fecerũt Leuitæ: Ionathas enim & cæteri Machabæi erant de tribu Leui. Quarta lectio diuersis verbis pertinet ad gentes, quæ non exquisierunt Dominum, vt cognoscant eum, vt enarrent mirabilia eius: totus quoque sermo illius lectionis est generalis, pertinens ad omnes nationes, & huic lectioni seu potius orationi, respondet graduale per votum magnæ & deuotæ orationis. Et hæc distributio ordinum benedicentium Domino, reperitur in illo ipso hymno, qui proponitur nobis, lectioni subsequente, vbi post res inanimatas, & bestias, sic loquitur hymnus: Benedicite filij hominum, Benedicat Israel, Benedicite sacerdotes, Benedicite serui Domini. Et quod est in Psalmo, Qui timetis Dominũ; hoc duobus versibus sic explicat hymnus. Benedicite spiritus & animæ iustorũ, Benedicite sancti & humiles corde Domino.

Quinta

Quinto sequitur historia & hymnus trium puerorum, in camino ignis, quod est ordinarium omnibus sabbathis quatuor temporum, Vbi legitur: Angelus Domini cum Azaria & socijs eius, in fornacem ignis descendisse: quod magna & mystica non vacat ratione. Nam quemadmodum pueris a Babylonio Rege missis in fornacem ignis, cœlestis gratia subuenit, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem: sic nos à confusionis rege Diabolo, libidinum flammis appetitos, teiunijs & orationum instantia liberat. Hac ergo lectione prælecta sequitur & hymnus eorundem puerorum, quo ad benedicendum creatorem omnis creatura commonetur, priusquam sacerdotes ordinentur: vt animaduertamus illorum ora manusque ad benedictiones dandas, & quod maximum est, ad conficiendum corpus & sanguinem Domini, iure admitti: qui à confusionis rege succensum fornacem vitiorum, potenti fide superauerunt. Post hymnum nec dicitur Tractus, nec flectitur genu: & propter lætitiam istius hymni, & in detestationem idolalatriæ, quam Rex Babylonis imperauerat istis tribus pueris: sed subijcimus orationem conuenientem lectioni & hymno: Deus qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius: vt nos famulos tuos non exuret flamma vitiorum. Lectio sexta ex Apostolo quæ subsequitur hunc hymnum, ordine valde conuenienti proponitur ordinandis: postquam enim proposita est flamma vitiorum, à cuius exustione per Dei gratiam possumus liberari: Paulo altius assurgit ista lectio; vt non solum abstineant ordinandi à peccato, sed vt præterea intelligant perfectissimum optimæ vitæ genus sibi esse propositum. Scripserat ista Apostolus omnibus Thessalonicensibus, proprijssime tamen

Ruper. de diuinis officijs li. 3. c. 10.

men pertinent ad eos, qui ordinantur, qualia sunt: Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, Sine intermissione orate: Spiritum nolite extinguere, Prophetias nolite spernere: Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos: ista enim à nullis seuerius exiguntur, quam ab iis qui vno nomine dicuntur clerici. Lectionem istam sequitur Tractus, Laudate Dominum omnes gentes: qui contra ordinem ceterorum tractuum, continet exultationem & lætitiam, propter gaudium istorum pastorum, qui ordinantur ad directionem & salutem ouium. Euangelium multo etiam altius, imo altissimè assurgit, vsque ad cõtemplationem dominicæ transfigurationis, vbi erant Moyses & Helias, tres ieiunatores quadragesimæ, vbi tria; lex, Prophetæ, & gratia: vbi erant tres discipuli: vbi vox de cælo: Hic est filius meus dilectus. De cuius euangelij explicatione, idcirco nihil hic afferimus, quod res ea peculiari festo, nobis sit commendata. Verum quia in præsenti vita nostri transfiguratio non est sine tribulatione, & propterea semper ad Dominum clamandum est; inde est quod sequitur offertorium: Domine Deus salutis meæ &c. & Communio, Domine Deus in te speraui. Quod vero in nostro officio hodierno die inuenitur oratio super populum, res ea non conuenit antiquo ritui; fiebat enim hoc Sabbatho Missa, & in ea ordinatio tam sero, vt tota actio protẽderetur in multam partem eius noctis, quæ pertinebat ad Dominicam, in qua non flectebantur genua. Qua de re sic scribit ordo Romanus: Oratio post communionem non habetur super populum, in mense primo; quia istud frequenter circa noctem Dominicam solet finiri, in qua minime genu flectitur. Monet idem Alcuinus & Micrologus:

Micrologus. Ordo inquit Romanus in quadragesima, in Sabbatho ordinationum, orationem super populum interdicit: ad quam antiqui non solum capitâ, sed & genua flectebant, quod Nicæni canones in Dominica fieri penitus vetant. *Alcuinus fol. 69. Microl. cap. 29.*

MISSA SABB. QVATVOR TEMP. QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

INTRET oratio mea in conspectu tuo, inclina aurem tuam ad precem meã Domine. *Cap. 87.*

Psal. Domine Deus salutis meæ, in die clamaui, & nocte coram te. *Ibidem.*

Vers. Gloriã Patri. *Post Kyrie eleison, dicitur:*

OREMVS. Flectamus genua. ℟. Leuate.

POpulum tuum, quęsumus, Domine, propitius respice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer auerte. Per Dominum.

DEus qui nos in tantis periculis, constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus. Per Dominum.

PROPHETIA PRIMA.

Lectio libri Deuteronomij.

IN diebus illis: Locutus est Moyses ad Dominum, dicens. Respice Domine de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel, & terræ quam dedisti nobis, sicut iurasti patribus nostris, terræ lacte & melle manãti. Audi Israel. Hodie Dominus *Cap. 26.*

Deus

Deus tuus præcipit tibi, vt facias mandata eius atque iudicia: & cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua. Dominum elegiſti hodie, vt ſit tibi Deus, & ambules in vijs eius, & cuſtodias ceremonias illius, & mandata atque iudicia, & obedias eius imperio. En, Dominus elegit te hodie, vt ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, & cuſtodias omnia præcepta illius: & faciet te excelſiorē cunctis gentibus, quas creauit, in laudem, & nomen, & gloriam ſuam: vt ſis populus ſanctus Domini Dei tui, ſicut locutus eſt tibi.

Pſal. 78. *Graduale.* Propitius eſto Domine peccatis noſtris: ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum? *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter honorē nominis tui Domine, libera nos.

Oremus. Flectamus genua. *Reſp.* Leuate.

PRotector noſter aſpice Deus: vt, qui malorum noſtrorum pōdere premimur, percepta miſericordia tua, libera tibi mente famulemur. Per Dominum.

DEus qui delinquentes perire non pateris, ſed expectas, vt conuertantur & viuant: debitam (quæſumus) peccatis noſtris ſuſpende vindictam, & præſta propitius: ne diſſimulatis cumulet vltionem, ſed potius per ieiunium emendatio proſit ad veniam. Per Dominum.

PROPHETIA SECVNDA.

Lectio libri Deuteronomij.

Cap. 11. IN diebus illis: Dixit Moyſes filijs Iſrael: Si cuſtodieritis mandata, quæ ego præcipio vobis, &

bis,& feceritis ea, vt diligatis Dominum Deũ veſtrũ,& ambuletis in omnibus,vijs eius adhærentes ei : diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram, & poſſidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis ſunt.Omnis locus,quẽ calcauerit pes veſter,veſter erit. A deſerto,& Libano,& flumine magno Euphrate, vſque ad mare occidentale, erunt termini veſtri. Nullus ſtabit contra vos. Terrorem veſtrum, & formidinem dabit Dominus Deus veſter ſuper omnem terram , quam calcaturi eſtis: ſicut locutus eſt vobis Dominus Deus veſter.

Graduale. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice ſuper ſeruos tuos. *Pſal. 83.*

Verſ. Domine Deus virtutum exaudi preces ſeruorum tuorum.

Oremus. Flectamus genua. *Reſp.* Leuate.

ADeſto,quæſumus,Domine,ſupplicationibus noſtris:vt eſſe,te largiẽte mereamur, & inter proſpera humiles : & inter aduerſa ſecuri.Per Dominum.

PROPHETIA TERTIA.

Lectio libri Machabæorum.

IN diebus illis. Orationem faciebant ſacerdotes, dum offerrent ſacrificium pro populo Iſrael, Ionatha inchoante, cæteris autem reſpondentibus,& dicentibus: Benefaciat vobis Deus,& meminerit, teſtamenti ſui, quod locutus eſt ad Abraham,Iſaac,& Iacob,ſeruorum tuorum fidelium.Et det vobis cor omnibus, vt colatis eum,& faciatis eius voluntatem *2. Cap. 2.*

corde

corde magno, & animo volenti. Adaperiat cor vestrum in lege sua, & in præceptis suis, & faciat pacem. Exaudiat orationes vestras, & reconcilietur vobis: nec vos deserat in tempore malo, Dominus Deus vester.

Psal. 89. *Graduale.* Conuertere Domine aliquantulũ, & deprecare super seruos tuos.

Vers. Domine, refugium factus es nobis à generatione in generationem.

Oremus. Flectamus genua. *Resp.* Leuate.

PReces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: vt, qui iustè pro peccatis nostris affligimur: pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum.

PROPHETIA QVARTA.

Lectio Libri Sapientiæ.

Eccl. 36. MIserere nostri Deus omnium, & respice nos: & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te: vt cognoscãt, quia non est Deus nisi tu, vt enarrent magnalia tua: Alleua manum tuam super gentes alienas: vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in illis: vt cognoscant te, sicut & nos cognouimus, quoniam non est Deus præter te Domine. Innoua signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum, & brachium dextrum. Excita furorem, & effunde iram. Tolle aduersarium, & afflige inimicum. Festina tempus, & memento finis: vt enarrent mirabilia tua Dominе Deus noster.

Gra-

Graduale. Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine. *Pſa. 140.*

Verſ. Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.

Oremus. Flectamus genua. *Reſp.* Leuate.

ACtiones noſtras, quæſumus, Domine, aſpirãdo præueni, & adiuuando proſequere: vt cũcta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Dominum.

PROPHETIA QVINTA.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis: Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſocijs eius in fornacem: & excuſsit flammam ignis de fornace: & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem. Flamma autem diffuſa eſt ſuper fornacem, cubitis quadraginta nouem: & incendit quos reperit iuxta fornacem, de Chaldæis miniſtros regis, qui eam incendebant: Illos autem omnino non tetigit ignis, neque contriſtauit, nec quicquam moleſtiæ intulit. Tunc hi tres, quaſi ex vno ore laudabant & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes. *Cap. 3.*

Hymnus.

BEnedictus es Domine Deus patrum noſtrorum. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ, quod eſt ſanctum. Et laudabile, & glorioſum in ſecula. *Dan. 3.*

Benedictus es in templo ſancto gloriæ tuæ. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedictus

Benedictus es ſuper thronum ſanctum regni tui. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedictus es ſuper ſceptrũ diuinitatis tuæ. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedictus es qui ſedes ſuper Cherubim, intuens abyſſos. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedictus es, qui ambulas ſuper pennas ventorum, & ſuper vndas maris. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedicant te omnes angeli, & ſancti tui. Et laudent te, & glorificent in ſecula.

Benedicant te cœli, terra, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Et laudent te, & glorificent in ſecula.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto. Et laudabilis & glorioſus in ſecula.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, *Amen*. Et laudabilis, & glorioſus in ſecula.

Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum. Et laudabilis & glorioſus in ſecula. *Hic dicitur*. ℣. Dominus vobiſcum. Non dicitur Flectamus genua.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius: vt nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum.

Lectio epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli, ad Theſſalonicenſes.

1. Theſſ. 5. FRatres: Rogamus vos, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos,

mos, patientes estote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete. Sine intermissione orate. In omnibus gratias agite. Hæc est enim voluntas Dei in Christo Iesu in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate: quod bonum est, tenete. Ab omni specie mala abstinete vos. Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela, in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.

Tractus Laudate Dominum omnes gentes: & collaudate eum omnes populi. *Vers.* Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum. *Psa. 116.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore. Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius, sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix. Et ecce, apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum. Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce, nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce, vox de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in fa- *Cap. 17.*

ciem ſuam, & timuerunt valde. Et acceſſit Ieſus,& tetigit eos,dixitque eis:Surgite, & nolite timere.Leuantes autem oculos ſuos, neminem viderunt,niſi ſolum Ieſum Et deſcendentibus illis de monte,præcepit eis Ieſus, dicens: Nemini dixeritis viſionem,donec filius hominis à mortuis reſurgat.

Pſal. 87. *Offertorium.* Domine Deus ſalutis meæ , in die clamaui, & nocte coram te: intret oratio mea in conſpectu tuo Domine,℣. I.Inclina aurem tuam ad precem meam Domine. Longe feciſti notos meos à me, clamaui ad te Domine,tota die expandi manus meas ad te.℣. I I. Et ego ad te Domine clamaui , & mane oratio mea præueniet te . Egens ſum ego in Laboribus à Iuuentute mea.℣.III Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio,inter mortuos liber, traditus ſum & non egrediebar.

Secreta.

PRæſentibus ſacrificijs quæſumus Domine, ieiunia noſtra ſanctifica: vt,quod obſeruãtia noſtra profitetur exterius, interius operetur.Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus Illuminator & redemptor animarum noſtrarũ, qui nos per primũ Adã abſtinentiæ lege violata,paradiſo eiectos, fortioris ieiunij remedio , ad antiquæ patriæ beatitudinẽ,per gratiã reuocaſti: noſq; pia inſtitutione docuiſti, quibus obſeruationibus à peccatis omnibus liberemur . Per Chriſt. Per quem.

Pſal.7. *Communio* . Domine Deus in te ſperaui, libera

libera me ab omnibus persequentibus me, & eripe me.

Post Communio.

SAnctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & remedia nobis æterna proueniant. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

FIdeles tuos Deus benedictio desiderata confirmet: quæ eos, & à tua voluntate nunquam faciat discrepare, & tuis semper indulgeat beneficijs gratulari. Per Dominum nostrum.

DEus qui nos glorioſis remedijs in terris adhuc positos, cælestium rerum facis esse consortes, te quæsumus, in ista qua viuimus, nos vita guberna: vt ad illam, in qua ipse es, lucem perducas. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

MIsericors & miserator Dominus, benignissimus humanæ salutis amator, sua benedictione nos in bono confirmet, & ad æternæ beatitudinis perfectionem vota nostra perducat. *Amen.*

Atque temporalium iniurias afflictionum, quas pro excessibus nostris necessaria disciplinæ emendationis prouisione irrogat, ita modificet: vt & aduersa per fortitudinem animi sufferre possimus, & prospera sine mentis eneruatione, in gratiarum actionem vertamus. *Amen.*

Conuertat luctum nostrum in gaudium spiritale, & ita nos in se credere de se sperare, se amare concedat: vt sacræ atque æternæ

visionis suæ nos perfectione beatificet ac coronet. *Amen.*

Quod ipse præstare &c.

DOMINICA SECVNDA QVADR.

Quintum mysterium Quadrag. Cur celebretur tempore Verno.

QVINTVM *misterium ieiunij Quadragesimalis consistit in tempore quo celebratur. Qua in re primo occurrit, quod hoc ieiunium ordinatum sit tempore verno. Initio sunt qui dicant, vere peccasse Adamum, & idcirco vere pàssum Dominum, & nos vere ieiunare: Quæ ratio popularis an satis sibi constet non equidem ausim affirmare: illi enim primi dies rerum creatarum, neque veri, neque æstati, nec autumno, multo etiam minus hyemi conueniũt: sed fuit illud tempus nouum post quod fluxerunt tempora, quæ distinguerentur vicibus temporum. Nam si illa prima volumus æstimare præsentibus, si tum erat ver in Paradiso, alibi erat autumnus, alibi hyems, & æstas. Quin ego tale puto fuisse tempus terris, quale fuit Adamo & Euæ: qui vno & eodem tempore, & infantium ætatem, & virilem formam atque robur, sunt adepti: non ordine quo nunc graditur natura, sed illius voluntate, qui potest ea facere quæ ne cogitari quidem possunt à nobis. Quin & tot fructus sine quibus viuere non poterant animalia, & quæ tum vel arboribus pendebãt, vel terra iam erant producta, omnino veri non conueniunt. Est & altera ratio cur vere ieiunemus,*

Ser. 36. *quam eleganter sic descripsit B. Ambrosius: Videamus igitur quo tempore hanc obseruantiam nobis indixerit*

indixerit Dominus: si non veluti per istam deuotionem cuncta elementa voluerit habere profectum. Ecce enim indicta quadragesima, constricta hyemali gelu terra resolvitur, & aquarum fluenta, meatus suos glacie liquefacta recipiunt. Sic quoque corporum nostrorum hoc eodem tempore contracta sceleribus peccata soluuntur: & vitæ nostræ purior cursus, liquefacto rigore diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra inquam, indicta quadragesima asperitatem deponit hyemis: ego indicta quadragesima asperitatem reijcio delictorum. Illa terra aratris scinditur, vt mundanis sit congrua frugibus: mea terra ieiunijs exaratur, vt cœlestibus sit apta seminibus Sicut enim reditum vberiorem capit, qui frequentius vexando exercet campum: ita maiorem gratiam percipit, qui exercet corporis sui campum sepius ieiunando . Ecce enim abstinentiæ tempore, herba segetum reuiuiscit in messem, surculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubescit in gemmam , & omnia de inferioribus ad altiora se subrigunt: ita hoc eodemque tempore hominum spes intermortua, reuiuiscit in posterum, fides perdita reparatur in gloriam, temporalis vita proficit in æternum, & omne genus humanum ad cœlestia se subrigens, ab inferis ad altiora consurgit. Modo ferrum gestans agricola, sarmenta deputat vinearum. Ita & nunc Euangelium tractans episcopus, sordes amputat populorum: & isto quadragenario curriculo, vniuersa hoc agunt creaturæ, quatenus depositis superfluis , ornatæ vel compta in pascha procedant. Modo omnia sunt in partu, vt tunc reperiantur in fructu. Tunc enim contra naturæ speciem, spina profert rosam, calamus fragrat lilium, suauitatem arida virgulta depromunt; & ita cuncta floribus ador-

nantur, vt festiuitatem Dei magni, creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem ieiuniorum tempore producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiam, de seueritate misericordiam, de auaritia largitatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocant animã. De
Genes. 3. quibus ait scriptura: Spinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione cõpungit. Generat mihi tribulos, cum me diuitiarum secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritiæ suæ radix est. Spina viro bono honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt. His ergo nisi vigilando & ieiunando, carere non possumus: quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertentur in rosam. Producit enim ieiunando libido castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem. Hi enim sunt flores vitæ nostræ, qui suauem Christo redolent, qui odorem bonum Deo spi-
2. Cor. 2. rant. Vnde ait Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. Hanc ergo quadragesimam largitus est nobis Dominus, vt huius temporis spatio in morem totius creaturæ nunc concipiamus virtutum germina: vt in die Paschæ fructum iustitiæ proferamus. Atque hæc Ambrosius, cuius sententiæ addi potest & alia ratio: quod propter crescentem calorem, gliscentem humoris copiam, carnis libidinem, temporis blanditiem, castigari sic corpus conueniat. Verum quia huiusce modi rationes populares sunt, & ex ingenio multæ à viris prudentibus possunt adferri: idcirco eas hic omittimus. Monendus nihilominus est pius lector, Dominũ Ioannem VValterium Viringum, celeberrimum Medicum & Canonicum Atrebatensem, pio & erudito illo suo libello,

libello, de ieiunio & abstinentia medico ecclesiastica, erudite refutasse Ianum cornarium, & Leonardum Fuschium medicos, sectæ Lutheranæ homines: qui affirmarent, hoc ieiunium quadragesimæ, contra ordinem naturæ, contra legem medicinæ, tempore verno male frequentari. Quin contra & probat, & postremò hoc asseuerat: Certe inquit ieiuniorum ecclesiasticorum leges ita conueniunt, vt si sincere expendas, nihil contineant quod medicis rationibus non confirmetur, haud secus ac si Hippocrates & Galenus, Auicenna, Paulus, Celsus, cum Apostolis, Gregorio, Hieronymo, vtroque Clemente, Calixto, Thelesphoro, Leone, Basilio, omnibus Concilijs decretorum tempore, suffragia rogati interfuissent, & consensissent: præsertim cum vtriquè homini exactissimè subseruiant. Lib. 5. cap. 12.

EXPLICATIO OFFICII.

ISTA *Dominica ob rationem explicatam in Aduentu, in ieiunio decimi mensis, olim vocabatur Dominica Vacans: ea ratione quod careret officio seu Missa. Illa igitur formula qua vtimur hoc die, recentior est Gregorio Magno, post cuius ætatem cum ordinationes fierent Sabbatho, factum est, vt etiam istæ Dominicæ sortirentur Officium collectum ex alijs diebus. Qua ratione Introitus Graduale, Offertorium, communio huius Dominicæ, eadem sunt quæ in Feria quarta præcedente. Euangelium de transfiguratione Domini, idem quod Sabbatho præcedente. Epistola est conueniens tempori, & in ea discimus, quod voluntas Dei sit sanctificatio nostra: ergo cum petimus oratione quotidiana: fiat voluntas tua,*

nantur, vt festiuitatem Dei magni, creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem ieiuniorum tempore producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiam, de seueritate misericordiam, de auaritia largitatem. Istæ enim spinæ sunt corporis nostri, quæ præfocant animã. De
Genes. 3. quibus ait scriptura: Spinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione cõpungit. Generat mihi tribulos, cum me diuitiarum secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritiæ suæ radix est. Spina viro bono honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt. His ergo nisi vigilando & ieiunando, carere non possumus: quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertentur in rosam. Producit enim ieiunando libido castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem. Hi enim sunt flores vitæ nostræ, qui suauc Christo redolent, qui odorem bonum Deo spi-
2. Cor. 2. rant. Vnde ait Apostolus: Quoniam Christi bonus odor sumus Deo. Hanc ergo quadragesimam largitus est nobis Dominus, vt huius temporis spatio in morem totius creaturæ nunc concipiamus virtutum germina: vt in die Paschæ fructum iustitiæ proferamus. Atque hæc Ambrosius, cuius sententiæ addi potest & alia ratio: quod propter crescentem calorem, gliscentem humoris copiam, carnis libidinem, temporis blanditiem, castigari sic corpus conueniat. Verum quia huiuscemodi rationes populares sunt, & ex ingenio multæ à viris prudentibus possunt adferri: idcirco eas hic omittimus. Monendus nihilominus est pius lector, Dominũ Ioannem VValterium Viringum, celeberrimum Medicum & Canonicum Atrebatensem, pio & erudito illo suo libello,

libello, de ieiunio & abſtinentia medico eccleſiaſtica, erudite refutaſſe Ianum cornarium, & Leonardum Fuſchium medicos, ſectæ Lutheranæ homines: qui affirmarent, hoc ieiunium quadrageſimæ, contra ordinem naturæ, contra legem medicinæ, tempore verno male frequentari. Quin contra & probat, & poſtremò hoc aſſeuerat: Certe inquit ieiuniorum ecclesiaſticorum leges ita conueniunt, vt ſi ſincere expendas, nihil contineant quod medicis rationibus non confirmetur, haud ſecus ac ſi Hippocrates & Galenus, Auicenna, Paulus, Celſus, cum Apoſtolis, Gregorio, Hieronymo, vtroque Clemente, Calixto, Theleſphoro, Leone, Baſilio, omnibus Concilijs decretorum tempore, ſuffragia rogati interfuiſſent, & conſenſiſſent: præſertim cum vtriquè homini exactiſſimè ſubſeruiant. Lib. 5. cap. 12.

EXPLICATIO OFFICII.

ISTA Dominica ob rationem explicatam in Aduentu, in ieiunio decimi menſis, olim vocabatur Dominica Vacans: ea ratione quod careret officio ſeu Miſſa. Illa igitur formula qua vtimur hoc die, recentior eſt Gregorio Magno, poſt cuius ætatem cum ordinationes fierent Sabbatho, factum eſt, vt etiam iſtæ Dominicæ ſortirentur Officium collectum ex alijs diebus. Qua ratione Introitus Graduale, Offertorium, communio huius Dominicæ, eadem ſunt quæ in Feria quarta præcedente. Euangelium de transfiguratione Domini, idem quod Sabbatho præcedente. Epiſtola eſt conueniens tempori, & in ea diſcimus, quod voluntas Dei ſit ſanctificatio noſtra: ergo cum petimus oratione quotidiana: fiat voluntas tua,

tas tua, tunc vtique petimus ſanctificationem noſtram, & cum petimus noſtram ſanctificationem, hoc petimus propter Dei voluntatem. Diſcimus quoque in hac epiſtola, ſanctificationem noſtram conſiderari non ſolum in anima, ſed etiam in iis, quæ videntur magis pertinere ad corpus, quam animam: vt ſunt fornicatio, nam qui non poſſidet vas ſuum in ſanctificatione & honore, ſed relinquit illud vt ſequatur paſſiones deſiderij, ſicut gentes quæ ignorant Deum: quæ ſequuntur ductum vel mala conſuetudinis, quam putant eſſe naturam: vel titillationes libidinoſi ſenſus, illos dicit Apoſtolus viuere in immunditia, & non in ſanctificatione, ad quam vocati ſumus. Quibus verbis, apertè opponitur immunditia corporis, ſanctificationi quam vult Deus, quæ eſt voluntas Dei. Neceſſe eſt igitur, vt corpora ſint caſta, & Deo digna, quia ſedes Dei, & templum ſpiritus ſancti, ſunt corpora noſtra, vt ait Apoſt. Omnis qui caſtè & piè viuit, templum Dei eſt, & ſedes Spiritus ſancti. Præterea hæc epiſtola, quo modo non vult nos facere iniuriam corpori noſtro, ſic vetat omnem iniuriam proximi. Collecta quoque huius diei ita eſt generalis, vt cuiuis officio facile conueniat: quod inde profectum videtur, quod ordinator huius officij, maluit aliunde ſumere collectas, quam nouas ipſe componere. Tractus eſt ex Pſalmo. 05. qui pertinet ad laudem Dei, & confeſſionem peccatorum: poſt pauca enim ſequitur in eodem Pſalmo: Peccauimus cum patribus noſtris, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus, qui enim confitetur peccata ſua, cum Dei laude confiteri debet, nec aliter pia eſt confeſſio peccatorum, niſi non deſperans, & poſcens miſericordiam Dei. Habet ergo eius laudem, ſiue etiam in verbis, cum eum bonum & miſericordem

dicit,

dicit, siue in solo affectu, cum hoc credit, nam & ille publicanus, cuius sola illa verba commemorata sunt: Domine propitius esto mihi peccatori, & si non dixit: Quoniam bonus & misericors es, vel aliquid huiusmodi, non tamen illud diceret, nisi hoc crederet: quoniam cum spe orauit, quæ sine illa fide esse nõ posset. Potest esse laus Dei vera & pia, vbi non sit confessio peccatorum, quæ laus multò crebrius in Scripturis confessio vocatur. Nulla autem est confessio peccatorum pia & vtilis, vbi non laudatur Deus, siue corde, siue etiam ore atque sermone. Quis loquetur potentias Domini, quoniam hæc ineffabilia opera eius; quis auditas faciet omnes laudes eius, & idcirco quia tantus est, & tam laudabilis Dominus cui seruimus: Beati qui viuunt secundum Deum. Memento nostri Domine, vt in ijs simus, in quibus beneplacitum est tibi, quia non in omnibus beneplacitum est Deo. Visita nos in salutari tuo, id est in Christo tuo, in quo peccata dimittuntur, & animæ sanantur: vt possint custodire iudicium & facere iustitiam.

MISSA DOM. II. QVADRAG.

INTROITVS. *Vt feria 4. præcedente.*

LITANIA. Dicamus omnes.
Resp. Kyrie eleyson.
Domine Deus omnipotens patrum nostrorum.
Resp. Kyrie eleyson.
Respice de cælo Deus, & de sede sancta tua.
Resp. Kyrie eleyson.

Pro

Pro Ecclesia tua sancta catholica, quam conseruare digneris.

Resp. Kyrie eleyson.

Pro Papa nostro. N. & Pontifice nostro. N. & sacerdotio eorum.

Resp. Kyrie eleyson.

Pro vniuersis Episcopis, cuncto clero & populo.

Resp. Kyrie eleyson.

Pro famulo tuo. N. Imperatore, & famula tua. N. Imperatrice & omni exercitu eorum.

Resp. Kyrie eleyson.

Pro famulo tuo N. Rege & Duce nostro, & omni exercitu eius.

Resp. Kyrie eleyson.

Pro ciuitate hac, omnibusque habitantibus in ea.

Resp. Kyrie eleyson.

Pro aeris temperie, ac fructuũ & fecunditate terrarum.

Resp. Kyrie eleyson.

Libera nos, qui liberasti filios Israel.

Resp. Kyrie eleyson.

In manu forti, & brachio excelso.

Resp. Kyrie eleyson.

Exurge Domine, adiuua nos, & libera nos propter nomen tuum.

Resp. Kyrie eleyson, Kyrie eleyson, Kyrie eleyson. *Oremus.*

DEus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius, exteriusque custodi: vt ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Præsta

PRæsta populo tuo, quæsumus Domine consolationis auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem, propitius respirare concede.

ADiuua Domine fragilitatem plebis tuæ ieiunij Sacramẽto: vt ad votiuos Paschalis celebritatis effectus, & corporaliter gubernata concurrat, & per tuam gratiam deuota perueniat. Per Dominum.

Lectio epistolæ Beati Pauli Apostoli, ad Thessalonicenses.

FRATRES: Rogamus vos, & obsecramus in Domino Iesu: vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo: sic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis, per Dominum Iesum: Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra: vt abstineatis vos a fornicatione: vt sciat vnusquisque vestrũ vas suum possidere in sanctificatione & honore: non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur, neque circunueniat in negocio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus Non enim vocauit nos Deus in immunditiam: sed in sanctificationem. In Christo Iesu Domino nostro. *1. cap. 4.*

Graduale. Tribulationes cordis mei dilatatę sunt: de necessitatibus meis eripe me Domine. *Vers.* Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea. *Psal. 24.*

Tractus. Confitemini Domino, quoniam bonus: *Psa. 104.*

bonus:quoniam in ſæculum miſericordia eius. *Verſ.* Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius? *Verſ.* Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam in omni tempore. *Verſ.* Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Cap. 17. IN illo tempore: Aſſumpſit Ieſus Petrũ, &c. Vt in Sabbat. præcedente.

Et dicitur CREDO.

Offertorium. Vt feria 4. præcedente.

Secreta.

SAcrificijs præſentibus, Domine, quęſumus, intende placatus: vt & deuotioni noſtræ proficiant, & ſaluti. Per Dominum.

ECcleſiæ tuæ Domine, munera placatus adſume: quæ & miſericors offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalutis potenter efficis tranſire myſterium. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus: & maieſtatem tuam ſupplici ter exorare, vt mentibus noſtris medicinalis obſeruantiæ munus infundas: & qui negligentibus etiam ſubſidium ferre non deſinis, beneficia præbeas potiora deuotis. Per Dominum.

Communio. Vt Feria 4. præcedente.

Poſt-Communio.

SVpplices te rogamus, omnipotens Deus: vt, quos tuis reficis ſacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſeruire concedas. Per Dominum.

Refecti

Refecti Domine pane cæleſti, ad vitam quę-ſumus nutriamur æternam.

REparet nos quęſumus, Domine ſemper & innouet tuę prouidentia pietatis: quæ fragilitatem noſtram inter mundi tempeſtates protegat & gubernet, & in portum perpetuæ ſalutis inducat. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus ieiunij ceterarumque virtutũ dedicator atque amator, ſua nos benedictione ſanctificet. *Amen.*

Accendat in nobis piæ deuotionis affectũ, & præbeat ſupplicantibus ſuum benignus auditum *Amen.*

Quatenus mentes noſtræ ſinceris purgatæ ieiunijs, bonorum operum exuberent incrementis. *Amen.*

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius poteſtas nec initio, nec fine coanguſtatur in ſecula ſeculorum. *Amen.*

FERIA SECVNDA POST DOMINIC. SECVND. QVADRAG.

Quadrageſima celebratur propter tempus Dominicæ Paſſionis.

QVintum myſterium ieiunij quadrageſimalis id diximus, quod intelligitur ex tempore quo celebratur. Quo in genere primo nominauimus tempus vernum: quod res ea primo in hominum ſenſus occurrat. Verum eſt alia atque ea dignior ratio, quæ accipitur ex tempore Dominicæ paſſionis. Qua de re nunc eſt videndum. Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti,

Christi, est omnis eruditio, omnis schola, omnis sapientia Christiani. Si igitur homo omni vita hoc solum ageret, vt in meditatione & imitatione huius rei, totum se occuparet: id faceret homo quod eius conditioni & saluti præclarissime conueniret: quomodo homo in futuro seculo vni inhærebit mysterio Dominicæ resurrectionis. Quod volens nobis commendare mater nostra ecclesia, quadraginta istos dies ieiunij, eo potissimum fine nobis commendauit. Primo itaque sic ieiunamus, propter luctum quem concipimus ex morte Domini: meditanda est nobis Passio Domini, meditatio vero trahit secum amorem & desiderium rei ablatæ: ob istud itaque desiderium lugemus; & hunc luctum profitemur ieiunio. Et hunc quidem finem non ex ingenio ipsi fingimus, sed a Domino eum accipimus. Reprehendebant in eo Pharisæi, quod discipuli eius non ieiunarent, respondet Dominus: Non possunt, inquit lugere filij sponsi, quandiu cum eis est sponsus: sed veniet hora, quando auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt Quibus verbis, duo clarissimè connincuntur: Ieiunium esse luctum, & discipulos ieiunaturos, quando auferetur ab eis sponsus. Qua de re sic B. Augustinus, reddens rationem, cur ante solemnitatem passionis Dominicæ ieiunemus: Proinde, inquit, quia iam sponsus ablatus est, vtique nobis filijs illius pulchri sponsi lugendum est: Speciosus enim forma præ filijs hominum, cuius diffusa gratia in labijs eius, inter manus persequentium, non habuit speciem neque decorem, & ablata est de terra vita eius. Et recte lugemus si flagramus desiderio eius. Beati, quibus eum licuit ante passionem tunc habere præsentem, interrogare sicut vellent & audire sicut audire deberent. Illos dies concupierunt videre patres

Serm. 74. de diuersis.

tres ante aduentum eius, neque viderunt: quia in alia dispensatione fuerant ordinati, per quos venturus annuntiaretur non à quibus veniens audiretur. De his enim ad discipulos loquitur dicens: Multi iusti & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. In nobis autem illud impletum est, quod ipse itidem dicit: Venient dies quando desiderabitis videre vnum de diebus istis, & non poteritis. Quis non sancti desiderij flamma vratur, quis non hic lugeat, quis non laboret in gemitu suo, quis non dicat, facta sunt mihi lachrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus? credimus quippe in eum iam sedentem ad dexteram patris: sed tamen quandiu sumus in corpore peregrinamur ab eo, nec eum dubitantibus, vel negantibus, & dicentibus vbi est Deus tuus: valemus ostendere. Merito Apostolus eius, concupiscebat absolui, & esse cum illo: manere autem in carne, non sibi optimum ducebat, sed necessarium propter nos. Vbi cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ: quoniam deprimit terrena cogitatio sensum multa cogitantem. Inde tentatio est vita hominis super terram: & in hac seculi nocte, circuit leo quærens quem deuorat. Et paulo post: In tam periculosa, & tentationibus plena huius seculi nocte, quis non timeat, quis non medullis omnibus contremiscat, ne dignus iudicetur, qui deuorandus dimittatur in fauces tam crudelis inimici. Vnde ieiunandum & orandum est, & quando potius, quando instantius, quam propinquante ipsa Dominicæ passionis solennitate, qua celebritate anniuersaria, quodammodo nobis eiusdem noctis memoria resculpitur, ne oblivione deleatur: ne nos non corpore, sed spi-

ritus

ritu dormientes, ille rugiens deuorator inueniat. Nam & ipsa Dominica passio, quid nobis aliud in capite nostro Christo Iesu, quam ipsam vitæ huius tentationem maximè commendauit. Vnde aduenientе iam mortis suæ tempore, Petro dixit: Postulauit Sathanas vexare vos sicut triticum. Atque hæc B. Augustinus, de causa luctus, seu ieiunij, cum flagrantes desiderio & amore eius, nostra causa lugemus ablationem sponsi. Est & altera causa luctus, quoties condolemus & commiseramur patienti. Quo genere luctus seruiendum est etiam Domino morienti, cui immerenti tanta mala illata sunt propter nos: nec refert quod eius morte, tanta bona sumus consecuti, eadem enim ratione, & filio erit lætandum in morte patris, quod sic perueniat ad hæreditatem, sine qua miser egebat. Et quidem si mundus (vt loquitur Tertullianus) moriente Domino lugubre fecit officium, si sol contenebratus est, terra commota, tota contremuit; montes saxei disrupti sunt, velum templi scissum est grauissimo, nec cui refragari quis possit, certissimo argumento nobis est lugendum. Et quidem in isto luctu rerum insensibilium, nihil equidem potest adferri, nisi voluntas Dei: quæ non hoc esset operata in istis suis inanimatis creaturis, si luctum hoc equidem tempore damnasset. Luxerunt quoque Dominum & lachrymantes eũ, sunt prosecutæ filiæ Hierusalem. Non damnauit Dominus hoc officium, quin imo magis etiam & flere & lugere eas iussit, amicè eas compellauit, blandè est allocutus, prophetice de rebus futuris commonefecit: vt à naturali & præsenti sensu doloris, ad grauiorem iustioremque dolorem conuerterentur. Si hæc in viridi, in arido quid fiet. Quo etiam modo, & nos hic plorare iubet ecclesia: vt simul deflcamus flagellatam

& morte

& morte ſublatam viriditatem Domini; & in timore cogitemus ignem ariditatis noſtræ; vt eum extinguamus ſucco ſanguinis, ſucco lachrymarum, quæ excuſſa ſunt de viriditate eius. Eſt præterea & alia ratio, cur circa tempus paſſionis ieiunamus. In qua, inquit B. Auguſt. parte anni, congruentius obſeruatio quadrageſimæ conſtitueretur, niſi confini atque contigua dominicæ paſſioni: quia in ea ſignificatur hæc vita laborioſa. Et alibi latius: Domini paſſio tempus noſtrum ſignificat, in quo nunc flemus, flagella, vincula, contumeliæ, ſputa, ſpinea corona, vinum fellitum, in ſpongia acetum, inſultationes, opprobria, poſtremo ipſa crux, in ligno membra pendentia, quid nobis ſignificant niſi tempus quod agimus, tempus mœroris, tempus mortalitatis, tempus tentationis, ideo fœdum tempus. ſed fœditas iſta ſtercoris ſit in agro, non in domo. Mœror ſit de peccatis non de cupiditatibus fraudatis: fœdum tempus, ſed ſi bene vtatur fidele tempus. Quid fœtidius agro ſtercorato? pulchrior fuit ager antequam cophinum ſtercoris haberet, perductus eſt ager ad fœditatem, vt veniret ad vbertatem fidei: ergo fœditas huius temporis ſignum eſt: ſed nobis ſit iſta fœditas tempus fertilitatis. Et alibi idem B. Auguſtinus: Congruit noſtræ deuotioni, vt qui Domini crucifixi paſſionem, iam propinquantem celebraturi ſumus, ſic reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobisipſi etiã faciamus; ſicut dicit Apoſtolus: Qui autem Jeſu Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum paſſionibus & concupiſcentijs. In hac quidem cruce per totum iſtam vitam, quæ in medijs tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Chriſtianus: non enim eſt in hac vita tempus euellendi clauos, de quibus in pſalmo dicitur: Confige clauis à

Ad Ian. epiſt. 99. cap. 15.

Serm. de Temp. 151

Serm. 68. de diuerſ.

timore tuo carnes meas. Carnes sunt carnales concupiscentiæ, claui sunt præcepta iustitiæ. His illas timor Dei configit, qui nos illi acceptabilem hostiam crucifigit. Vnde idem dicit Apostolus: Obsecro itaque vos fratres per misserationem Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, Deo placentem. Crux ergo ista est, in qua Dei seruus, non solum non confunditur, sed etiam gloriatur dicens: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Crux inquam ista, non 40. dierũ est, sed totius huius vitæ, quæ mystico numero 40. istorum significatur dierum: siue quod homo ductu-rus hanc vitam, sicut nonnulli asserunt diebus 40. formatur in vtero; siue quod Euangelia quatuor, cum denaria lege concordant: & quaterdeni istum numerum signant: nobisque in hac vita scripturas vtrasque necessarias esse demonstrant: siue alia qualibet probabiliore causa, quam potest intellectus melior & luculentior inuenire. Vnde & Moyses & Helias & ipse Dominus, 40. diebus ieiunauerunt vt insinuaretur nobis & in Mose & in Helia & in ipso Christo, hoc est in lege, & Prophetis, & in ipso Euangelio, id agi nobiscum, ne conformemur & hæreamus huic seculo, sed crucifigamus hominem veterem: non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & amulatione agentis, sed induamus Dominum Iesum, & carnis curam ne fecerimus in concupiscentijs. Sic semper hic viue Christiane si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere. Si autem hoc faciendam est per hanc totam vitam, quanto magis per istos quadragesima dies, quibus non solum agitur, verum etiam significatur

hæc

hac vita. Et S. Leo: Merito, inquit, a sanctis Apostolis per doctrinam spiritus Sancti, maiora ordinata sunt ieiunia: vt per communem consortium crucis Christi, etiam nos aliquid in eo quod propter nos gessit, ageremus; sicut Apostolus ait: Si compatimur, & conglorificabimur. Certa atque secura est expectatio promissæ beatitudinis, vbi est participatio Dominicæ passionis. Nemo est dilectissimi, cui per conditionem temporis, societas huius gloriæ denegetur, tanquam tranquillitas pacis, vacua sit occasione virtutis: Apostolus enim prædicat omnes qui volunt in Christo piè viuere, persecutionem patientur. Et ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit obseruantia pietatis. Dominus enim in exhortationibus suis dicit: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Nec dubitare debemus, hanc vocem non solum ad discipulos Christi sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere: quæ salutare suum in his qui aderant, vniuersaliter audiebat. Sicut ergo totius est corporis piè viuere, ita totius est temporis crucem ferre: quæ merito ferri vnicuique suadetur: quia propriis modis atque mensuris, ab vnoquoque toleratur. Vnum nomen est persecutionis, sed non vna causa est certaminis: & plus plerunque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto. B. Iob alternantibus bonis ac malis mundi huius eruditus, piè veraciterque dicebat: Nonne tentatio est vita hominis super terram? Quoniam non solis doloribus corporis atque supplicijs, anima fidelis impetitur: verum etiam salua incolumitate membrorum, graui morbo vrgetur, si carnis voluptate mollitur. Sed cum caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, præsidio crucis Christi, mens ratio-

Leo serm. 9. de quadrag.

nalis instruitur, nec cupiditatibus noxiis illecta consentit : quoniam continentiæ clauis & Dei timore transfigitur. Cum igitur 40. diebus ieiunamus, tunc equidem per luctum desiderii & amoris, per compassionem Domini patientis & morientis, sic passionem & mortem Domini meditamur. Compatimur quoque Domino, & crucifixionem Domini imitamur ieiunando, & sic mortificando membra peccati in nobis. Diximus enim ante, Christum Dominum nobis esse propositum, non solum vt eum audiamus, sicut audimus lectorem & præconem: sed multo etiã magis, vt eum imitemur in illis omnibus, quæ fecit vt homo, & quæ facere non potuisset, si homo non fuisset. Quo in genere præcipuum est eius passio, qua omnium longissime à diuinitate sua veluti discessit Dominus. Omnis igitur qui propter iustitiam patitur, & hoc fert in patientia, propter iustitiam, ille vtique compatitur Christo, siue illa ei vis fiat ab alio, siue hanc sibi vim ipse faciat homo peccator, ob Dei iustitiam. Sicut Christus animam ipse suam posuit; oblatus est, quia ipse voluit, vt satisfaceret iustitiæ Dei pro peccatis alienis. Et quidem hac in re non sunt audiendi, qui vel amore seculi, vel conscientia hæretica, contra idcirco dicunt, nobis non esse laborandum: vel quod hæreditate iam parta, possessione adepta, laborari iam non sit necesse: vel quod iniuriam faciat duci, qui post adeptam victoriam, post trophæa, post triumphum, aliquid se putat posse præstare, quo veniat in partem tantæ laudis. Omnino qui crederet, qui profiteretur, qui vel cogitaret modo, posse se aliqua ratione venire in partem illius triumphi, quem suo magno & iusto merito, consecutus est Christus: nempe vt sedeat ad dexteram Dei, vt in nomine suo flectatur omne genu, ne ille

stultum

ſtultus eſt & demens. Verum qui intelligimus nos ſpe ſaluos factos eſſe, & qui ſpem diſtinguimus a re, peregrinationem iſtam terreſtrem, ab habitatione cœleſti; & qui deinde hoc etiam ſcimus, Chriſtum factum eſſe cauſam ſalutis omnibus obtemperantibus ſibi : quique omnem multo maximam ac pene ſolam obedientiam in eo collocamus: vt ſicut ille ambulauit, ſic & nos ambulemus: ij certe reprehendi ob iſta quæ diximus, nullo iure poſſumus, tam non iure, quam iure debet reprehendi, qui hæc iſta quæ diximus non facit. Et quidem in negocijs humanis, nemo dicit filio gaudenti de paterna hæreditate, de eius laude & gloria, ociare, lude, viue libidinoſe, viue nequiter: quin contra iiſdem artibus monet inſiſtendum, quibus parens res illas eſt conſecutus : futurum alioqui vt & illa amittat quæ virtute aliena iam eſt adeptus, & breui ex honorato & diuite fiat infamis & pauper.

EXPLICATIO OFFICII.

INtroitus eſt ex Pſalmo 25. Iudica me Domine. Moleſta vota & quaſi periculoſa, optat ſibi vt iudicetur. Quid eſt iudicari quod optat? diſcerni ſe optat a malis, alio loco euidenter dicit de ipſo iudicio diſcretionis: Iudica me Domine, & diſcerne cauſam meam, de gente non ſancta, oſtendit quid dixerit, iudica, ne tanquam ſine iudicio, quia boni & mali, modo intrant in eccleſiam ; & boni & mali eant in ignem æternum. Iudica me Domine quoniam poſt miſericordiam quam tu mihi prærogaſti innocentiæ meæ, habeo aliquod meritum, cuius viam cuſtodiui. Nec tamen etiam ſic in me, ſed in Domino ſperans,

permaneboin eo. Et quia in Domino ſperaui, redime me & miſerere mei: pes meus ſtetit in via recta. Spes in hominibus & rebus humanis eſt via non recta, ſpes in Deo, eſt ſtare in via recta Et idcirco in eccleſijs non me benedicam, ſed te benedicam in operibus meis. Hoc eſt enim benedicere Deum in eccleſijs: ſic viuere vt per mores cuiuſque benedicatur Deus. Collecta petit finem ieiunij, ſectationem iuſtitiæ, & ieiunium à culpa. Epiſtola habet deuotam & feruentem orationem Danielis, pro eccleſia afflicta à Deo propter peccata. Et conuenienter huic orationi ſubijcitur Graduale ex Pſalmo 69. Adiutor meus & liberator meus eſto Domine, ne tardaueris: confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærũt animam meam. Iſti perſecutores eccleſiæ, quandiu non confunduntur, & reuerentur, neceſſe eſt vt facta ſua defendant, glorioſi ſibi videntur quia tenent, quia ligant, quia verberant, quia occidunt, quia ſaltant, quia inſultant, de his omnibus factis aliquando confundantur & reuereantur. Si enim confundantur, & conuertentur: quia conuerti non poſſunt, niſi confuſi fuerint & reueriti. Et hoc ſanctum votum Gradualis, excipit Tractus ordinarius, continens confeſſionem & agnitionem peccati. Lectio & cetera quæ ſequuntur vſque ad Euangelium, proponunt nobis peccatorem conuertentem ſe ad Dominum. Euangelium contra loquitur de ijs, qui moriuntur in peccatis ſuis: qui non credunt Chriſto, qui ſunt de hoc mundo, qui ſunt de deorſum. Ob multa quæ dixerat & fecerat Dominus, Iudæi cupiebant eum comprehendere: ſed quia nondum venerat hora eius, hoc nemo tentauit. Huic itaque malæ illorum voluntati ſic reſpondet Dominus: Ego liberrime vado, & quo ego vado, vos non

poteſtis

poteſtis venire, & cum ſic diſceſſero, adhuc quæritis extinguere nomen meum: ſed ad me non peruenietis, nec alium habebitis fructum iſtius malæ inquiſitionis veſtræ, quam quod in peccatis veſtris ſitis morituri. Ex hoc Domini ſermone hoc vel ſuſpicati ſunt, vel optando dixerunt Iudæi: Nunquid interficiet ſeipſum: nempe vt ſic ſe ſubducat ſupplicio, quod illi machinamur, reſpondet Dominus: vos terreni nihil cogitatis niſi terrenum, putatis me cogitare de præcipitio, de aliqua peregrina & extraordinaria morte, qua me vobis eripiam? ego de ſupernis ſum, ego de hoc mundo non ſum: non ſunt tales meæ cogitationes. In illis verbis quæ ego dixi, vos illa arripuiſtis, quibus dixi, vos non poſſe venire quo ego vado: quin contra illud vos cogitare oportebat, quod dixeram in peccatis veſtris moriemini; eius rei cogitatione occupari vos oportebat. Si enim cum fuero profectus non crediderit is, quia ego ſum; vere moriemini in peccatis veſtris. Dicebāt ergo ei: Tu quis es? reſpondet eis Dominus: Sum id quod a principio vobis loquor, ac toties inculco ac repeto, nempe panis vitæ, panis viuus qui de cœlo deſcendi, lux mundi. Omnino ſic eſt vt loquor vobis, nempe fere, vt qui non crediderit quia ego ſum, vt ille in peccatis ſuis moriatur. Multa de vobis poſſem dicere, ac in multis vos accuſare, ſiue iudicare & damnare: ſed qui miſit me verax eſt, & iuſtus; ei ego vos relinquo iudicandos: illi doctrinam meam quam reiicitis, explorandam relinquo: ea enim loquor quæ ab illo audiui. Et quidem iſtis verbis illud quod dixerat Dominus, de eo à quo miſſus fuerat, non intellexerunt Iudæi, quod loqueretur de patre, quod ille miſiſſet eum. Ob iſtam itaque illorum ignorantiam, hæc etiam ſubiecit Dominus: futurum eſt vt odium

quo laboratis, sic vos transuersos abripiat, vt me in crucem sitis acturi ; & cum sic exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis illud quod à me scire desideratis . Quis ego sum, tunc enim cognoscetis, Quia ego sum , id est quod ego tam nunc contemptus, sum Deus & Dominus vester. Tunc quoque illud cognoscetis, quod dixi de eo, qui me misit: nempe, quod à meipso facio nihil, sed sicut me docuit pater , sic loquor. Tum intelligetis me esse equalem patri , & idcirco eandem esse illius & meam voluntatem , eandem illius & meam doctrinam: vna enim est vtrorumque voluntas , sicut vna est potentia , ille mens est ego autem verbum. Et qui misit me, mecum est . Ne putaremus quod maior esset is, qui misit , sanat huiusmodi cogitationem. Et qui misit me, mecum est, tanquam inseparabilis : misisse siquidem dispensationis est, esse autem cum eo, qui misit , coherentia, siue conglutinationis : nam sancta trinitas quæ equaliter omnem implet locum, a seipsa non secernitur . Offertorium est ex Psalmo 15. & pertinet ad illam spem, de qua in introitu, ibi propter illam non infirmamur , propter illam spem stant pedes in via recta, hic benedicimus Dominum , offerendo nos illi , quia dedit nobis intellectum sperandi in eum. Hic prouidemus eum in conspectu nostro semper, Hic à dextris est nobis, ne commoueamur. Communio continet admirationem Domini , propter mirabilia eius sacramenti , cui communicamus; vel etiam propter id hoc dicit, quod summè admirabile sit nomen Domini, ex illa exaltatione quæ est in Euangelio.

MISSA

MISSA FERIÆ SECVNDÆ POST DOMINIC. II. QVADRAG.

INTROITVS.

REdime me Domine,& miſerere mei, pes enim meus ſtetit in via recta: in eccleſijs benedicam Dominum. *Pſal.25.*

Pſal. Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: & in Domino ſperans,non infirmabor. ℣.Gloria Patri. *Ibidem.*

OREMVS.

PRæſta,quæſumus,omnipotens Deus:vt familia tua,quæ ſe affligendo carnem ab alimentis abſtinet: ſectando iuſtitiam à culpa ieiunet.Per Dominum.

QVæſumus, omnipotens Deus, vt qui noſtris fatigamur offenſis, & merito noſtræ iniquitatis affligimur:pietatis tuæ gratiam cõſequi mereamur.Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis:Orauit Daniel Dominum,dicens.Domine Deus noſter,qui eduxiſti populum tuum de terra Ægypti,in manu forti, & feciſti tibi nomen ſecundum diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem iuſtitiam tuam, auertatur obſecro ira tua,& furor tuus à ciuitate tua Hyeruſalem, & à monte ſancto tuo.Propter peccata enim noſtra,& iniquitates patrum noſtrorum Hieruſalem, & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus *Cap. 9.*

omnibus per circuitum noſtrum. Nunc ergo exaudi Domine Deus noſter orationem ſerui tui, & preces eius: & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuariũ tuum, quod deſertum eſt. Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum. Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam: ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine: attende, & fac, ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem & ſuper populum tuum, Domine Deus noſter.

Pſal. 69. *Graduale.* Adiutor meus, & liberator meus eſto: Domine ne tardaueris. *Verſ.* Confundantur & reuereantur inimici mei, qui quærunt animam meam.

Pſa. 102. *Tractus.* Domine, non ſecundum peccata noſtra, quæ fecimus nos: neque ſecundum ini-
Pſal. 78. quitates noſtras retribuas nobis. *Verſ.* Domine, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ
Ibidem. tuæ, quïa pauperes facti ſumus nimis. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Cap. 8. IN illo tempore: Dixit Ieſus turbis Iudæorum. Ego vado, & quæretis me: & in peccato veſtro

veſtro moriemini. Quo ego vado, vos non poteſtis venire. Dicebant ergo Iudæi. Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dicit: quo ego vado, vos non poteſtis venire? Et dicebat eis. Vos de deorſum eſtis: ego de ſupernis ſum. Vos de mundo hoc eſtis: ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo vobis: quia moriemini in peccatis veſtris. Si enim non crediderit is, quia ego ſum: moriemini in peccato veſtro. Dicebant ergo ei. Tu qui es? Dixit eis Ieſus. Principium: qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui, & iudicare. Sed qui miſit me, verax eſt: & ego, quę audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt, quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis Ieſus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ſum, & à meipſo facio nihil: ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecum eſt: & non reliquit me ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

Offertorium. Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: prouidebam Dominũ in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. *Pſal.*

Verſ. Conſerua me Domine, quoniam in te ſperaui: ego dixi Deus meus es tu: Dominus pars hæreditatis meæ.

Verſ. Notas feciſti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, & delectationes in dextera tua vſque in finem.

Secreta.

HÆc hoſtia, Domine, placationis, & laudis, tua nos protectione dignos efficiat. Per Dominum noſtrum.

Præ-

Præfatio.

AEterne Deus & pietatem tuam ſupplici deuotione depoſcere, vt ieiunij noſtri oblatione placatus, & peccatorum nobis concedas veniam, & nos à noxijs liberes inſidijs. Per Chriſtum.

Pſal. 8. *Communio.* Domine Deus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum, in vniuerſa terra.

Poſt-Communio.

HÆc nos communio, Domine, purget à crimine, & cęleſtis remedij faciat eſſe cõſortes. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

ADeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges: conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

BEnedictione tua ſancta, me & omnes nos benedic Domine; vt per eam fides, charitas, & ſpes in te, confirmetur in nobis: & omnes ſimul in exitus noſtri, extremique iudicij die, benedictionem tuam vere percipientes, paſſionis & meriti tui fructum cum omnibus ſanctis perfruamur. Qui viuis & regnas verus Deus, verus homo, in ſecula ſeculorum. *Amen.*

FERIA

FERIA TERTIA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

Tempus Quadrageſimæ pertinet ad celebrationem Feſti Paſchalis.

EXPLICAVIMVS *quopacto tẽpus ieiunij quadrageſimalis nos admonet de Domini paſſione, nunc proximum eſt vt oſtendamus, quopacto idem tempus moneat nos quoque de Paſchate, de tranſitu quem fecit Dominus de morte ad vitam. Qua de re* Serm. 8. *ſic Petrus chryſologus: Gubernator prudens a littore cum nauim ſoluit, cum mare tranſiturus intrat fluctus, domus, patriæ, coniugis, pignorum curas deponit: & ita totus mente, corpore, ſenſu, nauticis laboribus occupatur: vt & fluctuum poſſit ſuperare diſcrimina, & ſtationem lucroſi portus periculi victor intrare. Sic nos fratres ingreſſi iter abſtinentiæ, ieiunij pelagus, quadrageſimæ viam, nauim corporis noſtri ſoluamus, à littore mundano, ſecularis patriæ renunciemus curis, in crucis arbore tota mentis vela tendamus, virtutum funibus, ſapientiæ remis, gubernaculis diſciplinæ, nauigij noſtri muniamus ingreſſum: & ſubducti terris ſpeculemur cœlum: vt ducatu ſignorum cœleſtium, inter liquidos calles latentis viæ, inoffenſum tramitem tenere poſſimus: ac ſic gubernante Chriſto, flante ſpiritu ſancto, euictis voluptatum ſpumis, ſuperatis vitiorum fluctibus, decurſis criminum procellis, tranſuectis ſcopulis peccatorum, atque omnium delictorum naufragijs euitatis, Paſchæ portum, lucrum vitæ, gaudia reſurrectionis intremus. Quid igitur eſt nauigantibus optatius,*

tatus, & nauigando quæsitus portus: hoc est ieiunantibus quadragesimam Paschæ. S. Leo: Semper quidem nos dilectissimi sapienter & sancte viuere decet, & in id voluntates nostras actionesque dirigere, quod diuinæ nouimus placere iustitiæ. Sed quum ij appropinquant dies, quos illustriores nobis salutis nostræ sacramenta fecerunt: diligentiore solicitudine corda nostra sunt mundanda, & studiosius exercenda est disciplina virtutum: vt sicut ipsa mysteria, quàdam sui parte maiora sunt: ita & nostra obseruantia superet in aliquo consuetudinem suam, & cui festiuitas est celebranda sublimior, ipse quoque reperiatur ornatior. Si enim rationabile & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoque orationis domum propensiore tunc cura, & ampliore cultu, quantum possumus, adornamus: nonne dignum est, vt anima Christiana, quæ verum viuumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suæ celebraturæ sacramentum, omni circunspectione præcaueat, ne vlla eam macula iniquitatis obfuscet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Deinde Paulo post, in eodem sermone: Vnde quia dum mortali carne circundamur, non desinit nobis antiquus hostis, laqueos peccati vbique prætendere, & tunc maxime aduersus Christi membra sæuire, quando ab eis sunt celebranda sacratiora mysteria. Merito doctrina spiritus sancti, hac eruditione imbuit populum Christianum, vt ad paschale festum quadraginta dierum continentia se præpararet. Cuius purificationis ratio iam nos ad obseruãtiam suæ salubritatis inuitat, & diligentiam nobis propositæ castigationis indicit.

Serm. 3 de quadr.

Iterum

Iterum S. Leo: Inter omnes dilectissimi dies, quos multis modis honorabiles habet Christiana deuotio, nullus est excellentior festiuitate Paschali: per quam in Ecclesia Dei vniuersarum solennitatum dignitas, consecratur. Si quidem etiam ipsa Domini ex matre generatio, huic fuit impensa sacramento, nec alia fuit Dei filio causa nascendi, quam vt cruci posset affigi. In vtero enim virginis suscepta est caro, mortalis, in carne mortali: completa est dispositio passionis, effectumque est ineffabili consilio misericordiæ Dei, vt esset nobis sacrificium redemptionis, abolitio peccati, & ad æternam vitam initium resurgendi. Considerantes autem, quid per crucem Domini adepta est vniuersitas mundi, cognoscimus ad celebrandum Paschæ diem, merito nos quadraginta dierum ieiunio præparari: vt digni possimus diuinis interesse mysterijs. Non enim summos tantum antistites, aut secundi ordinis sacerdotes, nec solos sacramentorum ministros, sed omne corpus Ecclesiæ, vniuersumque fidelium numerum, ab omnibus contaminationibus oportet esse purgatum: vt templũ Dei, cui fundamentum est ipse fundator, in omnibus lapidibus speciosum, & in tota sui parte sit lucidum. Serm. 10. de quadr.

Iterum alio loco: Appropinquante dilectissimi solennitate Paschali, sic est præcurrenda consuetudo ieiunij: vt nos quadraginta dierum numerus ad sanctificationem corporis & mentis exerceat. Suscepturi enim festorum omnium maximum festum, ea nos debemus obseruantia præparare: vt in cuius sumus resurrectione conresuscitati, in ipsius inueniamur passione commortui: dicente Beato Paulo Apostolo: Mortui enim estis vos, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit Serm. 12. de quadr.

apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Qua vero nobis est cum Christo participatio, nisi vt desinamus esse quod fuimus? aut quæ similitudo resurrectionis, nisi depositio vetustatis? Vnde qui sacramentum suæ reparationis intelligit, carnis se vitijs debet exuere, & omnes sordes peccatorum abijcere: intraturus nuptiale conuiuium, splendeat veste virtutum. Sunt & apud alios scriptores eius generis testimonia infinita, quibus vt plurimum coniungitur Pascha Passioni, ob consecutionem & naturalem vtrorumque connexionem, Paschati nihilominus seu resurrectioni Domini a mortuis, præcipuæ partes tribuuntur. Quid vero sit Pascha, cui præparare nos vult ecclesia, quantas res illud contineat, quod tam accuratum nostrum studium efflagitat, id certe explicari hoc loco non oportet, nam sicut sufficit diei sua malitia, vt non sit necesse, diei præsenti accumulare malitiam dierum futurorum: sic laborantibus in Christi disciplina, prudens mater & magistra solertissima ecclesia, non omnia vno contextu, sed singula suo tempore proponit atque ordine. In quadragesima itaque cogitandum & laborandum est, de quadragesima: eo quidem fine, vt fructum Paschatis adipiscamur. Sed in ipsum illum fructum tum demum est intuendum, cum decurso tempore, is nobis maturuerit. Nam vt in floribus, licet illi amentur propter fructum, nihilominus quandiu est tempus florum, non nisi de floribus sumus solliciti, vt eos nemo decutiat, non vermes exedant, non cœli iniuria consumat: idem nobis faciendum est in quadragesima, qua peracta, & sic purgatis & defecatis oculis mentis & corporis: tum equidem & fructibus legendis, & fructubus mandendis, & ijs postre-

mo in noſtram naturam commutandis, multo nobis aptiora tempora ſunt futura.

EXPLICATIO OFFICII.

INTROITVS *ſic loquitur ex Pſalmis:* Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram: ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. *Adiſta verba ſcribit valde deuot: Guilielmus Abbas Sancti Theodorici: Permittit, quinimo iubet quadrageſima, vt etiam longiores rerum diuinarũ ſermones, a nobis ſtudioſe & libenter legantur: ſic igitur iſte deuotus Abbas Cluniacenſis:* Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuã Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Comparare quidem faciem tuam: faciei meæ, Domine Deus, inſpector & iudex cordium, temerarium nimis videtur & inſolens: cum ſi introieris in iudicium cum ſeruo tuo, non habeat faciens iuſtitiæ meæ, niſi fugere à facie tua. Sed ſi donante te, charitas ardens excuſaret, humilitas pia adiuuaret paupertatem meam, fugiant qui oderunt, ego non fugerem à facie tua. Altera enim præſumit, altera nutrit fiduciam. Harum ego mihi conſcius non ſum, ſed amicum profiteor. Si enim interrogas me, ſicut interrogaſti Petrum, Amas me: dicam plane, dicam confidenter, Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia volo amare te. Si millies me interrogas, millies reſpondebo; ſed non aliud, niſi, Quia tu ſcis quod volo amare te. Quod etiam ſic vult, vt nihil ſic

Pſal. 26.

Ioan. 21.

hil ſic velit cor meum, quam amare te. Humilitatem etiam amplector, quam definiũt definientes contemptum propriæ excellentiæ: ſed dum quaſdam excellentiarum minutias nonnunquam inſcius incurro; vel cum offeruntur, non ſatis cito inde excutio me, optimè ſcio quia humilis non ſum. Eſt alia humilitatis ſpecies, ſcilicet notitia ſui, in qua ſi iudicor ſecundum ea, quæ in me noui, actum eſt de me, & malo (vt aiunt) omine, tetendi pedem in iuſtitiam iudicij tui. Si autem hoc apud te virtus iudicatur, ſi peccatum meum coram me eſt ſem-
Pſal. 30. per: huius virtutis non omnino expertem me arbitror, cum etiam volenti mihi, & melioribus rebus intento, ſic ſæpe fœda peccatorum meorum facies, mentis meæ oculis ſe ingerat, vt propter ipſa ipſe me oderim.

O Domine, quid multa dicam de ignominioſa facie conſcientiæ meæ? Qualiſcunque quomodocunque ſit, ſic tota eius facies tuam faciem deſiderat, vt omnia quę ſunt vitę huius, ipſam quoque vitam, præ amore eius faſtidiat & deſpiciat, nec curet omnino quid videat, dum te videat. Sic interim, ô viſu deſiderabilis, exquirit te facies mea, faciem tuam requiro; ne, obſecro, auertas eam à me: ſed doce me interim, ô æterna Sapientia illuſtratione ipſius vultus tui, quæ ſit iſta facies & facies: quia licet deſiderio vnius ad alteram contabeſcam; neutram tamen ſatis noui.

Scio enim, quia ſi non eſt datum Paulo Apoſtolo, vt videret te in hac vita, facie ad faciem; & dilecto diſcipulo tuo ſicuti es: quod ſic diligenti, & ſic dilecto non conceditur, non

non ſani eſt capitis, à quo hoc ſperatur vel quæritur.

Tamen vbi audio in Dauid faciẽ & faciẽ, nõ poſſum deſperare, quod aliquẽ de te audiã ſperare: non quod oblitus ſim quis ſim; ſed ſpero de indulgentia miſericordiæ tuæ: & quia licet miſerè in hoc proficiam, nollem te minus amare ab vllo te amante. Nam licet Moyſi videatur eſſe negatum, quod tum Dauid nullo modo erat deſperatum, tamen de eodem Moyſe cæteriſque patribus cantat & pſallit ipſe Dauid: Quia non in gladio ſuo poſſederunt terram, & brachium eorum non ſaluauit eos: ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. *Pſal. 43.*

De ſeipſo etiam, Domine, inquit, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: auertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Eam ergo dulciſſime faciem quam auertiſti aliquando à ſancto Dauid, & factus eſt conturbatus, conuerte ad me, & ero conſolatus: quam priuſquam auertiſſes ab eo, in voluntate tua præſtitiſti decori eius virtutem. Et poſſideat terram meam dextera tua & brachiũ tuum, & illuminatio vultus tui: quæ terram patrum poſſedit, in quibus complacuiſti. Nam de vultu tuo & facie tua neminem audio tam ſæpè, tam familiariter agere & loqui quam Dauid. Nec credendum eſt, eum vultus tui inexpertum, de quo precatur omne iudicium ſuum prodire; & cum vultu tuo, lætitia ſe præſumit adimplendum. Qui etiam beatificans beatum populum, qui ſcit iubilationem, Domine, inquit, in lumine vultus tui ambulabunt: Quam *Pſal. 29.* *Pſal. 53.* *Pſal. 16.* *Pſal. 88.*

attentius possum, ò Deus cordis mei, consulens ipsum vultum tuum, vt de eo super hoc iudicium meum prodeat, conclamante hoc in omni conscientiæ meæ assensu; vultum tuum hunc & faciem tuam inuenio esse notitiam veritatis tuæ, cui beatus populus tuus faciem exhibens bonæ voluntatis, iubilat gaudium in spiritu sancto & magni anni iubilæi festum, in contemplatione & fruitione ipsius veritatis tuæ, in cuius etiam lumine ambulat, gressus suos & omnia sua dirigens, secundum iudicia iustitiæ tuæ. Est quidem alia facies & alius vultus notitiæ tuæ, de qua dictum est ad Moysen: *Exod. 33.* facies mea non videbitur tibi; non enim videbit me homo & viuet. Visio vel scientia diuinæ maiestatis tuæ, quæ in hac vita melius nesciendo scitur, & scire aliquem quomodo eam nesciat, hæc in hac vita summa eius scientia est. *Psal. 17.* Sed ò Domine, licet tenebras ignorantiæ nostræ, & cæcitatis humanæ posueris latibulum faciei huius, tamen in circuitu tuo tabernaculum tuum, luminosi illi tui sancti: qui aliquando fuerunt, qui de luminis & ignis tui contubernio lucentes & ardentes, verbo & exemplo cæteros illuminabant, & accendebant: & huius superuenientis notitiæ tuæ solenne gaudiũ in futura nobis vita denunciabant: qua videberis sicut es, vel facie ad faciem. Interim vero per eos fulgura veritatis, quæ alluxerunt orbi *Psal. 96.* terræ, & illuxerunt coruscationes. Ad quas hilarescunt qui sanos habent oculos: commouẽtur autem & conturbantur qui diligunt magis tenebras quam lucem. Nam manifestatio huius veritatis tuæ, per quoscunque fiat, sic est

sicut

ſicut ſol tuus, quem facis oriri ſuper iuſtos & iniuſtos, qui in ſuæ naturæ puritate permanēs, vtitur rerum materijs, ſicut eas inuenit; lutum ſtringens, ceram ſoluens, illuſtrans omnem oculum, & videntem, & cæcum: videntem, vt illuſtratus plus videat, cæco in ſua cæcitate permanente. Sic & tu ò Sapientia Dei, & lux veritatis, cum veniſti in mundum, per quem mundus factus eſt; illuminaſti omnem hominem venientem in hunc mundum: ſed tenebræ te non comprehenderunt. Quotquot autem te receperunt, & lucem veritatis tuæ, dediſti eis poteſtatem filios Dei fieri. Ideo ò ſol iuſtitiæ, fulgurans omnibus lumen vultus tui, & veritatis tuæ ſplendorem ſponſam tuam quæcunque illa eſt, inuitas dicens: Oſtende mihi faciem tuam, ſoror mea ſponſa. Statimque anima bonæ voluntatis, cui de cælo pax annunciatur; qui frater eſt Chriſti, cuius anima ſoror appellatur, ſicut eſt, ſic in ſancto tuo apparere tibi deſiderat, & in lumine tuo videre lumen. Si peccator eſt, oſtendit tibi faciem miſeriæ ſuæ: requirens faciem miſericordiæ tuæ Si ſanctus eſt, occurrit tibi in facie iuſtitiæ ſuæ, & inuenit in te faciem ſimilitudinis ſuæ: quia iuſtus Dominus iuſtitias diligis. Porro cui frons eſt meretricis, non vult erubeſcere: & fugiens veritatem tuam incurrit fœuiſſimam iuſtitiam tuam. Quot enim anima humana habet affectiones, tot ad te habet facies. Tu autem, ò veritas omnes excipis; & omnibus te mutuans, in te ipſo non mutaris. *Ioan. 1.* *Cant. 2.* *Pſal. 31.* *Hier. 3.*

Inuenit in te pia humilitas familiarem gratiam: inuenit ardens amor, ſuauem olei maturi-

tatem: inuenit cordis humilis contritio, paratam sibi à te iustitiam: inuenit frons meretri-
Psal. 84. cis cõfusionem suam. Sic, ò summa iustitia, misericordia in te, & veritas obuiauerunt sibi, cũ veritas humanæ iustitiæ in anima iusta humiliter confitetur: & tuæ iustitiæ veritas in veritate confitenti, quasi iustè miseretur. Et dum illa porrigit osculum iustæ confessionis, tu eam suscipis in osculo pacis. Hoc est osculum sponsi & sponsę, cuius facies vt digna inueniretur
Mat. 27. osculo tuo, ò Domine, tua facies consputa est: vt illius appareret decora & speciosa, tua facies alapis palmarum, & ictibus arundinum facta est liuida: tua in oculis hominum saturata opprobrijs, vt illius pulchra appareret in oculis tuis. Quin insuper fecisti lauacrum ei, tui precioſi sanguinis, in quo lauaretur Fili Dei, horribilia patiens pro nobis, qui fecimus horribilia; pro quibus faciei summæ iustitiæ, in nullo satisfacere potuisset facies cuiusuis pœnitentiæ; nisi eis quæ pro nobis passus es, addita fuisset tua innocẽtia: & quia cum esses filius, exau-
Hebr. 5. ditus es pro tua reuerentia.

Pro meis enim manibus, Domine, quæ fecerunt quæ non debuerunt, tuæ manus clauis transfixæ sunt: pedes tui, pro pedibus meis, oculi tui pro illicito visu meo: aures pro auditu in mortem obdormierũt. Lancea militis apertum est latus tuum, vt de impuro corde meo, per vulnus tuum totum aliquando efflueret, quicquid in eo longa tabe, fuerat igni intensum & suffossum.

Ad vltimum, mortuus es, vt ego viuerem; sepultus, vt ego resurgerem. Hoc est osculum dulce-

dulcedinis tuæ ad ſponſam tuam, iſte eſt amplexus dilectionis, ad amicam tuam. Væ ei qui huius oſculi particeps non fuerit, væ qui de amplexu iſto ceciderit. Hoc oſculum accepit in cruce latronis confeſsio; hoc accepit Petrus cum reſpexit eum Dominus negantem, & egreſſus foras, fleuit amare; & plurimi eorum qui te crucifixerunt, poſt paſſionem tuam ad te conuerſi, in hoc oſculo tibi confœderati ſunt. In amplexu iſto exultabat Maria illa, ſeptem olim dæmoniorum poſſeſſio: de quo deciderat Iudæ proditoris malitia. In hoc amplexu ſtringebantur publicani & peccatores, quorum conuiua & amicus factus es. Illic Raab meretrix conuerſa, Babylon te ſciens, alienigenæ, Tyrus, & nigri Æthiopes. Quo autem Domine trahis eos quos amplecteris & adſtringis, niſi ad cor tuum? Cor tuum, dulce eſt illud manna diuinitatis tuæ, quod intus habes, ò Ieſu, in vrna aurea ſuperſapientiæ animæ tuæ. Beati quos ad eam tuus trahit amplexus: beati quos in abſcondito abſconditi illius abſcondiſti in medio cordis tui; vt ſcapulis tuis obumbrentur à contuitatione hominum, nec habent ſpem niſi ſub pennis tuis protegentibus & fouentibus. Scapulis enim virtutis tuæ obumbrantur, qui in abſcondito cordis tui abſconduntur, ſuauiter dormientes, & dulci exſpectatione lætantes, inter medios cleros: meritis ſanctæ conſcientiæ, & exſpectatione præmij promiſsionis tuæ; non propter puſillanimitatem deficientes, vel propter impatientiam murmurantes. Sed & qui ſe dulcius oſculantur mutuos ſibi ſuos ſpiritus dulcius infun-

Luc. 23. *Luc. 22.* *Pſal. 86.* *Pſal. 90.*

dunt, quorum quibuſdam odoribus dulce habent perfundi. Accipe tibi, Domine, nec reſpuas totum ſpiritum meum, quem totum in te effundo, qui totus olet: infunde mihi totum tuum, qui totus quidem redolet, vt de tui ſuauitate meus vltra non oleat, & tui dulcis odor ò dulciſsime, ſemper interius in me permaneat. Hoc eſt quod agitur, cum facimus quod in tui commemorationem nos facere præcepiſti, quo in ſalutem filiorum tuorum nil dulcius, nil potuit prouideri potentius, cum manducantes & bibentes incorruptibile epulum corporis & ſanguinis tui, ſicut munda animalia tua, ab inteſtino memoriæ, cogitandi dulcedine, quaſi ad os reducimus, & in nouum & perpetuum ſalutis noſtræ officium, nouo ſemper pietatis affectu ruminantes: rurſum ſuauiter in ipſa recondimus memoria, quid pro nobis feceris, quid fueris paſſus: vbi dicis animæ
Pſal. 80. deſideranti: Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Et illa, guſtans & videns ſuauitatem tuam, ſacramento magno & incomprehenſibili, hoc efficitur quod manducat, os ex oſſibus tuis, & caro de carne tua, vt ſicut oraſti Patrem, iturus ad paſſionem: hoc Spiritus ſanctus operetur in nobis per gratiam, quod in Patre & te Filio eius, eſt ab æterno per naturam; vt ſicut vos vnum eſtis, ita & nos in vobis vnum ſimus. Hæc eſt, Domine, facies tua, ad faciem te deſiderantis, hoc eſt oſculum oris tui ad os te amantis; hic eſt amplexus dilectionis tuæ ad amplexum ſponſæ tuæ ſuſpirantis tibi, & dicentis. Dilectus meus mihi, & ego illi, in medio vberum
Cant. 1. meorum commorabitur. Et, Tibi dixit cor
Pſal. 26. meum,

meum, exquiſiuit te facies mea: Nam ſi facies animæ noſtræ tuam faciem non requirit, non eſt facies eius naturalis, ſed beſtialis aliqua larua quam induit.

Quis non requirat eam? Quis non infirmabitur pro ea? Quis non languebit? Quis non deficiet? Quis non morietur? Miſerere mihi Domine iam poſt eam; mortuus fuiſſem neſcio quali morte, niſi viſitatio tua cuſtodiſſet ſpiritum meum. E contra inuenit in te inimicus in tempore vultus tui, clibanum ignis; peccator partem calicis ſui, laqueos; ignes, ſulphur, ſpiritus procellarum; ſuperbus potentiam, qua ſuperbis reſiſtis; hypocrita lucem veritatis quã odit. Et hi omnes proprijs priuatorum malorum ſuorum faciebus, cauteriatas habentes conſcientias, quaſi generalem habent faciem malitiæ impœnitentis: & tu excipis eam in facie iuſtitiæ iuſtè iudicantis, & odientes iuſtitiam, in odio iniquitatis: Quia enim probauerunt ſe Deum non habere in notitiam, tradidiſti eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, quæ turpia ſunt ad commemorandum ante te, quæ tamen impudenter & irreuerenter fiunt ante te, & de concupiſcẽtijs ſuis, id eſt, filiabus earum, & de peccatis ſuis, id eſt, eorum filijs, & filijs filiorum, nectunt ſibi illam duram, illam lachrymoſam & longam cathenam, de multitudine peccatorum: quaſi de connexione anſularum ferrearum ſuauiter interim ſtridentem, ſed inſalubriter ſtringentem: per quam detrahuntur in infernum, vbi nullus vltra confitebitur tibi. O Deus; vbi nulla ſpes, nullus inde egreſſus. De quibus miror ſi

Iob. 10. *Pſal. 20.* *Pſal. 10.* *Iaco. 4.* *Rom. 1.*

poſitis

apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Qua vero nobis est cum Christo participatio, nisi vt desinamus esse quod fuimus? aut qua similitudo resurrectionis, nisi depositio vetustatis? Vnde qui sacramentum suæ reparationis intelligit, carnis se vitijs debet exuere, & omnes sordes peccatorum abijcere: intraturus nuptiale conuiuium, splendeat veste virtutum. Sunt & apud alios scriptores eius generis testimonia infinita, quibus vt plurimum coniungitur Pascha Passioni, ob consecutionem & naturalem vtrorumque connexionem, Paschati nihilominus seu resurrectioni Domini à mortuis, præcipua partes tribuuntur. Quid vero sit Pascha, cui præparare nos vult ecclesia, quantas res illud contineat, quod tam accuratum nostrum studium efflagitat, id certe explicari hoc loco non oportet, nam sicut sufficit diei sua malitia, vt non sit necesse, diei præsenti accumulare malitiam dierum futurorum: sic laborantibus in Christi disciplina, prudens mater & magistra solertissima ecclesia, non omnia vno contextu, sed singula suo tempore proponit atque ordine. In quadragesima itaque cogitandum & laborandum est, de quadragesima: eo quidem fine, vt fructum Paschatis adipiscamur. Sed in ipsum illum fructum tum demum est intuendum, cum decurso tempore, is nobis maturuerit. Nam vt in floribus, licet illi amentur propter fructum, nihilominus quandiu est tempus florum, non nisi de floribus sumus solliciti, vt eos nemo desutiat, non vermes exedant, non cœli iniuria consumat: idem nobis faciendum est in quadragesima, qua peracta, & sic purgatis & defecatis oculis mentis & corporis: tum equidem & fructibus legendis, & fructubus mandendis, & ijs postre-

mo in noſtram naturam commutandis, multo nobis aptiora tempora ſunt futura.

EXPLICATIO OFFICII.

INTROITVS *ſic loquitur ex Pſalmis:* Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram: ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. *Adiſta verba ſcribit valde deuotè Guilielmus Abbas Sancti Theodorici: Permittit, quinimo iubet quadrageſima, vt etiam longiores rerum diuinarũ ſermones, a nobis ſtudioſe & libenter legantur: ſic igitur iſte deuotus Abbas Cluniacenſis:* Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuã Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo. Comparare quidem faciem tuam: faciei meæ, Domine Deus, inſpector & iudex cordium, temerarium nimis videtur & inſolens: cum ſi introieris in iudicium cum ſeruo tuo, non habeat facies iniuſtitiæ meæ, niſi fugere à facie tua. Sed ſi donante te, charitas ardens excuſaret, humilitas pia adiuuaret paupertatem meam, fugiant qui oderunt, ego non fugerem à facie tua. Altera enim præſumit, altera nutrit fiduciam. Harum ego mihi conſcius non ſum, ſed amicum profiteor. Si enim interrogas me, ſicut interrogaſti Petrum, Amas me: dicam plane, dicam confidenter, Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia volo amare te. Si millies me interroges, millies reſpondebo; ſed non aliud, niſi, Quia tu ſcis quod volo amare te. Quod etiam ſic vult, vt nihil ſic

Pſal. 26.

Ioan. 21.

hil ſic velit cor meum, quam amare te. Humilitatem etiam amplector, quam definiũt definientes contemptum propriæ excellentiæ: ſed dum quaſdam excellentiarum minutias nonnunquam inſcius incurro; vel cum offeruntur, non ſatis cito inde excutio me, optimè ſcio quia humilis non ſum. Eſt alia humilitatis ſpecies, ſcilicet notitia ſui, in qua ſi iudicor ſecundum ea, quæ in me noui, actum eſt de me, & malo (vt aiunt) omine, tetendi pedem in iuſtitiam iudicij tui. Si autem hoc apud te virtus iudicatur, ſi peccatum meum coram me eſt ſemper: huius virtutis non omnino expertem me arbitror, cum etiam volenti mihi, & melioribus rebus intento, ſic ſæpe fœda peccatorum meorum facies, mentis meæ oculis ſe ingerat, vt propter ipſa ipſe me oderim. *Pſal. 50.*

O Domine, quid multa dicam de ignominioſa facie conſcientiæ meæ? Qualiſcunque quomodocunque ſit, ſic tota eius facies tuam faciem deſiderat, vt omnia quę ſunt vitę huius, ipſam quoque vitam, præ amore eius faſtidiat & deſpiciat, nec curet omnino quid videat, dum te videat. Sic interim, ô viſu deſiderabilis, exquirit te facies mea, faciem tuam requiro; ne, obſecro, auertas eam à me: ſed doce me interim, ô æterna Sapientia illuſtratione ipſius vultus tui, quæ ſit iſta facies & facies: quia licet deſiderio vnius ad alteram contabeſcam; neutram tamen ſatis noui.

Scio enim, quia ſi non eſt datum Paulo Apoſtolo, vt videret te in hac vita, facie ad faciem; & dilecto diſcipulo tuo ſicuti es: quod ſic diligenti, & ſic dilecto non conceditur, non

non sani est capitis, à quo hoc speratur vel quæritur.

Tamen vbi audio in Dauid facié & facié, nõ possum desperare, quod aliqué de te audiã sperare: non quod oblitus sim quis sim; sed spero de indulgentia misericordiæ tuæ: & quia licet miserè in hoc proficiam, nollem te minus amare ab vllo te amante. Nam licet Moysi videatur esse negatum, quod tum Dauid nullo modo erat desperatum, tamen de eodem Moyse cæterisque patribus cantat & psallit ipse Dauid: Quia non in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos: sed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. *Psal. 43.*

De seipso etiam, Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Eam ergo dulcissime faciem quam auertisti aliquando à sancto Dauid, & factus est conturbatus, conuerte ad me, & ero consolatus: quam priusquam auertisses ab eo, in voluntate tua præstitisti decori eius virtutem. Et possideat terram meam dextera tua & brachiũ tuum, & illuminatio vultus tui: quæ terram patrum possedit, in quibus complacuisti. Nam de vultu tuo & facie tua neminem audio tam sæpè, tam familiariter agere & loqui quam Dauid. Nec credendum est, eum vultus tui inexpertum, de quo precatur omne iudicium suum prodire; & cum vultu tuo, lætitia se præsumit adimplendum. Qui etiam beatificans beatum populum, qui scit iubilationem. Domine, inquit, in lumine vultus tui ambulabunt: Quam *Psal. 29.* *Psal. 33.* *Psal. 16.* *Psal. 88.*

attentius possum, ò Deus cordis mei, consulens ipsum vultum tuum, vt de eo super hoc iudicium meum prodeat, conclamante hoc in omni conscientiæ meæ assensu; vultum tuum hunc & faciem tuam inuenio esse notitiam veritatis tuæ, cui beatus populus tuus faciem exhibens bonæ voluntatis, iubilat gaudium in spiritu sancto, & magni anni iubilæi festum, in contemplatione & fruitione ipsius veritatis tuæ, in cuius etiam lumine ambulat, gressus suos & omnia sua dirigens, secundum iudicia iustitiæ tuæ. Est quidem alia facies & alius vultus notitiæ tuæ, de qua dictum est ad Moysen: facies mea non videbitur tibi; non enim videbit me homo & viuet. Visio vel scientia diuinæ maiestatis tuæ, quæ in hac vita melius nesciendo scitur, & scire aliquem quomodo eam nesciat, hæc in hac vita summa eius scientia est. Sed ò Domine, licet tenebras ignorantiæ nostræ, & cæcitatis humanæ posueris latibulum faciei huius, tamen in circuitu tuo tabernaculum tuum, luminosi illi tui sancti: qui aliquando fuerunt, qui de luminis & ignis tui contubernio lucentes & ardentes, verbo & exemplo cæteros illuminabant, & accendebant: & huius superuenientis notitiæ tuæ solenne gaudiũ in futura nobis vita denunciabant: qua videberis sicut es, vel facie ad faciem. Interim vero per eos fulgura veritatis, quæ alluxerunt orbi terræ, & illuxerunt coruscationes. Ad quas hilarescunt qui sanos habent oculos: commouẽtur autem & conturbantur qui diligunt magis tenebras quam lucem. Nam manifestatio huius veritatis tuæ, per quoscunque fiat, sic est

Exod. 33.

Psal. 17.

Psal. 96.

sicut

ſicut ſol tuus, quem facis oriri ſuper iuſtos & iniuſtos, qui in ſuæ naturæ puritate permanēs, vtitur rerum materijs, ſicut eas inuenit; lutum ſtringens, ceram ſoluens, illuſtrans omnem oculum, & videntem, & cæcum: videntem, vt illuſtratus plus videat, cæco in ſua cæcitate permanente. Sic & tu ò Sapientia Dei, & lux veritatis, cum veniſti in mundum, per quem mundus factus eſt; illuminaſti omnem hominem venientem in hunc mundum: ſed tenebræ te non comprehenderunt. Quotquot autem te receperunt, & lucem veritatis tuæ, dediſti eis poteſtatem filios Dei fieri. Ideo ò ſol iuſtitiæ, fulgurans omnibus lumen vultus tui, & veritatis tuæ ſplendorem ſponſam tuam quæcunque illa eſt, inuitas dicens: Oſtende mihi faciem tuam, ſoror mea ſponſa. Statimque anima bonæ voluntatis, cui de cælo pax annunciatur; qui frater eſt Chriſti, cuius anima ſoror appellatur, ſicut eſt, ſic in ſancto tuo apparere tibi deſiderat, & in lumine tuo videre lumen. Si peccator eſt, oſtendit tibi faciem miſeriæ ſuæ: requirens faciem miſericordiæ tuæ Si ſanctus eſt, occurrit tibi in facie iuſtitiæ ſuæ, & inuenit in te faciem ſimilitudinis ſuæ: quia iuſtus Dominus iuſtitias diligis. Porro cui frons eſt meretricis, non vult erubeſcere: & fugiens veritatem tuam inc[illegible] ſæuiſſimam iuſtitiam tuam. Quot enim anima humana habet affectiones, tot ad te habet facies. Tu autem, ò veritas omnes excipis; & omnibus te mutuans, in te ipſo non mutaris.

Ioan. 1.

Cant. 2.

Pſal. 31.

Hier. 3.

Inuenit in te pia humilitas familiarem gratiam: inuenit ardens amor, ſuauem olei maturi-

tatem: inuenit cordis humilis contritio, paratam sibi à te iustitiam: inuenit frons meretri-
Psal. 84. cis cõfusionem suam. Sic, ò summa iustitia, misericordia in te, & veritas obuiauerunt sibi, cũ veritas humanæ iustitiæ in anima iusta humiliter confitetur: & tuæ iustitiæ veritas in veritate confitenti, quasi iustè miseretur. Et dum illa porrigit osculum iustæ confessionis, tu eam suscipis in osculo pacis. Hoc est osculum sponsi & sponsę, cuius facies vt digna inueniretur
Mat. 27. osculo tuo, ò Domine, tua facies consputa est: vt illius appareret decora & speciosa, tua facies alapis palmarum, & ictibus arundinum facta est liuida: tua in oculis hominum saturata opprobrijs, vt illius pulchra appareret in oculis tuis. Quin insuper feciſti lauacrum ei, tui precioſi sanguinis, in quo lauaretur Fili Dei, horribilia patiens pro nobis, qui fecimus horribilia; pro quibus faciei summæ iustitiæ, in nullo satisfacere potuisset facies cuiusuis pœnitentiæ; nisi eis quæ pro nobis passus es, addita fuisset tua innocẽtia: & quia cum esses filius, exau-
Hebr. 5. ditus es pro tua reuerentia.

Pro meis enim manibus, Domine, quæ fecerunt quæ non debuerunt, tuæ manus clauis transfixæ sunt: pedes tui, pro pedibus meis, oculi tui pro illicito visu meo: aures pro auditu in mortem obdormierũt. Lancea militis apertum est latus tuum, vt de impuro corde meo, per vulnus tuum totum aliquando effluerẽt, quicquid in eo longa tabe, fuerat igni intensum & suffossum.

Ad vltimum, mortuus es, vt ego viuerem; sepultus, vt ego resurgerem. Hoc est osculum dulce-

dulcedinis tuæ ad ſponſam tuam, iſte eſt amplexus dilectionis, ad amicam tuam. Væ ei qui huius oſculi particeps non fuerit, væ qui de amplexu iſto ceciderit. Hoc oſculum accepit in cruce latronis confeſsio; hoc accepit Petrus cum reſpexit eum Dominus negantem, & egreſſus foras, fleuit amare; & plurimi eorum qui te crucifixerunt, poſt paſſionem tuam ad te conuerſi, in hoc oſculo tibi confœderati ſunt. In amplexu iſto exultabat Maria illa, ſeptem olim dæmoniorum poſſeſſio: de quo deciderat Iudæ proditoris malitia. In hoc amplexu ſtringebantur publicani & peccatores, quorum conuiua & amicus factus es. Illic Raab meretrix conuerſa, Babylon te ſciens, alienigenæ, Tyrus, & nigri Æthiopes. Quo autem Domine trahis eos quos amplecteris & adſtringis, niſi ad cor tuum? Cor tuum, dulce eſt illud manna diuinitatis tuæ, quod intus habes, ò Ieſu, in vrna aurea ſuperſapientiæ animæ tuæ. Beati quos ad eam tuus trahit amplexus: beati quos in abſcondito abſconditi illius abſcondiſti in medio cordis tui; vt ſcapulis tuis obumbrentur à contuitatione hominum, nec habent ſpem niſi ſub pennis tuis protegentibus & fouentibus. Scapulis enim virtutis tuæ obumbrantur, qui in abſcondito cordis tui abſconduntur, ſuauiter dormientes, & dulci exſpectatione lætantes, inter medios cleros: meritis ſanctæ conſcientiæ, & exſpectatione præmij promiſsionis tuæ; non propter puſillanimitatem deficientes, vel propter impatientiam murmurantes. Sed & qui ſe dulcius oſculantur mutuos ſibi ſuos ſpiritus dulcius infun-

Luc. 23. *Luc. 22.* *Pſal. 86.* *Pſal. 90.*

dunt, quorum quibuſdam odoribus dulce habent perfundi. Accipe tibi, Domine, nec reſpuas totum ſpiritum meum, quem totum in te effundo, qui totus olet: infunde mihi totum tuum, qui totus quidem redolet, vt de tui ſuauitate meus vltra non oleat, & tui dulcis odor ò dulciſsime, ſemper interius in me permaneat. Hoc eſt quod agitur, cum facimus quod in tui commemorationem nos facere præcepiſti, quo in ſalutem filiorum tuorum nil dulcius, nil potuit prouideri potentius, cum manducantes & bibentes incorruptibile epulum corporis & ſanguinis tui, ſicut munda animalia tua, ab inteſtino memoriæ, cogitandi dulcedine, quaſi ad os reducimus, & in nouum & perpetuum ſalutis noſtræ officium, nouo ſemper pietatis affectu ruminantes; rurſum ſuauiter in ipſa recondimus memoria, quid pro nobis feceris, quid fueris paſſus: vbi dicis animæ
Pſal. 80. deſideranti: Dilata os tuum, & ego adimplebo illud. Et illa, guſtans & videns ſuauitatem tuam, ſacramento magno & incomprehenſibili, hoc efficitur quod manducat, os ex oſſibus tuis, & caro de carne tua, vt ſicut oraſti Patrem, iturus ad paſſionem: hoc Spiritus ſanctus operetur in nobis per gratiam, quod in Patre & te Filio eius, eſt ab æterno per naturam; vt ſicut vos vnum eſtis, ita & nos in vobis vnum ſimus. Hæc eſt, Domine, facies tua, ad faciem te deſiderantis, hoc eſt oſculum oris tui ad os te amantis; hic eſt amplexus dilectionis tuæ ad amplexum ſponſæ tuæ ſuſpirantis tibi, & dicentis. Dilectus meus mihi, & ego illi, in medio vberum
Cant. 1. Pſal. 26. meorum commorabitur. Et, Tibi dixit cor meum,

meum, exquiſiuit te facies mea: Nam ſi facies animæ noſtræ tuam faciem non requirit, non eſt facies eius naturalis, ſed beſtialis aliqua larua quam induit.

Quis non requirat eam? Quis non infirmabitur pro ea? Quis non languebit? Quis non deficiet? Quis non morietur? Miſerere e Domine iam poſt eam; mortuus fuiſſem neſcio quali morte, niſi viſitatio tua cuſtodiſſet ſpiritum meum. E contra inuenit in te inimicus in tempore vultus tui, clibanum ignis; peccator partem calicis ſui, laqueos; ignes, ſulphur, ſpiritus procellarum; ſuperbus potentiam, qua ſuperbis reſiſtis; hypocrita lucem veritatis quã odit. Et hi omnes proprijs priuatorum malorum ſuorum faciebus, cauteriatas habentes conſcientias, quaſi generalem habent faciem malitiæ impœnitentis: & tu excipis eam in facie iuſtitiæ iuſtè iudicantis, & odientes iuſtitiam, in odio iniquitatis: Quia enim probaueruñt ſe Deum non habere in notitiam, tradidiſti eos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, quæ turpia ſunt ad commemorandum ante te, quæ tamen impudenter & irreuerenter fiunt ante te, & de concupiſcẽtijs ſuis, id eſt, filiabus earum, & de peccatis ſuis, id eſt, eorum filijs, & filijs filiorum, nectunt ſibi illam duram, illam lachrymoſam & longam cathenam, de multitudine peccatorum: quaſi de connexione anſularum ferrearum ſuauiter interim ſtridentem, ſed inſalubriter ſtringentem: per quam detrahuntur in infernum, vbi nullus vltra confitebitur tibi. O Deus; vbi nulla ſpes, nullus inde egreſſus. De quibus miror ſi poſitis

Iob. 10. *Pſal. 20.* *Pſal. 10.* *Iaco. 4.* *Rom. 1.*

positis in inferno scire quoquo modo dabitur, quantum sit bonum te fruendi: quod si aliquo modo datur eis scire, non puto in inferno maius esse tormentum, quam tua visione carere.

Sed heu heu qui horribilia commiserunt, horribilia insuper patientur: quia impœnitentibus sanguis tuus, Christe, non subueniet, quin potius rei iudicabuntur sanguinis tui, quem peccando & non pœnitendo conculcauerunt. Hæc est facies furoris tui, quam Propheta pauet, & tremit ad faciem eorum quos
Heb. 10. exspectat, sicut dicit Apostolus: terribilis quædam exspectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Domine Deus, iudex viuorum & mortuorum, isti sunt duo greges dextræ tuæ & sinistræ, in die iudicij tui. Et inter medias sortes has, & cleros hos, sortem mortis & vitæ, perditionis & redemptionis, iræ & gratiæ, ego vbi parebo? O veritas, veritas, per gloriam & maiestatem faciei tuæ ne abscondas eam à me; sed fulgura coruscationes eius totas in me, vt in lumine eius videam lumen, scilicet, quid facies mea sit ad tuam faciem, quid tua ad meam; vtrum sicut est veritas in te Iesu, sic veritas sit in me: deponere me omnem secundum pristinam conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Omnino enim, ò veritas, quod te quæram scio: sed vtrum verè quæram nescio. Hæc est facies mea ad te, magnæ miseriæ meæ, & magnæ necessitatis meæ. Li-
Psal. 93. cet enim consolationes tuæ nonnunquam lætificent animam meam; scio tamē quis fuerim,

modo

modo autem neſcio quid ſim. Vnam petij à Domino, hanc requiro; vt, ſicut ad te anxiatur facies miſeriæ meæ: ſic ſuper me amplius & amplius illuſtret ſe facies miſericordiæ tuæ, vſque ad omnimodam conſumptionem miſerię & caliginis meæ.

Collecta dicit, Domine Perfice in nobis obſeruantiæ ſanctæ ſubſidium, id eſt, Quadrageſima a nobis aſſumpta eſt, vt ſubſidium: quo modo aſſumitur quotidie à nobis cibus, & agro corpore pharmacum. Sed quia tu ſolus præbes effectum, fac vt illud quod ſic aſſumpſimus, in ſubſidium etiam perficiatur. Nempe vt qui te donante cognouimus, neceſſario nobis aſſumendum fuiſſe hoc ſubſidium: vt te operante impleamus facto, quod ſuſceptione iſtius ſubſidij profitemur. Sic orant Catholici qui accuſantur ab aduerſarijs, tanquam confidentes in ſe, & omnia tribuentes nobis tanquam a nobis. Lectio continet hiſtoriam duorum pauperum Heliæ Thesbitæ, & viduæ Sarephtanæ, ſuper quos Dominus illuminauerat faciem ſuam. Et ideirco non timebant. Qui idcirco etiam in graduali continuo contextu tanquam gratias agentes, & nos ſuo exemplo commonentes, dicunt. Iacta cogitatum tuum in Domno, & ipſe te enutriet. Euangelium proponit nobis faciem, quæ non exquirit faciem Dei, faciem non vera origine, ſed fictitiam. In homine vultus verus is eſt, quem nobis dedit natiuitas, quæ eſt expreſſa de naturali vultu, parentum noſtrorum: ceteri vultus quos faciunt artifices, ſunt larua: & qui eas geſtant propriè dicuntur hypocritæ. Luna exquirit vultum ſolis, cum eo diſtituitur, habet vultum obſcurum. Cum igitur lectio nobis propoſuiſſet duos pauperes, componentes ſe ad vultum Dei: Euangelium contra proponit

ponit nobis arrogantes Scribas & Phariſæos, non quærentes vultum Dei: ſed magnificantes vultum ſuum. Omnia inquit Dominus opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus, non quærunt vt in vultu ſuo agnoſcatur Deus: tantum volunt vt ipſi videantur, vt ſint primi in omni conuentu, vt laudentur, vt magni eos faciant homines. Præterea ne iſto ſermone offenſi auditores, in alium errorem inciderent, atque eum longe grauiorem: nempe vt offenſi vanitate Scribarum & Phariſæorum, facerent Schiſma in eccleſia: monet nos hac re Dominus valdè accurate. Bonus enim Chriſtianus debet diſtinguere, legitimam authoritatem, a moribus eorum qui ſedent ſuper cathedram Moyſi: nempe vt intelligant legitimam poteſtatem pertinere ad bonum vniuerſi, malam vitam ad eos ſolos, qui ſic viuunt. Offertorium pertinet ad vultum peccatori conuertentis faciem ſuam, ad faciem Dei: & in illo actu dicentis Domino: Miſerere mei Domine ſecundum magnam miſericordiam tuam: dele, Domine, iniquitatẽ meã Communio exhilarata à vultu Dei: Narrabo inquit, omnia mirabilia tua. & vtraque quæ ſunt in offertorio & communione, connectens oratio poſtrema quã dimittitur populus, ſic orat: Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & animarum noſtrarum medere languoribus, vt remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lætemur.

MISSA FERIA III. POST DOMINIC. SECVND. QVADRAG.

Pſal. 26. INTROITVS. Tibi dixit cor meum quæſiui, vultum tuum: vultum tuum: Domine, requiram,

requiram, ne auertas faciem tuam à me.

Pſal. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo. *Verſ* Gloria. *Ibidem.*

OREMVS.

PErfice, quæſumus, Domine, benignus in nobis obſeruantiæ ſanctæ ſubſidium: vt, quæ te auctore facienda cognouimus, te operante impleamus. Per Dominum.

DEus qui conſpicis nos in tot perturbationibus non poſſe ſubſiſtere, afflictorũ gemitum propitius reſpice: & mala omnia quæ meremur, auerte. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

IN diebus illis: factus eſt ſermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: Surge, & vade in Sarephtã Sidoniorũ, & manebis ibi: Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te. Surrexit, & abijt in Sarephtã. Cumque veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua, colligens ligna: & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vaſe, vt bibam. Cumque illa pergeret, vt afferret, clamauit poſt tergum eius, dicens: Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tua. Quæ reſpondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo duo ligna: vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo: vt comedamus, & moriamur. Ad quam Elias ait, Noli timere: ſed vade, & fac ſicut dixiſti. Veruntamen mihi primum, fac de ipſa farinula, ſubcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſtea. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſrael, Hydria *3. Ca. 17.*

dria farinæ non deficiet: nec lecythus olei minuetur, vsque in diem, in qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terræ. Quę abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ. Et comedit ipse, & illa, & domus eius. Et ex illa die, hydria farinæ non defecit: & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbū Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ.

Psal. 54. *Graduale*. Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. *Vers.* Dum clamarem ad Dominum, exaudiuit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

Cap. 23. IN illo tempore: Locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos, dicens. Super cathedrā Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum vero opera eorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cęnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus, rabbi Vos autem nolite vocari rabbi. Vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester, qui est in cęlis. Nec vocemini magistri: quia magister vester, vnus est, Christus.

Qui

Qui maior est vestrũ, erit minister vester. Qui autem se exaltauerit humiliabitur: & qui se humiliauerit exaltabitur.

Offertorium. Miserere mei Domine secundũ magnam misericordiam tuam: dele Domine iniquitatem meam. *l.*

Secreta.

SAnctificationem tuam, nobis, Domine, his mysterijs operare placatus: quæ nos & à terrenis purget vitijs: & ad cælestia dona perducat. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, Qui ob animarum medelã, ieiunij deuotione corpora castigari præcepisti: concede quæsumus, vt corda nostra, ita pietatis tuæ valeant exercere mandata; vt ad tua mereamur te opitulante peruenire promissa.

Communio. Narrabo omnia mirabilia tua: lætabor & exultabo in te: Psallam nomini tuo altissime. *Psal 9.*

Post-Communio.

VT sacris, Domine, reddamur digni muneribus, fac nos tuis, quæsumus, semper obedire mandatis. Per Dominum.

IMploramus Domine clementiam tuam: vt hæc diuina ieiuniorum subsidia, à vitijs expiatos, ad festa ventura nos præparent. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

PRopitiare, Domine, supplicationibus nostris, & animarum nostrarum medere languoribus:

guoribus: vt, remissione percepta, in tua semper benedictione lętemur. Per Dominum nostrum.

Ad Benedictionem.

BEnedicat Dominus corda & corpora nostra, & det super nos benedictionem sicut Isaac benedixit Iacob, manus Domini super nos. Mittat angelum suum custodem, qui custodiat nos in omnibus vijs nostris, perficiatq; gressus nostros, vt non moueantur vestigia nostra, foris nos protegat atque defendat, intus corroboret & confirmet in omni bono & fęlicitatem. *Amen.*

FERIA QVARTA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

Mysterium Quadragesimæ quod monet de tribus Sacramentis Baptismo, Eucharistia, & Pœnitentia.

OSTENDIMVS, *hoc tempore nos ieiunare propter Passionem & Pascha Domini. Vtrique mysterio connexa sunt, vel potius ex vtroque mysterio producta sunt, sicut herba procedit ex semine, tria sacramenta nouæ legis? Baptismus, Pœnitentia & Eucharistia: ob quæ sic etiã hoc tempore ieiunamus. Christus Dominus habuit præcursorem, & istius præconis vna fuit atque ea pœne sola vox, Pœnitentia, Pœnitentia, hoc sonabant eius verba, hoc signabat eius baptismus, hoc dicebat tota eius vita: & postremo ipsa eius mors, impensa operis iustitiæ. Quin etiam cum Christum ostenderet: Ecce*

inquit

inquit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Christus quoque idcirco venit in hunc mundum, vt mũdaret nos à peccatis, & huius lauacri quo sic mundaremur, duo genera balneorum à Domine sunt instituta: vnum in quo naturalis aqua, per inuocationem diuini nominis id officij præstaret, quod est Baptismus: Alterum in quo potissimum vteremur aqua lachrymarum, quod est sacramentum Pœnitentiæ; quo balneo toties vteremur, quoties egressi ab illo priore balneo noua macula nos conspersisset. Vtraque balnea in vicino sunt collocata, qui in primum ingreditur, alias permittit, & nihilominus contemnit contritionem cordis, non vult satisfacere quibus & quomodo oportet, & sic nihil accipit de vicino balneo, is vtique non mundatur. Deinde qui illo priore balneo non est expiatus, frustra se per totam vitam fricat & lauat secundo. Et quidem Dominus vtraque ista Sacramenta dum vixit multis verbis & modis commendauit. Verum omnis eorum forma seu existentia, tum est stabilita, cum Dominus mortuus est in cruce, cum sepultus, cum postremo resurrexit. Nam sicut Ionas fuit Niniuitis signum pœnitentiæ, sic & Christus. Ionas vero non fuit signum, propter verba quæ iubente Domino, dixit Niniuitis, fore vt pereant: Quadraginta dies & Ninive subuertetur. Hæc enim verba nullam habent rationem signi, sed Ionas fuit signum pœnitentiæ. Primo signum peccatoris, qui summo periculo nauis, in vtramque aurem securè dormit. Signum se conuertentis, qui agnoscit culpam, fatetur eam nautis, pœnam vltro suscipit. Signum gratiæ Dei præuenientis, excitantis eum per tempestatem, & sortem. Deinde est signum satisfacientis, vsque ad susceptionem mortis, dum proijcitur in mare. Postre-

mo eſt ſolidiſſimum ſignum liberationis & ſalutationis. Sufficiebat ad mortem proijci in mare, difficile & pene impoſſibile eſt vt mari tranquillo, impoſſibile vt turbato quis euadat. Verum ſi præterea conſtet ſic proiectum in mare, deuoratum fuiſſe à marinis beſtijs, quis iam dubitet, de certo illius interitu. Contra nihilominus Ionas, deuoratus à beſtia, intra illos calores ſtomachi, qui conſumunt magna oſſa ceterorum piſcium, nulla reſpirandi facultate, viuit: & poſt dies tres à bellua emiſſus, de illis voraginibus euomitur in littus: venit Niniuen, & exequitur officium Prophetæ. Cum iſta itaque ſcirent Niniuitæ, optima & certiſſima ratione hinc colligebant Niniuitæ, & ſe ex denunciato periculo poſſe liberari, ſi darent ſe Domino, ſi pœnas de ſe ſumerent, ſi peccata ſua confiterentur. Eodem modo Chriſtus Dominus eſt perfectiſſimum ſignum peccatoris, ob peccata enim quæ dicebantur, paſſus eſt Dominus. Deinde, Dominus voluntariè ſuſcepit pœnam peccati, vſque ad mortificationem omnium membrorum, omnium potentiarum & facultatum animæ. Deinde ſic in ſpeciem perdito Domino, vt non ſolum exſpiraſſet in cruce, ſed vt præterea in ſepulchro, ad æternam hominum obliuionem eſſet collocatus, tertio nihilominus die reſurrexit in vitæ nouitatem. Et hac ratione hoc docuit nos Dominus, ſi pro peccatis noſtris hoc facimus, quod ille fecit pro peccatis non ſuis, futurum vt & nos reſurgamus. Præterea hanc profeſſionem noſtri deſiderij, ſic eum imitandi poſuit Dominus primum in ſacramento Baptiſmi, cui etiam dedit formam conuenientem ſuæ morti & reſurrectioni. Deinde propter conditionem naturæ noſtræ, aliud conſtituit ſubſidiarium ſacramentum Pœnitentiæ, quod non haberet illam expreſſam

preſſam figuram imitationis mortis & reſurrectionis: inde tamen vim omnem ſuam meritoriam acciperet. Atque hæc eſt cauſa cur hæc duo ſacramenta olim in eccleſia hoc tempore frequentarentur: cur Baptiſmo per ſeptem ſcrutinia in quadrageſima homines præparentur; deinde in nocte Dominicæ reſurrectionis ſolenniter baptizarentur: cur etiam a Baptizatis freqaentaretur Pœnitentia, & illa ſolennis de qua diximus in capite ieiunij, & altera qua nunc vtimur. Dominus coniunxit Baptiſmum ſuum ieiunio quadragenario, verum quia illius ieiunium non pertinebat ad aliquam Domini ſanctificationem, idcirco poſt Baptiſmum ſic ieiunauit: nobis vero qui ad Baptiſmum accedimus immundi; recte ante baptiſmum imperatur ieiunium, ſcriptores eccleſiaſtici ſæpe repetunt hanc cauſam ieiunij, quæ conſiſtit in Baptiſmo. Verum quia ritu ſolennis Baptiſmi Paſchalis non fere vtimur, non putaui ea re onerandum fuiſſe lectorem huius libri. Sacramentum Euchariſtiæ non eſt a Domino inſtitutum ad mundationem à peccato, ſed ad vitam ſpiritualem eorum, qui iam illis ſacramentis ſunt mundati, vt gratia ijs conſeruetur, gratia augeatur, gratia poſtremo impleatur: eſt ita tamen vt hoc ſacramentum ſit memoriale mortis Domini, qua ratione & hoc ieiunium ſeruit cultui huius ſacramenti. Cui rei probandæ ſufficiet vnus Chryſoſtomus, qui hac de reſcribit: Multi inquit olim accedebant ad myſteria ἁπλῶς καὶ ὡς ἔτυχεν hoc eſt promiſcue ac ſine vlla præparatione, eo præſertim tempore quo Chriſtus tradidit ſeipſum. Quare cum patres intelligerent, ſecumque reputarent incommodum, & detrimentum, ex negligenti illo acceſſu congregatis; ἐψήφισαν ſanxerunt vel decreuerunt 40. dies ieiunij, Homil. de ieiunio pri. paſ.

iunij precationum auditionis verbi Dei, ac conuentus ad ecclesiam, vt his diebus purgati omnes diligenter per preces, per eleemosynas, per ieiunium, per vigilias nocturnas, per lachrymas, & compassionem, & per cætera alia, sic pro viribus nostris cum pura conscientia accedamus.

EXPLICATIO OFFICII.

INtroitus proponit nobis Psalmum Pœnitẽtialem: Domine ne in furore. *II. Qui est Psalmus miseri & lugentis, cuius magnus est mœror, magnus gemitus, magnus fletus, magna tristitia, sed fœlix est qui sic miser est. Vnde & Dominus in Euangelio Beatos appellat quosdam lugentes: vnde Beatus si lugens, vnde beatus si miser, imo miser esset si lugens non esset. Vnde dicit se commeruisse iram Domini, & illam non vulgarem, sed iram furoris eius, id est talem iram, qua trahet secum vindictam immẽsam; quomodo atrocissime vindicant qui acerbissime sunt irati. Introitus existo Psalmo proponit duo. Peccatorem in peccatis constitutum, & ab illis peccatis exire cupientem, qui dicit:* Domine ne in furore. *Deinde eundem iam conuersum, & in gratiam admissum, qui dicit:* Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris à me, Intende in adiutorium meum virtus salutis meæ, *vt habet versio nostri Missalis. Homines me dereliquerunt, Fugiebant me quasi mortuum, & abominati sunt, quia peccata mea tibi aperire desiderani: tibi confiteri, quia flagellis tuis me obtuli vulnerandum. Tu solus non me derelinquas, tu hæreas seruulo tuo, qui de terra suscitas inopem, & de stercore erigis pauperem.*

pauperem. Noli me deſerere, noli auertere faciem tuam à me, noli dedignari atque horreſcere fœtorem vulnerum meorum. Et Iob ſeruus tuus percuſſus erat vlcere, a pedibus vſque ad caput, & remedium ſuæ ſanitatis inuenit, licet illud vulnus virtutis fuerit: iſtud Dauidis & noſtrum erroris. Fœtent vulnera quæ medici curare non poſſunt, locutus es Domine myſteria ſacramentorum tuorum, manifeſtaſti venena ſerpentis, & ſolius ſermonis tui medicamento ſerui tui curata ſunt vulnera: quia tu eum non deſeruiſti, & me non derelinquas Domine, ne diſceſſeris à me, Homines me dereliquerunt, quia ſordent illis vulnera mea, quæ pietati tuæ putaui eſſe reſeranda. Illi dicunt: Exi a nobis, quia peccator es tu, diſcede, ne nos polluas. Tu autem Domine curas & non pollueris, quia Deus ſalutis es Domine, & manus tua non perdere, ſed ſanare conſueuit. Non te reuocauit à reſuſcitatione Lazari, interpellatio eorum, qui te volebant abducere a monumento, qui nolebant aperiri ſepulchrum, eo quod eſſet quatriduanus, & iam fœteret. Clamaſti & ſanus exiuit Lazarus. Credamus Domine vt videamus gloriam Dei. Collecta dicit præceptum abſtinentiæ à cibis carnalibus, eſſe diuinum. Præterea petit effectum huius diuini præcepti: vt à noxijs vitijs abſtinere concedat. Lectio proponit nobis orationem quæ Mardochæus interpellauit Dominum, ſicut aliis præteritis diebus quadrageſimæ propoſitæ ſunt orationes ſanctorum puerorum, in camino ignis, Danielis, & Ionathæ Machabæi: cum enim oratio ſit vna alarum, quibus ieiunium volat in cœlum, vtiliter nobis proponuntur formulæ orandi quibus vſi ſunt ſancti, qui ſic poſtulabant priuatam vel ſuam vel ſuæ gentis ſalutem, vt eam ſemper coniungerent

laudi & gloriæ Dei: vt in hac oratione Mardocheus ſollicitus eſt de hæreditate Domini, & idcirco petit conuerti luctum ſuæ gentis in gaudium, vt viuentes, inquit, laudemus nomen tuum. Et huic lectioni reſpondet graduale, ſi non iiſdem verbis, certe eodem ſenſu. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ Cætera quæ ſequuntur graduale, vna cum Tractu exemplo Introitus. lugent, dolent gemunt inquietudinem quam patiuntur narrant, & commendant Deo: grauiora metuentes illo malo, in quo ſunt. Euangelium proponit nobis duas doctrinas quadrageſimales, Paſſionem Domini, & virtutem Humilitatis, etiam in ſanctis neceſſariam. Offertorium , offert ſeu leuat ad Deum animam, ſicut diximus lugentem & conturbatam. Ad te inquit Domine leuaui animam meam , Deus meus in te confido. *Communio, quæ vt plurimum habet verſiculos conſolatorios , dicit:* Iuſtus Dominus & iuſtitiam dilexit , æquitatem vidit vultus eius. *Iuſtitiam commendat propter paſſionem Domini , quæ eſt in Euangelio, & propter iuſtitiam quæ eſt in pleno & iuſto ſacrificio Chriſti ſacerdotis . Equitatem quoque dicit videre vultum Dei , propter pœnitentiam , quæ nobis commendatur in Introitu , & ceteris Antiphonis huius diei . Iſtis itaque doctrinis informati, dicamus : Domine Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda ſeruorum; vt ſpiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur ſtabiles, & in opere efficaces.*

MISSA

MISSA FERIA QVARTA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

INTROITVS.

NE derelinquas me Domine Deus meus, *Pſal.37.* ne diſcedas à me: intende in adiutorium meum, Domine virtus ſalutis meæ.

Pſal. Domine ne in furore tuo arguas me, *Ibidem.* neque in ira tua corripias me. Gloria.

OREMVS.

POpulum tuum, Domine, propitius reſpice: & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, à noxijs quoque vitijs ceſſare concede. Per Dominum.

DEus cui proprium eſt miſereri ſempor & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram; & quos delictorum cetera conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per Dominum.

Lectio libri Heſter.

IN diebus illis: Orauit Mardochæus ad Dominum, dicens: Domine Deus rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati. Si decreueris ſaluare nos, continuo liberabimur. Tu enim Domine feciſti cęlum & terram, & quicquid cęli ambitu continetur. Tu es Dominus omnium, & non eſt, qui reſiſtat maieſtati tuæ. Et nunc Domine rex regum, Deus Abraham, miſerere populo tuo: quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne deſpicias partem tuam, quam redemiſti *Cap.13.*

tibi: ſed exaudi deprecationem noſtram, & propitius eſto ſorti & funiculo hæreditatis tuæ. Et conuerte luctum noſtrum in gaudium vt viuentes, laudemus nomen tuum, & ne: claudas ora canentium te, Domine Deus noſter.

Pſal. 27. *Graduale.* Saluum fac populum tuum Do-
Ibidem. minè, & benedic hæreditati tuæ. *Verſ.* Ad te Domine clamaui: Deus meus, ne ſileas à me, & ero ſimilis deſcendentibus in lacum.

Pſal. 108 *Tractus.* Domine, non ſecũdum peccata noſtra, quæ fecimus nos: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas vobis.

Pſal. 78. *Verſ.* Domine ne memineris iniquitatũ noſtrarum antiquarum: cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Pſal. 78. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Cap. 20. IN illo tempore: Aſcendens Ieſus Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecreto, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum, & ſcribis, & condemnabunt eum morte: Et tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & die tertia reſurget. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei. Quid vis? Ait illi: Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram

teram tuam,& vnus ad ſiniſtram,in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus,dixit: Neſcitis quid petatis.Poteſtis bibere calicem,quem ego bibiturus ſum?Dicunt ei:Pomſſuus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam vel ad ſiniſtram, non eſt meũ dare vobis, ſed quibus paratũ eſt à patre meo. Et audientes decem,indignati ſunt de duobus fratribus. Ieſus autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis, quia principes gentium dominantur eorum,& qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos?Non ita erit inter vos:Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri , ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.Sicut filius hominis nõ venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuã redemptionem pro multis.

Offertorium. Ad te, Domine, leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi,qui te expectant,non confundentur. *Pſal. 24*

Secreta.

HOſtias,quęſumus,Domine,quas tibi offerimus, propitius reſpice: & per hæc ſancta commercia, vincula peccatorum noſtrorũ abſolue.Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus Per Chriſtum Dominum noſtrum, Per quem humani generis reconciliationem, mirabili diſpenſatione operatus es, præſta quæſumus: vt ſancto purificati ieiunio, & tibi toto corde ſimus ſubiecti,

& inter

& inter mundanæ prauitatis insidias, te miserante, perseueremus illæsi. Per quem maiestatem.

Psal. 10. *Communio.* Iustus Dominus, & iustitiam dilexit: æquitatem vidit vultus eius.

Post-Communio.

SVmptis, Domine, sacramentis, ad redemptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum, Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

DEus innocentiæ restitutor & amator, dirige ad te tuorum corda seruorum: vt spiritus tui feruore concepto, & in fide inueniantur stabiles, & in opere efficaces. Per Dominū, in vnitate eiusdem.

DEus qui per verbum tuum, humani generis reconciliationem mirabiliter operaris: præsta quæsumus, vt sancto ieiunio purificati & tibi toto simus corde subiecti, & in tua efficiamur prece conformes. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

DEus ex quo sunt omnia, inspiret nobis desideria iusta. *Amen.*

Deus per quem sunt omnia, ingredi nos faciat per sua mandata. *Amen.*

Deus in quo sunt omnia, sanctificet nos tuitione sua. *Amen.*

Quod ipse præstare dignetur, qui trinus & vnus, cuncta bona inchoat, perficit, & conseruat, & conseruata sine fine remunerat in secula seculorum. *Amen.*

FERIA QVINTA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

De fine ieiunij Quadrageſimalis.

AD explicationem ieiunii Quadrageſimalis, ſex capita nobis propoſueramus, Primũ quale ſit hoc ieiunium & qua ratione differat à cæteris ieiunijs. Secundum quanta ſit huius ieiunij authoritas. Tertio quæ ſunt eius myſteria. Quarto quis finis. Iſtud itaque quartum caput, nunc eſt aggrediendũ quo videbimus non cur hoc tempore, cur tanto numero dierum ieiunetur, quod pertinet ad caput de Myſterio; ſed generaliter quis ſit finis omnium ieiuniorum, & ex conſequente etiam iſtius ſolennis ieiunii, in quo verſamur. Lutherus quibus locis valuit eius authoritas, & quadrageſimam & quatuor tempora, & vigilias, & Ferias, Sextam, & Septimam, & in vniuerſum omne omnino ieiunium abrogauit: & hoc duabus vt videri voluit de cauſis. Primo quod imperari non debuerit, quod repugnaret libertati Euangelicæ, quod pertineret ad legem Iudæorum, quod contineret ſuperſtitioſam obſeruationem dierum. Altera eius ratio fuit, finis ieiunãtium: quem dixit eſſe malum, atque ea de cauſa rem ipſam eſſe malam: ieiunari enim in hypocriſi, & hoc ieiunium damnatum fuiſſe à Domino in Phariſæis, ieiunari vt iſto veluti precio acquiratur regnum cœlorum: & hoc ieiunium magnam facere iniuriam Chriſto, cuiuſmodi ieiunia damnaſſent ſepenumero Prophetæ in populo Iudæorum, Neceſſario itaque explicandus nobis eſt finis Ieiunii. Verum eſt quod dicit

dicit Lutherus, damnata fuisse à Domino ieiunia Phariſæorum: & a Prophetis ieiunia Iudæorum, non quod ieiunarent, ſed quod finem ieiunii non ſpectarent: ieiunium enim non ea ſola ratione laudatur, quod abſtineat à cibo & potu: hoc enim faciunt multi, neceſſitate vel penuriæ, vel morbi: multi impietate hæretica, gentili, ſuperſtitioſa: multi ad laudem & famam popularem, nonnulli ieiunant quia hoc intelligunt imperari, ſcriptura vetere & noua, & hoc audiunt in eccleſia: ſed in eo ieiunio nihil ſpectant præter morem publicum & legis authoritatem. Ex iſtis itaque generibus ieiuniorum, primum nullam habet in eccleſia, vel laudem vel reprehenſionem. Secundum totum eſt in vituperio. Tertium coniunctum eſt cum ignorantia, nõ etiam cum peccato, & ad iſtos poſtremos pertinent ea, quæ legimus apud Iſaiam, feria ſexta poſt Cin. eademque plane eſt ratio iſtius poſtremi ieiunii, qualis fuit ſacrificiorum legalium: de quibus ſic cantat Propheta regius: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſurierо non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. *Quibus equidem verbis non hoc volebat Propheta vt in poſterum nemo ſic ſacrificaret: ſed vt homines intelligerent, non in nuda mactatione hoſtiarum ſed in eius actionis fine, omnem conſiſtere ſacrificiorum ſanctitatem. Qua ratione idem Propheta, cũ in Pſalmo* Miſerere *fleret*

peccatum

peccatum ſuum, quoniam intelligebat ſibi Regi ſuppetere ſumptus ad holocauſta, ne ea ratione, humana videretur velle agere cum Deo: Quoniam ſi voluiſſes, inquit, ſacrificium, dediſſem, vtique: holocauſtis non delectaberis. Quibus equidem verbis, quam non damnauerit Propheta holocauſta & ſacrificia, eodem illo ſuo Pſalmo clariſſimè oſtendit. Cum enim dixiſſet, potuiſſe ſe dare ſacrificia, ſed cõfugiſſe ſe ad ſacrificium ſpiritus contribulati, ad ſacrificium cordis contriti & humiliati, quod non deſpicit Deus, tum illud ſubiungit: Tunc acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. *Cum fuerit ſpiritus meus factus ſacrificium, tum erunt tibi accepta iſta ſacrificia, quæ offeruntur etiã a malis, & non placent tibi, ſi non placet qui offert illa. Eſt igitur eadem ratio in eiuſcemodi ieiunio Catholicorum, quæ erat in illis ſacrificijs Iudæorũ. Neque enim quia ventre quis eſt inanis, idcirco placet Deo: ſed qui idcirco facit ſibi ventrem inanem, vt ſic ſumat de ſe pœnas peccatorum ſuorum, vt ſic reddat ſe plenum Deo, vacuum Demone: vt ſic obediat matri ſuæ, ſic ipſo poſtremo Chriſto qui & ipſe ieiunauit & alios voluit ieiunare. Qui enim dicit eſſe genus dæmoniorum quod non eiicitur niſi ieiunio & oratione. Qui dicit Apoſtolos eſſe ieiunaturos, cum fuerit ab eis ablatus ſponſus: is certe in perpetuum legem ieiunii ſtabiliuit. Omnis igitur ieiunii ſanctitas, omne bonum ieiunii, verſatur in intentione ſeu fine, quem ſpectare debent ieiunantes. Societas illa hominum, quæ in terris primum a Chriſto, inde latius eius authoritate congregata eſt ab Apoſtolis, cuius principalis finis eſt vita æterna: vt hic militantes ſub vexillo Chriſti, & viuentes ſecun-*

dum

dum eius vitam & præcepta, accipiat regnum cœlorum. Hæc congregatio, quam Græcè vocamus ecclesiam, quæ consistit ex hominibus mortalibus & peccatoribus, vt cetera ciuiles hominum societates: sic & ipsa legibus continetur, neque enim vlla fingi potest hominum inter se societas, quæ non etiam sua habeat pacta, suas leges, quibus violatis societatem dissolui sit necesse. Verum quoniam leges versantur, in directione actionum humanarum, non etiam in directione interiore bonæ voluntatis: non possunt aliter condi leges, nisi quatenus teneri res manu possunt: finis quidem legis spectat aliquid etiam maius: at verba legis quæ sanctione firmantur, imperare hoc illud maius non possunt exemplo quod volumus facilius intelligitur. Lex naturæ iubet honeste viuere, neminem lædere, suum cuique tribuere quod docet Ethica. Lex contra non sic imperat, solum cauet de stupris, de homicidiis, de vi, de iniuria, ceterisque rebus, huiusmodi. Finem itaque suorum præceptorum, quod est vtique lex naturæ, omittit legislator, non quod illa contemnat, sed quod cadere sub coertione legis non possint. Eadem prorsus ratione ecclesia, cum docet, cum hortatur, cum in cœtu subditorum exponit voluntatem Domini: tum equidem legum finem exponit, in ipsa vero legislatione, aliter id facere non potest, quam vt crassiore quadam ratione, rem definiat. Ista itaque de causa, illi quibus est in ecclesia ius condendæ legis, cum de ieiunio imperarunt, tum id sunt secuti, quod & in commune vtilius, & ad legis obseruationem commodius, & ad pœnam non parentium iustius sunt arbitrati. Et hoc est quod vocamus ieiunium ecclesiasticum, cum spacio viginti quatuor horarum, semel sumitur legitimus cibus. Quemadmodum itaque grauiter offendit, qui pec-

eat in legem de vi & homicidio: nec tamen inde sequitur, illum esse ciuem bonum, qui non peccat in istas leges. Sic qui peccat in legem ecclesiasticam de ieiunio, is certe peccat grauiter, tamen quia hac in re nihil spectat, quam vt pœna legis non teneatur, de reliquo non est sollicitus; certe bonus ieiunator dici nulla ratione potest. Quis enim ferat semel de die comedentem pisces, ad distentam saturitatem, & bibentem vinum, ad ebrietatem: hinc ea perpetrantem, quæ ebrii consueuerant. Quis præterea eum non iure reprehendat, qui neque de vitiis comprimendis, neque de pœnis peccatorum suorum, in ieiunio quicquam cogitet, qui vt Iudæi de suis sacrificiis, sic existimet ea se re sola placere Deo, quod ex præscripto legis ieiunauerit. In ieiunio itaque ecclesiastico, potissimum spectandus est finis. Qua de re duo videntur dici posse oportunè: licet vtraque rem vnam contineant, nam qui dicunt ieiunij ecclesiastici finem esse illud, quod dicimus Ieiunium generale: abstinere ab omni re illicita. Et qui tres ponunt fines ieiunii, vt B. Thomas, qui dicit ieiunium principaliter assumi ad tria. Primo ad concupiscentias carnis reprimendas. Secundo ad hoc, quod mens liberius eleuetur ad sublimia contemplanda. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis. Vel etiam qui dicunt cum B. August. Ieiunium purgat mentem, subleuat sensum, carnem spiritui subiicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinem ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit. Siue itaque hoc dicamus quod dicunt B. August. & Thomas, siue illud de ieiunio generali, quod sepius dicunt patres, omnino rem eandem dicimus aliis verbis: abstinere enim à peccatis & sequi iustitiam, quæ continentur voce ieiunii generalis,

22 quæst. 147.

Ser. 230. de temp.

generalis, nihil est aliud quam flere præterita, cauere futura, & toto quo possumus nisu, tendere sursum in cœlum: qui sunt illi tres fines quos dicebat

Serm. 4. de quadrag. *B. Thomas. Præclare itaque S. Leo: Non in sola abstinentia cibi stat nostri summa ieiunij, aut fructuose corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate reuocetur: sic enim nobis edendi est moderanda libertas, vt etiam aliæ cupiditates eadem lege frenentur. Hæc Leo, qui qua lege edendi est moderata libertas, eadem dicit frenandas alias cupiditates: & paulo ante idem B. Leo, loquens de quadragesima: Ingressuri igitur (dilectissimi) dies mysticos, & purificandis animis atque corporibus sacratius institutos, præceptis apostolicis obedire curemus: emundantes nos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, vt castigatis colluctationibus, quæ sunt inter vtramque substantiam: animus quem sub Dei gubernaculis cõstitutum, corporis decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem: vt nemini dantes vllam offensionem, vituperationibus obloquẽtium non simus obnoxij. Digna enim ab infidelibus reprehensione carpemur, & nostro vitio, linguæ impiæ in iniuriam se religionis armabunt; si ieiunantiũ mores a puritate perfectæ continentiæ discreparint. Sanctus tu certe Beatissime Papa, quam tibi laudẽ & Latini & Græci semper damus, Prophetam te vero summi Dei qui minus arbitratur, is hoc legat quod postremum de tuo descripsimus. Nostro vitio linguæ impiæ in iniuriam se religionis armabunt, si ieiunantium mores a puritate perfectæ continentiæ discreparint: Ignoscat nobis Deus, emẽdet nos Deus, vt sic fiant linguæ impiæ, linguæ piæ, linguæ laudantes Deum, in nobis bene ieiunantibus & seruientibus Deo.*

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

IEiunantes relinquunt seculum & desideria eius; & ea relinquendo hoc ipso profitentur, se non sperare neque in incerto diuitiarum, neque in vanitate honorum, neque in peste voluptatum: sed sperare & confidere se in Domino. Et hoc est quod nobis proponitur toto officio hodierno. Hoc dicit Introitus: in quo contra inimicos, quærentes animam nostram, clamamus non ad homines, sed ad Deum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Collecta quoque expresse tractat idem argumentum: petit enim auxilium gratiæ & pugnatura contra hostes inuisibiles mentis & corporis. Non currit ad auxilia terrena, ad cibos qui faciant corpus robustius, non quærit socios duelli, qui accincti armis pro se depugnent: sed contra confugit ad humilitatem orationis, & afflictionem ieiunij, contraria plane methodo ab ea, qua vtimur contra alios hostes. Lectio ex professo tractat, & ipsa hanc materiam. Initio loquitur de maledictione eius, qui non confidit in Domino. Deinde de benedictione viri, qui confidit in Domino. Verum quia vtraque consistunt in interiore homine, vbi cognoscitur, in quo ponat homo fiduciam suam, num recedat à Deo cor eius, an contra illi adhæreat, idcirco subiungit Propheta: Esse ita sane, cor hominis esse prauum, & inscrutabile, & quis inquit Propheta, cognoscet illud? Respondet Dominus. Ego Dominus scrutans corda, & probans renes: qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum. Ad quæ postrema verba lectionis respondet

graduale. Vere Domine, prauitas cordis nostri hanc habet fictionem & simulationem sed nos tibi scrutatori renum, vltro aperimus secreta cordis nostri, confitentes peccata nostra, dicentes tibi: Propitius esto peccatis nostris. Euangelium probat exemplo, quod verbis docuerat Propheta. Psalmus 69. vnde sumptus est noster Introitus, habet & ipse hac duo genera hominum: loquitur enim de egeno & paupere qui confidit in Domino, qui inuocat Deum adiutorem & liberatorem suum: Et de inimicis illius pauperis qui insultant illi pauperi, dicentes ei: Euge, Euge, qui quaerunt animam eius, qui volunt ei mala, diuersa sorte: vtrorumque, nempe vt illi pauperes exultent & laetentur, & dicant semper: Magnificetur Dominus: quod est vtique habere vitam aeternam. Inimici illi contra confunduntur & auertuntur retrorsum. Ob quam diuersam sortem, in lectionibus ordinarijs proponitur etiam nobis iste Psalmus, vt eligamus potius istam egestatem & paupertatem spiritus, quam illam hostilem superbiam. Hyeremias dicit illum esse maledictum, qui ponit carnem brachium suum, id est, qui omnem suam fortitudinem, omnem suam spem, cogitationem, splendorem, omne studium ponit in rebus carnalibus: atque ea ratione recedit a Deo, vtpote a quo nihil expectet: omnem enim suam fiduciam, posuit in homine. Dominus in Euangelio proponit nobis talem hominem quendam diuitem, cuius pater abundabat, cui tantae erant facultates, vt ipsi, vt patri, vt quinque fratribus sufficerent ad magnas impensas. Iste diues non attenderat illud Propheta: Diuitiæ si affluam nolite cor apponere. *Quin contra, carnem suam posuerat brachium suum: ex istis opibus superbiebat, induebatur purpura & byſſo,*

byſſo, & quod ſimul pertinebat ad luxum ſuperbiæ & voluptatum: epulabatur quotidie ſplendidè, alebat multos canes, & ſeruos multos, in iſtarum rerum ſtudio poſuerat omnem ſuã confidentiam, receſſerat a Deo cor eius, nullam habebat commiſerationem alienæ egeſtatis. Lazarus mendicus plenus vlceribus iacebat ad ianuam iſtius diuitis, id eſt non ibi caſu ſemel ſic venit Lazarus, ſed ibi iacebat, quia progredi ob vlcera non poterat, & in tanta illius hominis abundantia, ex tanto luxu menſarum, ſolas cupiebat micas, decidentes de menſa diuitis, & nemo illi dabat: id eſt, non idcirco nihil accipiebat, quod datio micarum futura fuiſſet oneroſa illi diuiti: ſed quod præ faſtu & inſolentia miniſtrorum contemneretur, peiores ea in re canibus illius diuitis, qui lingebant vlcera Lazari. Poſtmodum euenit, vt ille Lazarus moreretur, nempe ante fores illius diuitis, hoc enim videtur continere narratio iſtius hiſtoriæ, & breui poſt Lazarum mortuus eſt etiam iſte diues. Intelleximus quomodo iſte diues, poſuerit carnem brachium ſuum. Videamus quopacto illi acciderit ea maledictio, quam recitauimus: Dicit Propheta futurum, vt talis ſit velut myricæ in deſerto. In Paleſtina & locis vicinis ſunt multa loca deſerta, quæ ab aquæ penuriam, & ſolis ardores coli non poſſunt: in iſtis tamen locis per hyemis & veris temperiem, & quod omne ſolum aliquid ex ſe producat, creſcunt certa quædam herbæ, & lignoſæ frutices, quæ æſtate vel planè extinguntur, ſi ſunt herbæ; vel aridæ ſubſiſtunt ſi in lignum durauerint. Tales dicit Propheta eſſe iſtos confidentes in homine, qui non vident cum venerit bonum, id eſt nullum percipiũt fructum, cùm aduenit tempus fructuum: ſed habitant in ſiccitate, in deſerto, in terra ſalſuginis, &

inhabitabili. Et hoc est quod dixit Dominus de isto diuite: Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Post hanc vitam validissime operatur sol iustitiæ, tunc lignum quod creuit in deserto, totum ardet. Illud contra quod plantatum fuit, super aquas, non timet æstum istius solis. Iste diues sepultus in inferno, grauiter conquestus est, de ista siccitate & salsugine: Pater Abraham, mitte inquit Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam quia crucior in hac flamma. Erat ille ibi in terra salsuginis quæ excitat sitim inextinguibilem, in terra inhabitabili quæ hospitem non habet Deum, nec angelorum præsidia, nec Spiritus sancti gratiam. De Lazaro nihil dicit Dominus: ille enim non posuerat laudes suas, in ore hominum, sed concluserat illas in sinum Dei; qui etiam portatus fuit ab Angelis in sinum Abrahæ: atque ea ratione consecutus est benedictiones nostræ lectionis. Offertorium excitatum mentione Moysis, quem commendat pater Abraham, & quem vult audire fratres diuitis, vt intelligamus quanti meriti sit iste Moyses, exponit quomodo eius oratione placatus sit Dominus, de malignitate quam dixerat facere populo suo. Communio, quia audiuit in lectione differentiam ligni quod crescit in deserto, & alterius ligni, quod ad humorem mittit radices suas, & non timet cum venerit æstus, securissimè plantat lignum suum, nempe vt maneat in Domino, & Dominus in ipso, & hoc per manducationem carnis eius, & sanguinis eius. Postremo oratio super populum est viri benedicti qui confidit in Domino, & cui Dominus est fiducia eius. Humiliatione capitis, petit perpetuam & continuam Dei benignitatem: in illo solo auctore & gubernatore gloriatur, id est, non ponit

carnem

carnem brachium ſuum, nec recedit a Deo cor eius. Deinde explicat quid ſit auctor & gubernator, & quo pacto vtriuſque rei gratiam ſibi depoſcat, author eſt Dominus congregando, id eſt recipiendo nos ad Baptiſmum. Deinde cum baptiſmi gratiam per peccatum amiſimus, reſtaurat illam Dominus per pœnitentiam, & ſic eſt aliquo modo nouus author. Poſtremo cum reſtauratos non permittit iterum relabi, & ſic reſtaurata conſeruat, tunc vtique gubernat nos Dominus, qui eſt benedictus in ſecula.

MISSA FERIA V. POST DOMINIC. SECVND. QVADRAG.

INTROITVS.

DEus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina: confundãtur, & reuereantur omnes inimici mei, qui quærunt animam meam. *Pſal. 69.*

Pſal. Auertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala. *Verſ.* Gloria Patri, & Filio. *Ibidem.*

OREMVS.

PRæſta nobis quæſumus, Domine, auxilium gratiæ tuæ: vt ieiunijs, & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hoſtibus mentis & corporis Per Dominum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus Deus: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum: & à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myrice in deſerto, & non *Cap. 17.*

videbit,cum venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto in terra ſalſuginis, & inhabitabili. Benedictus vir,qui confidit in Domino,& erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum,quod tranſplãtatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas:& non timebit,cum venerit æſtus. Et erit folium eius viride:& in tempore ſiccitatis non erit ſollicitum: nec aliquando deſinet facere fructum.Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile:quis cognoſcet illud?Ego Dominus ſcrutans corda,& probans renes : qui do vnicuique iuxta viam ſuam, & iuxta fructum adinuentionum ſuarum . Dicit Dominus omnipotens.

Pſal. 78. *Graduale.* Propitius eſto peccatis noſtris Domine , ne quando dicant gentes , vbi eſt Deus eorum? *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter honorem nominis tui Domine, libera nos.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Cap.16. IN illo tempore : Dixit Ieſus diſcipulis ſuis, Homo quidam erat diues , & induebatur purpura, & byſſo:& epulabatur quotidie ſplẽdide.Et erat quidem mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius , vlceribus plenus:cupiens ſaturari de micis,quæ cadebant de menſa diuitis,& nemo illi dabat . Sed & canes veniebant,& lingebant vlcera eius. Factum eſt autem,vt moreretur mendicus , & portaretur ab angelis in ſinum Abrahæ . Mortuus eſt autem & diues:& ſepultus eſt in inferno.Eleuans autem oculos ſuos,cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.

Et ipſe

Et ipse clamans, dixit. Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui, in aquam, vt refrigeret linguam meã: quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et in his omnibus, inter nos & vos chaos magnum firmatum est: vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare, Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hũc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas: audiant illos. At ille dixit. Nõ, pater Abraham: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi. Si Moysen & Prophetas non audiunt: neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Offertorium. Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, & dixit: quare Domine irasceris in populo tuo? parce iræ animæ tuæ: memento Abraham, Isaac, & Iacob: quibus iurasti dare terram fluentem lac, & mel: & placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo, *Vers.* Dixit Dominus ad Moysen: inuenisti gratiam in cõspectu meo, & adorauit, dicens: Scio quia misericors es in millibus, auferens iniquitatem & peccata. *Vers.* Dixit Moyses & Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel: Accedite ante Deum, Maiestas Domini apparuit in nube & exaudiuit murmurationem vestram in tempore. *Exo. 32.*

Secreta.

PRæsenti sacrificio nomini tuo nos, Domine, ieiunia dicata sanctificent: vt quod obseruantia nostra profitetur exterius, interius operetur effectu. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, Et tuam immensam clementiam supplici voto deposcere, vt nos famulos tuos & ieiunij maceratione castigatos, & cæteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perseuerare illæsos: sicque præsentibus subsidijs consolemur quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur. Per Dominum.

Ioan. 6. *Communio.* Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo, dicit Dominus.

Post-Communio.

GRatia tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat: quæ & sacræ nos deditos faciat seruituti, & tuam nobis opem semper acquirat. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

ADesto, Domine, famulis tuis, & perpetuâ benignitatem largire poscentibus: vt his, qui te auctore, & gubernatore gloriantur, & congregata restaures, & restaurata conserues. Per Dominum.

ECclesiam tuam Domine perpetua miseratione prosequere: vt inter seculi turbines constituta, & presenti iocunditate respiret, & æternam beatitudinem percipiat. Per Dominum.

Ad

Ad Benedictionem.

BEnedicat nos Deus pater ex quo omnia, Benedicat nos Deus filius per quem omnia, Benedicat spiritus sanctus in quo omnia. *Amen.*

Benedicat nos trinus & vnus Deus, omni benedictione cęlesti; sanctosque & putos efficiat in conspectu suo. *Amen.*

Superabundent in nos diuitiæ gloriæ eius, nosque verbo veritatis instruat, euangelio salutis erudiat, omniumque sanctorum charitate locupletet. *Amen.*

Quod ipse præstare dignetur, &c.

FERIA SEXTA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

De fine ieiunij Quadragesimalis.

SVperiore feria auspicati sumus tractatum finis, quem ieiunio spectamus; verum quia ibi magis fuimus occupati refutandis hostibus ieiunij, quam explicatione eius rei, quam susceperamus: id nunc est agendum. Rebus arduis & molestis vnus vt plurimum est finis, quo impellimur ad agendum: nempe quod intelligamus, magnas inde nobis vtilitates prouenturas. Scio honesti & necessarij magnam vim existere; verum si non de verbis litigamus sed rem examinamus, hoc ipsum honestum & necessarium, non nisi vtili metimur. Omnino Deus colendus est propter se, atque ea ratione, qui se dant arctissimæ disciplinæ, solum videntur sequi honestum, & necessarium est, ita tamen, vt idcirco relinquant seculum,

culum quod eius viæ ducant ad infernum, contraria in cœlum. Ego inquit Dominus ero merces tua magna nimis, liceat itaque nobis craſſe ſic loqui, vt dicamus ieiunari propter vtilitatem quomodo inuiti & reluctantes, & ſimul lubentes potamus amara pharmaca, quæ propinant medici. Vtilitates vero ieiunij ſic deſcribit Rabanus. Ieiunium res eſt ſancta, opus cœleſte, ianua regni forma futuri, quod qui ſancte agit Deo iungitur, alienatur mundo ſpiritalis efficitur: per hoc enim proſternuntur vitia, humiliatur caro, diaboli tentamenta vincuntur. Quod dicit Rabanus: Ieiunium eſſe formam futuri, id B. Auguſtinus pluribus explicat, in tractatu de vtilitate ieiunij: Hæc inquit obſeruatio, hæc virtus animi, hæc fraudatio carnis, & lucrum mentis, ab Angelis non exhibetur Deo: ibi enim omnis eſt copia & ſempiterna ſecuritas, & ideo nullus defectus, quia in Deum plenus affectus. ibi panis Angelorum, quem panem Angelorum vt manducaret homo, factus eſt Deus homo. Hic omnes animæ terrenam carnem portantes, de terra implent ventres: ibi ſpiritus rationales, de Deo implent mentes. Et hic cibus eſt, & ibi cibus eſt; ſed cibus ille cum reficit, deficit; & ſic implet aluum, vt ipſe minuatur: Ille autem & implet & integer permanet. Hunc cibum nobis eſuriendum Chriſtus indixit, dicens: Beati qui eſuriunt & ſitiũt iuſtitiam quoniam ipſi ſaturabuntur. Pertinet ergo ad homines hanc vitam mortalem gerentes, eſurire ac ſitire iuſtitiam: impleri autem iuſtitia ad aliam vitam pertinet. Hoc pane, hoc cibo pleni ſunt Angeli; homines autem dum eſuriunt, extendunt ſe, dilatantur dum dilatantur, capaces fiunt, capaces facti, ſuo tempore replebuntur. Quid ergo hic, Nihil inde capiunt, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam? capiunt

De inſtit cler. li 2 cap 17.

piunt planè. Sed aliud est, cum quærimus de refectione iter agentium, & aliud cum quærimus de perfectione beatorum. Et Paulo post: Ergo charissimi quia est terrenus cibus, quo carnis infirmitas pascitur; est autem & cœlestis cibus, quo pietas mentis impletur: & habet cibus iste terrenus vitam suã, habet & ille suam, huius cibi vita hominum est: illius cibi vita Angelorum est. Fideles homines discreti iam corde a turba infidelium suspensi in Deũ, quibus dicitur: Sursum cor aliam spem gerentes, & scientes se peregrinari in hoc mundo, medium quendam locum tenent. Nec illis comparandi sunt qui nihil aliud putant bonum, quam delicijs terrenis perfrui, nec illis adhuc supernis habitatoribus cœli, quibus sola delicia sunt panis ipse, à quo creati sunt, illi homines proni ad terram, pastum, atque lætitiam de sola carne requirentis qui pecoribus comparantur, longe ab Angelis distant, & conditione & moribus. Conditione, quia mortales sunt: Moribus, quia luxuriosi. Gubernare itaque debemus nostra ieiunia, non est hoc officium Angelicum: nec tamen & illorum hominum officium est, qui ventri seruiunt. Medietatis nostræ res est, qua viuimus secreti ab infidelibus, coniungi Angelis inhiantes, nondum peruenimus, sed iam imus, nondum ibi lætamur, sed iam hic suspiramus. Quid ergo nobis prodest, abstinere aliquantulum à pastu & lætitia carnali? Caro in terram cogit, mens sursum tendit: rapitur amore sed tardatur pondere. De hac re scriptura ita loquitur: Corpus enim quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Si ergo caro in terram vergens, onus est anima, & sarcina prægrauans prænolantem, quantum quisque delectatur superiore vita

vita ſua, tantum deponit de terrena ſarcina ſua. Ecce quod agimus ieiunantes. Non vobis ergo videatur leuis res aut ſuperflua, ne quiſquam fortè hoc faciens Eccleſiæ conſuetudine, cogitet apud ſe, & dicat ſibiipſi, vt ſuggerentem intrinſecus audiat tentatorem: quid facis quia ieiunas? defraudas animam tuam, non ei das quod eam delectat, tibiipſi ingeris pœnam. tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis: Deo ergo placet, quia te crucias? Ergo crudelis eſt, qui delectatur pœnis tuis. Reſponde huiuſmodi tentatori. Excrucio me plane, vt ille parcat: do de me pœnas, vt ille ſubueniat, vt placeam oculis eius, vt delectem ſuauitatem eius: Nam ei victima excruciatur vt in aram imponatur. Minus premet mentem meam caro mea. Et tali diſſuaſori malo ſeruo ventris reſponde per hanc ſimilitudinem, & dic: Si iumento forte inſideres, ſi equo vtereris qui te geſtiendo poſſet præcipitare: nonne vt ſecurus iter ageres, cibaria ferocienti ſubtraheres, & fame domares, quem frena non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt: iter ago in Hieruſalem, plerunque me rapit, & de via conatur excludere. Via autem mea Chriſtus eſt: ſta exultantem non cohibebo ieiunio? Si quis hoc ſapit, etiam ipſo experimento probat, quam vtiliter ieiunetur. Nunquid enim caro iſta, quæ nunc domatur, ſemper domabitur? Dum temporaliter fluitat, dum mortalitatis conditione prægrauatur, habet exultationes ſuas, manifeſtas & periculoſas menti noſtræ. Caro eſt enim adhuc corruptibilis, nondum reſurrexit: Nam non ſemper ſic erit, nondum habet ſtatum proprium cœleſtis habitudinis. Nondum enim facti ſumus æquales angelis Dei. Ieiunium igitur eſt ianua regni & forma futuri. S. Petrus chryſologus, Ieiunium eſt vitiorum mors, vita virtutum,

Serm. 8.

tum, est ieiunium pax corporis membrorum decus ornamentum vitæ, est ieiunium robur mentium, vigor animarum, est ieiunium castitatis murus, pudicitiæ propugnaculum ciuitas sanctitatis, est ieiunium schola meritorum, magisterij magisterium, disciplinarum disciplina, est ieiunium ecclesiasticæ viæ viaticum salutare, est ieiunium inuictus christianæ militiæ principatus, B. Athanasius. Videsne quid faciat ieiunium morbos sanat, destillationes exsiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique, ad thronum Dei hominem sistit. *Ex Breuiario D. 3. Nou.*

EXPLICATIO OFFICII.

INtroitus proponit nobis primum & vltimum versum Psalmi 16. qui inscribitur Oratio Dauid. Posteriora verba Introitus, Exaudi Domine iustitiam meam intende deprecationem meã, auribus percipe orationem, *sic elegantur explicat D. Ianſonius, vt dicat ijs verbis explicari triplex genus orationis: Vox inquit, qua Deus inuocatur, triplex est, prima est vox Christianæ iustitiæ, bonorumque operum: de qua dicebat Dominus ad Moysen.* Nullum in oratione oris sonum edẽtem, quid clamas ad me? *clamabat enim iustitiæ & operum bonorum meritis, diuinæque dilectionis magnitudine, iuxta Ambrosium. Hunc clamorem exaudiri petit Psaltes, cum dicit:* Exaudi Domine iustitiam meam *Iustitia enim orantis, vt oratio sit fructuosa, tantum ad eam momenti adfert, vt dicat* *Exo. 14.* *Ser 19. in Psal. 118 Hier. in cap. 4. ad Gal.*

De opere & eleem. Cap 10. de orat & 13. de patientia

dicat Cyprianus, deprecationes ſolas ad impetrandum parum valere, niſi factorum & operum acceſſione farciantur. Et de oratione Dominica. Cito ad Deum orationes aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt. *De qua re & Tertullianus:* Hæc vox orationem impinguat atque perficit. *Alia orationis vox eſt feruor deſiderij; cum nimirum in oratione feruens orantis votum aures diuinæ pulſat benignitatis. De qua voce Pſal 9.* Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. *Hæc vox orationi propria eſt, & quaſi eſſentialis. Orare enim eſt votum atque deſiderium ſuũ Deo exponere; Quæ ſi oranti ſola adfuerit, ad impetrandum non eſt omnino inutilis. Sed, vt mox ex Cypriano dictum eſt, parum valet. De hac voce dicit particula ſequens,* intende deprecationem meam, *pro videlicet deſiderio flagrantem. Tertia orantis vox eſt prolatio verborum in oratione: cum videlicet aures Dei pulſat oratio vocalis, non tam orantis iuſtitia, aut deſiderio ſuffulta, quam cum bona, quamuis arida, precandi intentione, oretenus prolata. In qua orationis voce, intentio orandi eſt orationi intrinſeca, ipſa vero orationis formula eidẽ adhibetur ad hoc, vt verborum & externæ vocis adminiculo, internum orantis deſiderium accendatur & excitetur. Vel ſaltem id quod mente non valemus, pia verborum formula, Deo exponamus, De hac ergo voce dicit Pſaltes conſequenter.*

Auribus percipe orationem meam. *Quod enim auribus percipi, orationi vocali congruat, in Pſalmum 5 diximus. Itaque hoc loco Pſaltes tria hæc membra coniungens, triplici voce in vnica oratione Dominum orandum eſſe, vel inuocari poſſe, ſignificat.* Non in labijs doloſis, *id eſt auribus*

percipe

percipe illam orationem, quæ & si labijs potius, quam affectione cordis proferatur, non tamen profertur labijs dolosis. i fallacibus. Tum autem labijs dolosis oratur, cum oratur sine intentionis aut desiderij sinceritate. Quod in primis illi faciunt, qui in oratione multiloquio vtuntur; putantes se iuxta verbum Christi, ob multiloquium exaudiendos esse; cum Dominus in oratione, non verborum tumultum, sed orantis instantiam, votum aut saltem intentionem scrutetur. De qualibus labijs dicit Dominus per Esaiam: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Qua Domini sententia illi feriuntur, qui cum multas præclaras orationum formulas crepant, non curant tamen iniquitates suas, aut odisse, aut corrigere, vel veram iustitiam apprehendere: sed omni ea orationum caterua id videntur intendere, vt Deus, (quemadmodum de quorundam eleemosynis notat Augustinus) in orationum earum gratiam, permittat eos peccare impune, veluti que Deus in iniquitatibus eorum, atque pietatis, quo laborant, fastidio, iustitiæque languore, quodammodo dispensare. Orant quoque labijs dolosis hypocritæ, qui orationum suarum ostentatione pietatis & innocentiæ existimationem aucupantur: cum tamen pietate & innocentia nihil minus studeant habere Denique & illi, qui orationes publicas celebrant solius lucri causa; impetrare autem iustitiam ijs pro quibus orant, ne semel quidem cogitant. De qualibus dicit Dominus: Qui deuorant domos viduarum, simulantes longas orationes: fallunt enim hi & semetipsos, & fraudant eos quibus sunt a precibus. Atque hæc Ianſonius. Prior versiculus introitus, pertinet ad spem futuri, quæ optime proponitur meditanda, tempore Quadragesimæ: ieiunium enim

Ench ca. 7 & 21. de Ciui. cap. 27.

est, vt

eſt, vt oſtenditur forma futuri; & pœnitẽtia ſubſiſtit ſola ſpe futuri. Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo, id eſt, hoc vnum mihi curæ eſt, vt abſolutus à peccatis meis coram oculis tuis aliquando iuſtus appaream. Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua, id eſt huius mei magni deſiderij pleniſſimam ſaturitatem, adferet manifeſtatio gloriæ tuæ. Collecta pertinet & ipſa ad ſpem futuri: & exponit illud myſterium ieiunij quadrageſimalis, quod dicebamus verſari in celebratione Paſchatis. Vt ſacro, inquit, nos purificante ieiunio, ſinceris mentibus, ad ſancta ventura facias peruenire. Lectio proponit nobis patriarcham Ioſeph prædicentem fratribus ſuis ſtatum rerum futurarum, ſuamq; in poſterum dignitatem: & fratres odio & inuidia eare incitatos illius cedem, & traditionem, in manus infidelium: nam licet non occiderint facto, hoc tamen crimen contraxerunt. Graduale quod ſequitur eam lectionem, eſt vox Ioſephi in illis anguſtijs conſtituti. Ad Dominum cum tribularer clamaui & exaudiuit me, Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua doloſa: *nempe illa qua mentiti ſunt patri ſuo Iacob dicentes, fera peſſima deuorauit eum.*

Euangelium explicat typum Patriarchæ Ioſeph, & plane rem continet eandem: Nempe vt in lectione ſit figura; hic rei figuratæ exhibitio, in lectione paterfamilias Iacob: hic Deus, ibi filius dilectus Ioſeph, miſſus ad paſtores filios: hic Chriſtus dilectus Dei filius miſſus ad filios agricolas Iudæos, ibi Ioſeph prædicit ſuam futuram dignitatem: hic Chriſtus filius dicit: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli. *Ioſeph quæſitus ad necem & ereptus, hic cogitatum de occidendo*

Domino:

Domino: vtrobique fratres Ioſepho propriſſime, Chriſto paulo laxiore ſignificatione; Optime quoque vtraq; iſta lectio, de paſſione Domini nobis proponitur feria Sexta, quæ peculiariter huic cogitationi eſt deſtinata. Offertorium, eſt vox Chriſti, hominis, reſpondens vltimis verbis Euangelij, quibus dicitur, quod principes ſacerdotũ & phariſæi quærebant eum: nempe vt dicit offertorium. Qui quærunt animam meam vt auferant eam. *Eundem quoque ſenſum habet Communio, quo exemplo Domini, magna concepta ſecuritate: Tu inquit Domine ſeruabis nos & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.*

MISSA FERIA SEXTA POST DOMINIC. II. QVADRAG.

INTROITVS.

EGo autem cũ iuſtitia appārebo in conſpectu tuo, ſatiabor, dum manifeſtabitur gloria tua. *Pſal. 16.*

Exaudi Domine iuſtitiam meam, intende deprecationem meam. *Verſ.* Gloria Patri. *Ibidem.*

OREMVS.

DA, quæſumus, omnipotens Deus, vt ſacro nos purificante ieiunio, ſinceris mentibus ad ſancta ventura facias peruenire. Per Dominum noſtrum.

Lectio libri Geneſis.

IN diebus illis. Dixit Ioſeph fratribus ſuis: Audite ſomnium meum, quod vidi. Putabā nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſur- *Cap. 37.*

gere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circunſtantes adorare manipulum meum. Reſponderunt fratres eius. Nunquid rex noſter eris? aut ſubijciemur ditioni tuæ? Hæc ergo cauſa ſomniorum, atque ſermonum inuidiæ & odij fomitem miniſtrauit. Aliud quoque ſomnium vidit, quod narrans fratribus, ait: Vidi per ſomnium quaſi ſolem, & lunam & ſtellas vndecim adorare me. Quod cum patri ſuo, & fratribus retuliſſet, increpauit eum pater, & dixit. Quid ſibi vult hoc ſomnium, quod vidiſti? Nunquid ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? Inuidebant igitur ei fratres ſui: pater vero rem tacitus conſiderabat. Cumque fratres illius in paſcendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Iſrael. Fratres tui paſcunt oues in Sichimis, veni, mittam te ad eos. Quo reſpondente, præſto ſum: ait. Vade, & vide, ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora: & renuncia mihi quid agatur. Miſſus de valle Hebron, venit in Sichem. Inuenitque eum vir, errantem in agro: & interrogauit, quid quæreret. At ille reſpondit. Fratres meos quæro: indica mihi, vbi paſcant greges. Dixit ei vir. Receſſerunt de loco iſto. Audiui autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Ioſeph poſt fratres ſuos, & inuenit eos in Dothain. Qui cum vidiſſent eum procul, antequã accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere. Et mutuo loquebantur. Ecce ſomniator venit: venite, occidamus eum, & mittamus eum in ciſternam veterem: dicemuſque, fera peſſima deuorauit eum. Et tunc apparebit, quid illi proſint

profint somnia sua. Audiens autem hæc Ruben, nitebatur liberare eum, de manibus eorum, & dicebat: Non interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem: sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine: manusque vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorũ, & reddere patri suo.

Graduale. Ad Dominum, cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. *Psal. 119*

Vers. Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua dolosa.

Tractus. Domine, non secundũ peccata nostra, quæ fecimus nos: neque secundũ iniquitates nostras retribuas nobis. *Psal. 102*

Vers. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. *Psal. 78.*

Vers. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore: Dixit Iesus turbis Iudæorũ, parabolam hanc, Homo quidam erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregrè profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ ap- *Cap. 21.*

prehenſis ſeruis eius, alium cæciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus: & fecerunt illis ſimiliter. Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens : verebuntur fortè filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe. Hic eſt hæres: venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehenſum eum, eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi. Malos malè perdet: & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.

Pſal. 117 Dicit illis Ieſus. Nunquam legiſtis in ſcripturis, Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli? A Domino factum eſt iſtud : & eſt mirabile in oculis noſtris. Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur. Super quem vero ceciderit, conteret eum. Et cum audiſſent principes ſacerdotum & Phariſæi parabolas eius: cognouerunt quod de ipſis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam ſicut Prophetam eũ habebant.

Pſal. 39. *Offertorium.* Domine in auxilium meum reſpice: confundantur & reuereantur, qui quęrũt animam meam, vt auferant eam: Domine, in auxilium meum reſpice.

Secreta.

HÆc in nobis ſacrificia, Deus, & actione permaneant, & operatione firmentur. Per Dominum.

Præ-

Præfatio.

AEterne Deus, Qui delinquentes perire non pateris, sed vt ad te conuertantur & viuant hortaris. Poscimus itaque pietatem tuam, vt à peccatis nostris tuæ seueritatis suspendas vindictam, & nobis optatam misericorditer tribuas veniam: Nec iniquitatum nostrarum moles te prouocet ad vltionem, sed ieiunij obseruatio, & morum emendatio, te flectat ad peccatorum nostrorum remissionem. Per Christum.

Communio. Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. *Psal. 11.*

Post-Communio.

FAc nos, quæsumus, Domine accepto pignore salutis æternæ sic tendere congruenter, vt ad eam peruenire possimus. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

DA, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per Dominum.

AD hostes nostros Domine superandos præsta quæsumus, vt auxilium tuum ieiunijs tibi placatis, & bonis operibus impetremus. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

BEnedicat nobis Dominus, & custodiat nos. *Amen.*

Illuminet faciem suam super nos, & misereatur nostri. *Amen.*

Conuertat vultum ſuum ad nos, & donet nobis pacem. *Amen.*

Quod ipſe &c.

SABBATHO POST DOMINIC. II. QVADRAG.

De duabus alis ieiunij, Oratione & eleemoſyna, & horum trium neceſſaria connexione.

QVintum caput, quod conſtitueramus explicationi ieiunij quadrageſimalis, erat: Quænam requirat eccleſia ad ieiunij perfectionem, iſtudque nunc eſt aggrediendum. Legimus nobis fuiſſe imperatum, vt ſanctificemus ieiunium, & Prophetæ vna cum Domino reprehendunt multorum ieiunia, eccleſia quoque multa gentilium & hæreticorum ieiunia ſeuere damnat, multa Catholicorum corrigenda eſſe oſtendit. Neceſſario igitur quærendum eſt, quænam ſint iſtæ qualitates, quæ in Catholicorum ieiunio requiruntur. Qua in re non aaferemus authoritatem alicuius eruditi, alicuius ſapientis, alicuius deuoti, alicuius poſtremo vel Prophetæ vel Apoſtoli: ſed magni illius Raphaelis, magni Angeli, qui Tobiæ dixit: Bonam eſſe orationem cum ieunio & eleemoſyna, magis quam theſauros auri recondere. Ieiunium itaque duas debet habere alas quibus ſe leuet in cælum, quibus ſi deſtituitur, reptat humi, ſicut auis creata ad volandum diſſectis alis. Vt itaque hoc argumentum recte intelligatur, initio iſto capite, conſiderabimus connexionem iſtorum trium bonorum operũ, deinde alijs capitibus, ſeorſim

agemus

agemus de oratione, & eleemosyna, & ne lectorem multitudine obruamus, vnus huic primo capite sufficiet, B. Chrysologus. Tria sunt *inquit*, tria fratres, per quæ stat fides, constat deuotio, manet virtus. Oratio, Ieiunium, misericordia. *Quod oratio pulsat, impetrat ieiunium, misericordia accipit, Oratio, Misericordia, Ieiunium. Sunt hæc tria vnum, dant hæc sibi inuicem vitam. Est namque orationis anima ieiunium: ieiunij vita misericordia est. Hæc nemo rescindat, nesciunt separari. Horum qui vnum habet, ista qui simul non habet, nihil habet. Ergo qui orat, ieiunet qui ieiunat, misereatur audiat petentem, qui petens optat audiri: auditum Dei aperit sibi, qui suum supplicanti non claudit auditum. Ieiunium ieiunator intelligat, esurientem sentiat, qui vult Deum sentire quod esurit misereatur, qui misericordiam sperat, pietatem qui quærit, faciat, qui præstari sibi vult, præstet. Improbus petitor est, qui quod alijs negat, sibi postulat. Homo esto tibi misericordia forma, sic quomodo vis, quantum vis, quam cito vis, misericordiam tibi fieri: tam cito alij, tantum, taliter ipse miserere, Ergo oratio, misericordia, ieiunium sint vnum patrocinium pro nobis ad Deum, pro nobis hæc aduocatio sint vna, vna hæc nobis oratio sit triformis. Hæc sunt fratres, hæc sunt quæ tenent cæli arcem, quæ secretum Dei iudicis pulsant, quæ ante tribunal Christi causas humani generis exequuntur, quæ iniustorum petunt indulgentiam, reorum veniam promerentur. Hæc cui in cælestibus non assistunt, ipse non subsistit in terris, hæc cum teneant in cælestibus principatum, in terris rerum summam moderantur, hæc regunt prospera, hæc aduersa propellunt, vitia extingui ista, virtutes ista succendunt; hæc reddunt casta corpora, corda* Serm. 43.

pura, hæc pacem membris, mentibus dant quietem, humanos ista sensus, scholam faciunt disciplinæ; per hæc in templum Dei pectora humana consurgunt, hæc hominem præstant angelum, homini deitatis deferunt hæc honorem. Hinc est, quod sit horum suffragio Moyses Deus, & ad triumphos suos, militare sibi omnia mandat elementa, iubet mare discedere, durari vndas, profunda siccari, cælum pluere, dat frumenta, ventos spargere cogit carnes, noctem splendore solis illustrat, solem nubis temperat velamento, petram percutit, vt de recenti vulnere frigida sitientibus det fluenta, primus dat terris legem cæli, scribit vitæ normam, figit terminos disciplinæ. Per hæc Elias nescit mortem, relinquit terras, cælos intrat, commoratur angelis, conuiuit Deo, & terrenus hospes supernas possidet mansiones. Per ista Ioannes fit angelus in carne, cælestis in terra, & auditu, visu, tactu, totam solus capit, tenet, complectitur Trinitatem. Et nos fratres, si volumus Moysi gloriæ, Eliæ vitæ, Ioannis virtutibus, omnium sanctorum meritis applicari, insistamus orationi, vacemus ieiunio, misericordiæ seruiamus: qui in his vixerit, qui per ista fuerit communitus, iacula peccati, diaboli tela, mundi machinas, vitiorum cuneos, mala carnis, voluptatum laqueos, arma mortis, Christianus armiger, bellator Dominicus non timebit, sed nos qui ad incerta consurgimus, qui inter insidias diem ducimus, qui horarum varietates, momentorum motus, verborum lapsus, actuum pericula sustinemus, quid est quod ecclesiam mane nolumus intrare? quid est quod matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare? quid est quod homini astare toto tempore libet, & Deo assistere nec puncto libet? Non est nostrum fratres, non est nostrum: inimici

Exo 7. Exo 14. Exo. 16. Exo 13. Nu 28. Exo. 24. & 15. 4. Reg. 2

Mare. 1.

mici est ista surreptio decipere parat quos non patitur orationibus communiri. Quid de aduersis queritur, qui sibi prospera non precatur? Audiamus vocem Dei monentem: Orate, ne intretis in tentationem. In tentationem vadit, qui ad orationem non Mat. 26.
vadit. Hoc sciens Propheta, cantabat, Venite adoremus, & procidamus ante eum & ploremus coram Psal. 94.
Domino qui fecit nos. Putasne ante Deum lachrymas fundere dignatur, qui verba non dignatur expromere? Magnificemus, oremus, vel humano timore, si non amore diuino si non inuitati bonis, vel coacti malis, Mala tempora facit nobis contemptus Dei, temporum cursus non facit. Quod ergo contemptu perdidimus, ieiunijs conquiramus, animas nostras ieiunijs immolemus: quia nihil est quod Deo praestantius offerre possimus, probante Propheta, cum dicit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: Psal. 50.
cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Homo offer Deo animam tuam, & offer oblationem ieiunij, vt sit pura hostia, sacrificium sanctum, viuens victima, quae & tibi maneat, & data sit Deo. Hoc qui non dederit Deo, excusatus non erit: quia daturus, se non potest non habere. Sed accepta vt sint ista, misericordia subsequatur, ieiunium non germinat, si de misericordia non rigetur: ficcatur ieiunium misericordiae ficcitate quod imber terris, hoc ieiunio misericordia est. Quamuis cor excolat, carne mundet, eradicet vitia, virtutes serat, si misericordiae fluenta non dederit. fructum non colligit ieiunator. Ieiunator, ager tuus misericordia ieiunante ieiunat: ieiunator, quod tu in misericordia fuderis, tibi in horreo hoc redundat. Homo ergo ne seruando perdas, collige prorogando: homo dando pauperi, da tibi: quia quod in alteri reliqueris, non habebis.

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

INTROITVS *proponit nobis Psalmũ 18* Cœli enarrant gloriam Dei. *Quo prædicatur gloria Dei & ex operibus creationis, & ex magnitudine diuinæ legis, quam dedit homini, vt eam sequendo saluaretur. Et quidem primo Introitus commendat nobis legem Domini, & hoc propter duo exempla, quæ nobis hodierna die proponuntur, in Lectione de Esau & Iacob fratribus: & in Euangelio de filio prodigo, & eius fratre seniore, ne quis igitur dicat: quare Dominus odio habuit Esau & dilexit Iacob, & vt respondeatur filio seniori, qui indignatus nolebat introire, dicit Introitus: Lex Domini irreprehensibilis. Deinde propter filium prodigum, reuersum ad patrem, subiicit.* Conuertens animas. *Et quia verax fuit Dominus, erga Iacob & filium pœnitentem additur.* Testimonium Domini fidele. *Postremo propter Iacob simplicem, & filium iuniorem reuertentem, dicit:* Sapientiam præstans paruulis. *In quo genere paruulorum erant etiã Apostoli, è vulgari & simplice hominum genere delecti ad supremum & cœleste munus Apostolatus, vnde statim post verbum paruulis dicit officium* Cęli enarrant gloriam Dei. *Ista enim verba sensu mystico, sacra scriptura interprete, intelliguntur de Apostolis. Collecta exponit certum finem seu effectum ieiunij, vt castigatio, inquit carnis assumpta, ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Diuina sunt omnes istæ Collectæ Missalis, dicit castigationem carnis assumptam, vt deceat voluntarium esse officium ieiunij, non coactum, quale est mediocrum,*

dicorum, quale eorum, qui ieiunant penuria. Nec refert quod lege eccleſiaſtica & ciuili imperetur ieiunium: lex enim quæ iubet honeſta, non facit vt ſi, bi libenter parentes dicantur inuiti facere, quod iubetur. quin etiam & neceſſariam ſeu coactum ieiunium poteſt eſſe ſumme vtile, quale fuit ieiunium illius, qui nobis proponitur in Euangelio qui inedia, qua inuitus affligebatur reuerſus eſt ad patrem. Deinde quod eſt in collecta de vegetatione animarum, aliud eſt ab eo, quod ſepe etiam adfertur de caſtigatione & repreſſione malarum cupiditatum, ſicut exercitatio qua corporis ſanitas conſeruatur, diſtinguitur ab operibus Pharmacopolarum. Lectio proponit nobis longam hiſtoriam de Eſau & Iacob fratribus. Euangeliam longam item hiſtoriam de filio prodigo. vtrobique duo fratres. In lectione Eſau & Iacob: In Euangelio filius prodigus, & frater eius ſenior. Eſau pro cibo vendens ius primogenituræ, & per agros ferarum venator, filius adoleſcentior peregre profectus in regionem longinquam, & ibi diſſipans ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe. In vtroque exemplo ſunt veſtes. In lectione veſtitus Iacob accipit benedictionem a patre. In Euangelio, profertur ſtola prima, & induitur filius reuerſus, datur annulus in manu eius, & calciamenta in pedibus eius. Vtrobique bonus pater, malorum & bonorum filiorum pater, & illi patres in vtroſque clementes. Iacob audit vocem matris ſuæ Rebeccæ, & accipit benedictionem. Filius adoleſcentior audit vocem conſcientiæ ſuæ. In ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus. Surgam & ibo ad patrem meum Eſau inuidet fratri benedictionem, & frater ſenior in Euangelio, indignatur ob eandem cauſam, & non vult

introire

introire domum. Vtrobique occiditur; in epistola Hædus, in Euangelio Vitulus saginatus. Sunt forsan & alia parallela harum duarum historiarum, verum quia totius hodierni officii principem locum tenet historia Filii luxurioſi, neque vllum fere exstat exemplum pœnitentiæ, hoc isto præclarius; omnino in hoc istud factum paulo studioſius intueri nos oportet. Prolapsus enim fuerat filius luxurioſus in omnium postremam, ac summe perditam peccatorum turpitudinem, bonorumque omnium supremam egestatem: quid enim homini Judæo turpius potuit accidere, quam vt fiat custos porcorum, si non etiam hoc vnum, quod huic quoque euenit: vt quæreret siliquas quas porci manducabant, & vt ne hoc quidem tam miserum, miser inueniret. Tractandum est igitur nõnihil de isto filio luxurioſo, & hoc verbis B. Chryſologi, qui vt cetera omnia, elegãtissime & deuotissime rem istam explicauit quinque tractatibus, è quibus hic pauca. Pater da mihi portionem substantiæ. *Ecce quid facit cupiditas ad censum præceps. Ecce quemadmodum sine patre census nudauit filium, non ditauit: census filium tulit è gremio patris, eiecit de domo, exemit patria, spoliauit fama, exuit castitate. Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nil reliquit. Cinæm denique in peregrinum, filium in mercenariũ, in egenum locupletem, liberum mutauit in seruum, iunxit porcis à patre piissimo quem seiunxit vt seruiret cœnoſo pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. Et quæ est ista portio? quæ est? Habitus Sermo, Scientia, Ratio, Iudicium: quæ hominem præ cæteris animantibus in terrena habitatione contingunt. Hæc est iuxta Apoſtolum lex naturæ.* Congregatus, inquit, omnibus adoleſcẽtior,

Adoleſ-

Adoleſcentior iſte plane non ætate, ſed cenſu: qui congregauit bona patris, & abiit longe plus mente, quam loco: vt dato, non accepto precio miſere ſe venderet ſeruituti. Sic mercator ad talem contractum peruenit, qui parentum debitum neſcit ſoluere, qui vicem neſcit redhibere generanti. Eſt penes patrem dulcis conditio, libera ſeruitus, abſoluta cuſtodia, timor lætus, blanda vltio, paupertas diues, ſecura poſſeſſio. Namque ad patrem labor reſpicit, fructus redundat in filios. Diſſipauit, inquit, ſubſtantiam ſuam. *Quæ compoſita fuerant patre moderante, prodigente filio diſſipantur; vt vel tarde ſapiat patrem cuſtodem, non incubatorem fuiſſe ſubſtantiæ. Viuendo luxurioſe. Mortalis eſt iſta vita, quia moritur virtutibus, qui vitiis viuit, ſepelitur fama, perit gloria; qui manet turpitudni, creſcit infamia. Et poſt eaquam conſumpſiſſet omnia, facta eſt fames valida in regione illa. Luxuria, ventri, gulæ, fames tortor apponitur: vt ibi vltrix pœna ſæuiat, vbi pœna ſæuiat, vbi pœnalis reatus exarſerat. Facta eſt fames valida. Ad talem finem ſemper voracitas tendit, ad talem peruenit terminum fugienda voluptatis effuſio.* Et ipſe cepit egere, *filium data facit egere ſubſtantia quæ diuitem negata ſeruabat: vt penes ſe deficeret habendo, qui penes patrem abundauerat, non habendo.* Et adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. *Sic inuenit, qui ſe negat patri, qui ſe committit extraneo: vt ſentiat ſe verum iudicem, qui fugit indulgentiſſimum prouiſorem, Affectionis deſertor, pietatis refuga, deputatur porcis, porcis addicitur, porcorum traditur ſeruituti, porcorum paſcua luſulenta percurrit, inquieti gregis teritur, & maculatur excurſu; vt ſentiat quam miſerum*

ſit,

ſit, amatum quam ſit, quietis paternæ beatitudinem perdidiſſe. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant & nemo illi dabat. *Quam crudele miniſterium, quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis. Miſer qui porcorum deficit, & eſurit in ſaginam. Miſer, qui ſqualentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem. His edocti, inſtructi talibus, maneamus in domo patris, matris in gremio perduremus, cognatorum conſtringamur amplexibus: viſcera nos paterna conſtringant, ne nos ad ſupradicta mala pertrahat adoleſcentiæ miſeranda libertas. Sepiat nos paterna reuerentia, matris componat affectio, cognatorum cuſtodiamur affectibus. Inter propinquorum lumina non valent delicta verſari, Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies eſt aſpectus matris, ſol patris rutilat in vultu. Vnde viuenti inter tot virtutum duces, criminum tenebræ propinquare non poſſunt. Sed menſa patris nos alit virtutis cibo, ſalutis epulo, deliciis honeſtatis & gloriæ. Et rurſum ſdem B. Chryſologus.*

Serm. 3. *Luxurioſum filium, filium patris piiſſimi deſertorem, quæ perculerint mala in tantum, vt fame tabidum porcorum dederit ſeruituti: ſuperiore, quo valuimus ſermone perſtrinximus. Nunc eius reditum, nunc eius pœnitentiam, meliore iam voto, verbis lætioribus proſequamur. In ſe, inquit, reuerſus dixit:* Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, &c. *In ſe reuerſus eſt, in ſe ante redit, vt rediret ad patrem, qui à ſe ante receſſerat, cum receſſit a patre: A ſe migrat, & ab homine totus tranſit in beſtiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Quanti mercenarij patris mei abũdant panibus, ego autem hic fame pereo. *Fames reuocat, quem ſaturitas exularat: fames illi patrem*

Luc. 15.

trem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem. Et ſi tantum præſtitit vel inuita fames, probate quid voluntarium poſſit conferre ieiunium. Oneratus venter ad vitia cor deponit premit mentem, ne ſupernam valeat ſentire pietatem. Corpus, *inquit,* S. quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Vnde & Dominus. Attendite, ne grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. *Vacuandus eſt ergo venter moderatione ieiunii, vt exoneratus animus poſſit ad alta pertendere, conſcendere ad virtutes, poſſit ad ipſum pietatis authorem totus aliger peruolare. Hoc Elias probat, qui Dominici* 3. Reg. 19. *continuatione ieiunii defæcatus a carnali pondere;* 4. Reg. 2. *mortis victor euolauit ad cœlum.* Surgam, & ibo ad patrem meum. *Iacebat qui dixit ſurgam: intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico, & ideo exclamat:* Surgam, & ibo ad patrem meum. *Qua ſpe? qua fiducia? qua confidentia? qua ſpe? Illa qua pater eſt. Ego perdidi quod erat filii, ille, quod patris eſt, non amiſit. Apud patrem non intercedit extraneus, intus eſt in patris pectore ipſe qui interuenit, & exorat affectus. Vrgentur patris viſcera iterum filium genitura per veniam. Ibo ad patrem reus, ſed pater viſo filio cooperit mox reatum, diſſimulat iudicem, qui magis vult implere genitorem, & ſententiam cito vertit in veniam, qui redire cupit filium non perire. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi, Pater, peccaui in cœlum & coràm te, Confeſſio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo. Peccaui in cœlũ & corã te, Cui peccatur in cœlo non terrenus pater eſt, ſed & cœleſtis, ideo adiecit: Coram te, Cui in cœlo, & in terra, ante oculos ſunt omnia quæ geruntur.* Peccaui

in cœlum

in cœlum, & coram te, & iam non ſum dignus vocari filius tuus, *Peregre profectus eſt iſte, & in regionem longinquam fugit, ſed accuſatores ſuos, ſed teſtes ſuos, diuini patris oculos non refugit, Hoc*

Pſal. 138 *Dauid clarius aperit, ſic dicendo:* Quo ibo à ſpiritu tuo? & à facie tua quo fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernũ, ades: ſi ſumpſero pennas meas diliculo, & habitauero in poſtremo maris, Etenim illuc deducet me manus tua, & tenebit me dextera tua. *Videt iſte per totum mundum nuda Dei oculis delicta conſiſtere: non cœlũ, non terram, non maria, non abyſſum, non ipſam noctem, Deo volare poſſe peccata. Sentit quantum ſit ſceleris, mali quantum*

Pſal. 50. *in ipſo Dei peccare conſpectu, & ideo clamat.* Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. *Vnde & iſte adoleſcentior ſimiliter vociferatur, & clamat.* Peccaui in cœlũ, & coram te, & iam nõ ſum dignus vocari filius tuus, *Non dicit, Non ſum dignus eſſe filius tuus, ſed non ſum dignus vocari filius tuus: quia vocari ad gratiam, pertinet eſſe ad natu-*

Gala. 1. *ram. Audi Apoſtolum dicentem.* Ab eo qui vos vocauit in gratiam ſuam. *Hic ergo adoleſcentior quia perdiderat quod erat naturæ, iudicat ſe quod eſt gratiæ non mereri, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis, Ecce, poteſtatis ſuæ filius quo deuenit? voluptas luxuriæ, adoleſcentiæ libertas, ecce filium quo promouit? fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis, Vt locatione annua ſeruitus innouetur, vt labore ingi conditio conducta deteratur, vt die toto in opere ſuſpiret miſeræ verna mercedis, vt ſit ſemper venditor ſui, nec vnquam negare ſuam valeat ſeruitutem. Et hoc petit, quia qui penes extraneum ſeruam ſenſerat libertatem, penes patrem credit ſibi*

dit sibi futuram liberam seruitutem. Iam nunc fratres vellem lectionis huius aperire mysterium, si non me reuocaret istius vtilitatis intentio, quia vos video non quasi nostra audire, debito cum dolore, sed quasi extranea intellectu transuolare festino. Nostra, nostra & omnibus profutura nobis semper loquitur Christus, & ob corrigendos nos mystica frequentat exempla Dominus, qui pater suorum voluit esse seruorum, qui magis amari voluit, quam timeri, qui panem vitæ se dedit ipsum, qui sanguinem suum in poculum salutis effudit. Præteritis comparationibus præsentes corrigit, & futuros: ne bonum patrem, ne genitorem pium deserentes ad mundi longinqua, & nimis peregrina tendamus: ibique viuendo luxurioſe, substantiam totam salutis dissipemus, & vitæ omnibusque consumptis famem spei grauissimam perferamus, & sic nos primario regionis illius, hoc est, desperationis authori diabolo tam tradamur: & ille nos mittat in villam suam, hoc est, ad huius seculi illecebrosas conualles: mittat ad pascendos porcos, eos videlicet qui proni semper in terram viuent ventri, & æstus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum. Quod autem mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est homines criminosos fieri: nisi eos vitiorum duces, criminum faciat & magistros. Cum eos tales fecerit, non sinit eos ex ipso porcorum cibo, pastuque saturari: vt esurientes vitia plus delinquant, luxurioſos satietas capere non potest: voluptas nescit expleri. Vnde nos cum bono patre simus, permaneamus apud genitorem pium: vt & diaboli laqueos possimus euitare, & bonis patris iugiter perfruamur. Profunda post scrutabimur quia cõmunioni & mo-

ribus plus debemus. Et rursum ſdē B. Chryſologus.

Serm 3. *Filij luxurioſi abſceſſum, regreſſum, culpam, pœnitentiam percurrimus, hactenus ſermone geminato occurſum modo patris, bonitatem patris, patris ineffabilem miſericordiam proſequamur.* Surgens inquit, venit ad patrem ſuum: cum autem eſſet longe, vidit illum pater ſuus, & miſericordia motus eſt, & accurrit & cecidit ſuper collum eius & oſculatus eſt illum. *Surgens, venit ad patrem ſuum. Surrexit iſte mentis & corporis de ruina: ſurrexit de profundo inferni, cœli alta contingēs: apud cœleſtem patrem filius ſurgit plus de venia, quam corruit de reatu.* Surgens venit ad patrem ſuum, *Venit non greſſu pedum ſed mentis inceſſu: longinquus terreni itineris non indiguit, quia compendia viæ ſalutaris inuenit. Diuinum patrem neſcit viarum curſu quærere: qui fide quærens, mox ſibi illum inuenit eſſe præſentem. Surgens venit ad patrem ſuum, cum autem eſſet longe. Quomodo longe eſt is, qui venit? quia nondum peruenit. Iſte qui venit, venit ad pœnitentiam, ſed nondum peruenit ad gratiam: venit ad domum patris, ſed nondum peruenit ad gloriam priſtini, vel habitus, vel honoris. Cum autem eſſet longe, vidit illum pater ſuus. Vidit*

Pſal. 112 *pater ille*, qui in altis habitat, & humilia reſpicit, & alta a longe agnoſcit. *Vidit illum pater ſuus. Pater vidit illum; vt & ille patrem poſſet attendere: patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu. Non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum. Audi*

Pſal. 39. *Prophetam dicentem.* Comprehenderunt me

Pſal. 37. iniquitates meæ, & non potui videre. *Et alibi.* Iniquitates meę grauatę ſunt ſuper me. *Et poſt.*

Et lumen

Et lumen oculorum meorum non est mecum. *Nox sepelit hesternum lumen, peccata sensum, animum, membra confundunt. Nisi ergo cœlestis pater, redeuntis filij radiasset in vultu, & totam confusionis caliginem respectus sui lumine sustulisset, nunquam diuini vultus vidisset iste filius claritatem.* Vidit eum de longe, & misericordia motus est. *Mouetur misericordia, qui loco non potest dimoueri, accurrit non progressu corporis, sed pietatis affectu:* Cecidit super collum eius. *Non lapsu viscerum, sed compassionis. Cecidit super collum eius, Vt erigeret sic iacentem. Cecidit super collum eius, Vt amoris onere, onus tolleret peccatorum. Venite ad me, inquit, omnes qui laboratis, & onerati estis. Tollite onus meum super vos, quia leue est. Videtis quia filius inuatur istius patris onere, non grauatur.* Cecidit super collum eius, & osculatus est eum. *Sic pater iudicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella. Delicta non videt, vis amoris, & ideo pater peccata filij redemit osculo, clausit amplexu: ne nudaret pater filij crimina, pater filium ne fœdaret. Pater sic curat filij vulnera, ne filio cicatricem, nauum filio ne relinquat.* Beati, *inquit*, quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata. *Si adolescentis huius factum displicet, horret abscessus: nos a tali patre nullatenus discedamus. Aspectus patris fugat crimina: expellit noxam: cunctam nequitiam & tentamenta propellit. Certe si abscessimus: si substantiam patris totam luxuriose dispersimus nos viuendo: si quicquid vsquam commisimus facinoris, & delicti: si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam: surgamus aliquando, & ad talem patrem talli inuitati redeamus exemplo.* Cum autem vi-

Mat. 11.

Psal. 31.

defet eum, misericordia motus est, & accurrit, & cecidit super collum eius, & osculatus est illum. *Rogo quis hic desperationis locus? Quæ hic excusationis occasio? hic simulatio quæ timoris? Nisi forte timetur occursus: terret osculum turbat amplexus: & capere ad vindictam, non recipere ad veniam pater creditur, cum filium trahit manibus, claudit gremio, ligat lacertis, Sed hanc cogitationem debellatricem vitæ, salutis inimicam expugnant nimis, nimis auferunt quæ sequuntur.* Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum aureũ in manu eius, & calceamenta in pedibus eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & mãducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit: perierat, & inuentus est. *His auditis adhuc moramur? adhuc non redimus ad patrem? Citò proferte stolam primam, & induite illum. Sustulit filij crimina qui non sustulit nuditatem: hinc est quod à seruis ante vestiri voluit filium, quam videri, vt soli patri nota esset nuditas, quia pater solus videre filij non poterat nuditatem. Citò proferte stolam primam. Pater hic, qui in secundis esse non passus est peccatorem, plus de venia, quã de iustitia gaudium vult habere. Citò proferte stolam primam. Non dixit, vnde venis? vbi fuisti? vbi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam tanta turpitudine commutasti? sed, Citò proferte stolam primam & induite illum. Videtis, quia delicta non videt vis amoris. Tardam misericordiam pater nescit. Delicta qui discutit, prodit.* Et date annulum in manu eius. *Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat & honorem.* Et date calceamenta in pedibus eius.

Quam

Quam pauper rediit qui ditatus abſceſſerat, & de tota ſubſtantia, calceamenta in pedibus non reportat. Date calceamẽta in pedibus eius. Ne vel in pede remaneret deformitas nuditatis, certe vt calceatus anterioris vitæ rediret ad curſum. Et adducite vitulum ſaginatum. *Communis vitulus non ſufficit, niſi fuerit pinguis, niſi fuerit ſaginatus. vitulus pinguis teſtatur paterna pinguedinem charitatis.* Et adducite vitulũ ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. *Hiſtoriam loquimur adhuc, & iam cogitamus arcanum nudare myſterium. Mortuus filius vituli ſuſcitatur ex morte, & vnius vitulus totius familiæ funditur in ſaginam.*

Habet Chryſologus & alia in hoc Euangeliũ, quæ licet pleraq; a nobis omittantur, recitandum tamen eſt cultori ſanctæ Miſſæ, quod ille dicit ſermone quinto, ad verba Euangelij: Occidit ei vitulum ſaginatum, Illum inquit, de quo Dauid cantabat: Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas, occiditur patre vitulus, ſic iubente: quia Chriſtus Deus Dei filius occidi ſine patris voluntate non poterat. Audi Apoſtolum. Qui proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum. Hic eſt vitulus qui in epulum noſtrũ quotidie ac iugiter immolatur. Graduale eſt vox filij iunioris Iacob, qui ſemper permanſit in officio. Offertorium quod ſequitur. Euangelium eſt vox filij iunioris luxurioſi, qui fuit vicinus morti, & nunc inde liberatus dicit. Illumina oculos meos, ne vnquã obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, preualui aduerſus eum. Communio proponit nobis reprehenſionem inuidiæ quam reprehendit

pater in fratre seniore: qua ratione docet nos ecclesia, etiam a sanctis, qui intelliguntur per communicantes, diligenter vitandum esse peccatum invidiæ: quod specie boni fallit multos cetera bonos.

MISSA SABBATHO POST DOMINIC. II. QVADRAG.

INTROITVS.

Psal. 18. LEx Domini irreprehensibilis, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapiẽtiam præstans paruulis.

Ibidem. *Psal.* Cęli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. *Vers.* Gloria.

ORemvs.

DA quæsumus, Domine, nostris effectum ieiunijs salutarem vt castigatio carnis assumpta, ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per Dominum.

SVbiectum tibi populum quæsumus, Domine propitiatio cœlestis amplificet, & tuis semper faciat seruire mandatis. Per Dominum.

Lectio libri Geneſis.

Cap. 27. In diebus illis, Dixit Rebecca filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. Nunc ergo fili mi, acquiesce consilijs meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos,

timos,vt faciam ex eis escas patri tuo,quibus libenter vescitur: quas cum intuleris,& comederit,benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit, Nosti,quod Esau frater meus homo pilosus sit,& ego lenis: si attrectauerit me pater meus , & senserit , timeo ne putet me voluisse sibi illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater:in me sit,ait,ista maledictio fili mi, tantum audi vocem meam,& pergens, affer, quæ dixi. Abijt, & attulit; deditque matri suæ. Parauit illa cibos , sicut nouerat velle patrem illius,Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi,induit eum:pelliculasque hędorum circundedit manibus,& collinuda protexit. Deditque pulmentum:& panes quos coxerat,tradidit. Quibus illatis,dixit. Pater mi? At ille respondit,Audio,Quis es tu,fili mi?Dixitq; Iacob: Ego sum Esau primogenitus tuus, feci sicut præcepisti mihi, Surge, sede, & comede de venatione mea , vt benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suum. Quomodo,inquit, tam cito inuenire potuisti, fili mi? Qui respondit. Voluntas Dei fuit, vt citò mihi occurreret,quod volebam. Dixitque Isaac, Accede huc, vt tangam te,fili mi: & probem vtrũ tu sis filius meus Esau,an non? Accessit ille ad patrem:& palpato eo,dixit Isaac. Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau,Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expressérant, Benedicens ergo illi,ait. Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. At ille. Affer, inquit,mihi cibos de venatione tua, fili mi: vt benedicat tibi anima

mea. Quos cum oblatos comediſſet, obtulit ei etiam vinum. Quo hauſto, dixit ad eum Accede ad me: & da mihi oſculum, fili mi. Acceſſit & oſculatus eſt eum. Statimque vt ſenſit veſtimẽtorum illius fragrantiam, benedicens, ait. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei. Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum: & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Iſaac ſermonem impleuerat: & egreſſo Iacob foras, venit Eſau, coctoſque de venatione cibos intulit patri, dicens. Surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Iſaac. Quis enim es tu? Qui reſpondit. Ego ſum Filius tuus primogenitus Eſau. Expauit Iſaac ſtupore vehementi: & vltra quam credi poteſt, admirans, ait: Quis ergo ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priuſquam tu venires? benedixique ei, & erit benedictus? Auditis Eſau ſermonibus patris, irrugijt clamore magno: & conſternatus ait: Benedic etiam & mihi, pater mi. Qui ait Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille ſubiunxit: Iuſte vocatum eſt nomen eius Iacob. Supplantauit enim me, en, altera vice. Primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam. Rurſumque ad patrem. Nunquid non reſeruaſti, ait, & mihi benedictionem? Reſpondit Iſaac. Dominum

tuum

mum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugani. Frumento, vino, & oleo stabiliui eum: & tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam? Cui Esau. Num vnam, inquit, tantum benedictionem habes pater? Mihi quoque obsecro, vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum. In pinguedine terræ & in rore cœli desuper erit benedictio tua.

Graduale. Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. *Vers.* Ad annunciandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. *Psal. 92.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Iesus Pharisæis parabolam hanc. Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis, patri. Pater, da mihi portionem substantiæ, quę me contingit, Et diuisit illis substantiam. Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè, Et postquam consummasset omnia, facta est fames valida in regione illa: & ipse cœpit egere. Et abijt, & adhæsit vni ciuium regionis illius, Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo? Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei. Pa- *Cap. 15.*

ter,

ter, peccaui in cœlum & coram te: iam nõ sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens, venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius: & misericordia motus est. Et accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illũ: & date annulum in manu eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. Et cęperunt epulari. Erat autem filius eius senior in agro. Et cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum. Et vocauit vnum de seruis: & interrogauit quid hæc essent. Isque dixit illi. Frater tuus venit: & occidit pater tuus vitulum saginatum, quia saluum illum recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cępit rogare eum. At ille respondens, dixit patri suo. Ecce tot annis seruio tibi: & mandatum tuum nunquam præteriui: & nunquam dedisti mihi hedum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, venit: occidisti vitulum saginatum. At ipse dixit illi, Fili, tu semper mecum es: & omnia mea, tua sunt: Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est.

Offer-

Offertorium. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. *Psal.12.*
Vers. I. Vsquequo Domine obliuiscéris me in finem? quãdiu ponam consilia in anima mea?
Vers. II. Respice in me,& exaudi me: cantabo Domino qui bona tribuit mihi.

Secreta.

HIs sacrificijs, Domine, concede placatus: vt, qui proprijs oramus absolui delictis,non grauemur externis Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus,Et tuam iugiter exorare clementiam,vt mentes nostras quas conspicis terrenis affectibus prægrauari medicinalibus tribuas ieiunijs exonerari,vt pro afflictione corporum, proueniat nobis roburanimarum.

Communio. Oportet te fili gaudere:quia frater tuus mortuus fuerat,& reuixit:perierat, & inuentus est. *Luc.15.*

Post-Communio.

SAcramenti tui, Domine, diuina libatio penetralia nostri cordis iufundat : & sui nos participes potenter efficiat . Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

FAmiliam tuam, quæsumus,Domine,continua pietate custodi: vt quæ in sola spe gratiæ cęlestis,innititur,cęlesti etiam protectione muniatur.Per Dominum.

SVbueni Domine seruis tuis,pro sua iugiter iniquitate gementibus: mentesque nostras terrenis

terrenis affectibus prægrauatas, medicinalibus tribue exonerare ieiunijs, & corporis afflictione corroborari. Per Dominum nostrum.

Ad Benedictionem.

Omnipotens Deus, sua nos clementia benedicat, & sensum nobis sapientiæ salutaris infundat. *Amen.*

Catholicæ fidei nos documentis enutriat, & in sanctis operibus perseuerabiles reddat, gressus nostros ab errore conuertat, & viam nobis pacis & charitatis ostendat. *Amen.*

Quod ipse præstare dignetur, &c.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

De Oratione.

Diximus Ieiunium esse aridum & inutile, si non etiam duas habeat alas, quibus se leuet in cœlum: Orationem & Eleemosynam, & de horum trium necessaria coniunctione, transcripsimus superiore capite sermonem B. Chrysologi. Quin etiam hæc ista coniunctio, ea ratione facile intelligitur, quod perfectio omnium præceptorum & mandatorum Dei, consistat in dilectione Dei & proximi: quem iubemur diligere vt nos ipsos. Diligendus est igitur Deus, diligendus proximus: & diligere postremo debemus ipsi nos. Ad dilectionem nostri pertinet ieiunium: qui enim se castigat & abstinet à malis desideriis seculi, is se vere diligit. Ad dilectionem

nem proximi pertinet Eleemosyna, Ad dilectionem Dei, oratio. Neque enim res vlla tam pertinet ad amorem Dei atque oratio, quæ res exemplo facile potest intelligi. Infantes cum primum incipiunt dignoscere caros ab ignotis, matres & nutrices a peregrinis, inde cum incipiunt balbutire, post garrire, postremo cum fari incipiunt, tum equidem omne illorum studium in sola pene oratione consistit: neque hoc summ officium, nisi a se amatis nulli equidem exhibere consueuerunt, & quo magis diligunt eo blandius, eo instantius, eo frequentius orant, & cum obtinere non possunt, in omnes se formas commutant, plorant, blandiuntur, rogant verbis, veris, falsis, si quis ingruit metus, si quæ res noua conturbat, fugiunt ad caros, in eorum vel amplexibus, vel vestibus metum deponunt: orantibus negantur multa, sepe verbis, nonnunquam verberibus coercentur, manet nihilominus orandi studium, & fiducia. Nulla est hic ars, nullum ingenium, nemine monente ipsa hoc facit natura: vel vt rectius loquamur naturæ conditor Deus. Nullius itaque rei tam proprie est signum oratio, atque amoris Dei, neque amor Dei tam re vlla recte potest explicari atque oratione, cetera enim pia & religiosa actiones, quæ fiunt in dilectione Dei, licet earum maxima sit atque excellens dignitas, non ita tamen coniungunt amantem amato, atque hoc facit ardens & deuota eleuatio mentis in Deum. Cum enim nihil in homine sit nobilius ipsa mẽte, sequitur necessario vt illius motus in Deum nobilior existat ceteris actionibus, quæ nõ ita proprie solius metis occupatione, perficiũtur: qua ratione fit vt in sanctissimis viris oratione & meditatione multi extra se positi, diuinæ præsentiæ suauissimos

fructus

fructus sensisse perhibeantur, quæ res in sanctè operantibus, ex ipso illius operis actu, cui acciderit, nemo equidem nominatur. Atque hæc forsitan est causa cur in omni disciplina Christiana, nihil tam frequenter imperatur, nullaque res æque frigidè præstatur atque oratio, ea ratione, quod in Dei dilectione consistat summa rei; & quod in hoc seculo commorantibus nulla res videatur difficilior, quam à seculi curis, negocijs, voluptatibus, quæ videntur & sentiuntur, in illam se transferre diuinam maiestatem; quæ sub sensum corporalem nullum cadit. Recte igitur coniungantur ieiunium & oratio: nullius enim momenti est castigatio corporis, si non etiam eius finis est Deus. Et in hac quidem coniunctione, potior digniorque est oratio, quam sunt vel Ieiunium vel Eleemosyna: illa enim carere nullus potest: istorum vsus non est omni tempore æque necessarius. Versatur quoque oratio circa nobilius subiectum. & agit perfectiore quadam ratione: oratio enim sic accipitur, vt ea voce contineatur omnis internus & Spiritualis Dei cultus; de quo dicit Propheta: omnis ornatus filiæ Regis ab intus. Qua ratione non solum petitiones pertinent ad orationem, sed in vniuersum omnes mentis actiones, tendentes in Deum, quo in genere præcipuum locum tenet sacrificium Christianorum, quod est sacrificium rationale. Atque ista ratione sic definit orationem Catechismus Catholicus. Oratio est pius nostræ mentis in Deum affectus, quo petuntur fideliter, quæcunque sunt nobis aut aliis salutaria: quo diuinam quoque gratiam & virtutem celebramus, aut qualicunque ratione, coram summa & æterna illa maiestate nos deuotos testamur. Deinde subdit Catechismus: Vt huc spectet non solum precatio, sed etiam adoratio, oblatio seu sacrificium;

trificium, inuocatio, laudatio, gratiarum actio. Et quidem ista larga significatione accipienda est oratio cum vniuersa bona opera Christianorum partimur in Orationem, Ieiunium & Eleemosynam. Et cum dicit B. Augustinus: Hæc iustitia hominis in hac vita, Ieiunium, Eleemosyna, Oratio. In ieiunio vniuersam corporis castigationem significans, eleemosynis omnem beneuolentiam & beneficentiam, vel dandi, vel ignoscendi: & oratione insinuans omnes regulas sancti desiderij. Sic Damascenus dicit orationem esse mentis in Deum ascensum. Augustinus pium in Deum mentis affectum. Bernardus, Hominis Deo adhærentis affectionem, illuminataque mentis stationem, ad fruendum Deo quandiu licet. Hugo Victorinus, Conuersionem in Deum per pium & humilem affectum, Spe, Fide, & Charitate, subnixam. Verùm strictè sic vulgo accipimus orationem, vt sit interni desiderii explicatio vel petitio aperte vel tacite oblata Deo. De qua specie orationis non debet expectare à nobis lector, vt totam eam materiam hic inueniat: est enim res ea necessarij quidem sed maioris studij, quam vt transcribi hic à nobis vel possit, vel debeat, & de hoc argumento tot pene sunt libri, quot sunt ecclesiastici scriptores. Quorum scripta videntur posse reduci ad tria capita. Nam vel quæritur de præparatione & acquirendo Spiritu seu dono orationis: Vel de ipsa actione orationis, Vel postremo de eius effectu. Ad primum caput pertinet, Specialis Dei gratia, Voluntas plena & perfecta seruiendi Deo, & abstinendi à peccatis, cum vera eorundem purgatione, per Sacramentum pœnitentiæ, vel bono eius voto, Lectio, & Meditatio. Ad Secundum pertinet, Quid peti vel possit vel debeat. Quæ res explicata est à Domino in oratione

Serm. 62. de Temp.

Dominica:

Dominicæ: aliter enim atque alijs verbis, ſed aliud à Deo petere non permittitur, quam quod pertineat ad aliquod e ſeptem membris iſtius Dominicæ orationis. Quæritur quoque in hoc ſecundo capite de tota animæ compoſitione in Deum, humilitate, ſedulitate attentione, fide, Spe, charitate, operantibus in Intellectu & voluntate. Pertinet quoque ad hoc iſtud caput compoſitio corporis, cum oratur ab humi procumbẽtibus in faciẽ, inclinantibus ceruicem, prouolutis in genua, iungentibus & eleuantibus ſupplices manus, vel extendentibus in formam crucis, nudantibus caput, tundentibus pectus, ſignantibus frontem. & ſi qui ſunt alij chriſtiani & deuoti ritus. Ad caput poſtremum pertinent tot laudes orationis ſumptæ ab eius effectu, tot exẽpla, tot teſtimonia & ſacræ ſcripturæ & eccleſiæ Dei, quibus liquido probatur quanta ſiat hac re coniunctio Dei & creaturæ, quanta, quam multa quam admiranda dederit Deus bene orantibus. Eſt igitur huius rei explicatio immenſa. Sufficiet igitur hic nobis ex F. Alphonſo Madrilienſi Hiſpano, de Methodo apte inſeruiendi Deo ſecundæ partis caput quartum, quo loco ſic loquitur is authpr. Voluit ſummus Deus noſter ſupernaturali ſuo auxilio nos egere, quandoquidem bona ad quæ nos ereauit, ſupernaturalia ſunt. Voluit etiam vt illud ab eo poſtularemus, non quin magis cupiat illud nobis dare, quam nos ab ipſo accipere, ſed vt maiori cum gloria poſſideamus illud, quod maiori obtinemus conatu & labore illud expetendi. Alia quoq; id ſit ratione, nempe vt noſipſos nõ modo ratione orationis efficiamus quodãmodo merentes id quod petimus, petendo illud vti debemus: verum etiã vt tanquam importuni petitores frequentius noſipſos præſentemus ante Dominum, à quo petimus, &

ita

ita ante ipſum præſentati perueniamus in cognitionem ſuæ maieſtatis. Quanto enim rem habemus præſentiorem, tanto magis in nobis imprimitur eius notitia: & quanto magis notam habuerimus eius magnitudinem, ſuperuaſque ipſius eminentias, tanto amplius exultamus in ipſo: quanto autem magis in ipſo exultauerimus, eumque cognouerimus, tanto magis eum amemus: porro quanto magis eum amauerimus & cognouerimus, tanto magis in animabus noſtris, reſplendeat lux veritatis. Denique quanto magis hæc lux cum ſui amore in nobis illuxerit, tanto amplius quicquid Deus non eſt, aut in Deum tendens, nihilum in oculis noſtris reputetur, tantoque amplius malum oderimus, omnemque virtutem amplectamur, & ad Deum ipſum accedamus. Ex quibus clare conſtat orationem variis rationibus certum iter eſſe, ab obtinendum quicquid nobis eſt neceſſarium: & vt nos ducat ad celſitudinem amoris, ad quod nati ſumus. Itaque ipſam orationem, aut quam habemus orandi neceſſitatem, exiſtimare debemus pignus, quod Deus habere voluit, quo nos apud ſe retineret. Certo enim nouerat, quantum boni ex eius præſentia nobis accederet, & quam certa futura eſſet apud nos eius obliuio, ſi ipſo non indigeremus. Nunc autem aduertendum eſt quod orationis excellentia, vt ſit plurimum meritoria ac impetratoria, non tantum in eo conſiſtit, vt quod petimus ſit quippiam eximium, quantum vt ſublime habeat motiuum aut ſcopum eius qui orat: quod ſi ſit æquale motiuum eius qui regnum cœleſte petit, & eius qui panem ad edendum, ſeu corporis ſalutem poſtulat, dicetur æqualis meriti oratio: quanquam ex parte rei petitæ ſit vna oratio ſublimior altera, idq; quod vna oratione obtinetur ſub-

limius sit eo, quod in altera. Motiuum autem quod nos ad orandum mouere debet, est, credere quod Deus ac Dominus noster vult, vt illud habeamus quod petimus: vult etiam vt illud petamus, quo mediante nostra oratione illud quodammodo promereamur, & illud obtinendo magis dispositi simus ad eius obsequium. Beatus siquidem est panis quem edit is, qui ad hoc edit vt viuat, quo viuens semper accipetur crescendo in amore gloriæ Dei sui. Sic enim & petitio panis, & quicquid reliquum est, tali motiuo coniunctum, est sublimis meriti. Talis præterea animi esse debemus, vt si Deo gratum non esse putaremus nos illud obtinere, quod plurimum desideramus, protinus quantum in nobis est, illud nec desideraremus, nec peteremus. Itaque famelicus quidem, vt plurimum fame qua premitur, mouetur ad petendum panem, at non ita qui rectè Deum orat, cibum gratiam, virtutes & gloriam petere debet, hoc est, non potissimum quod horum indigentia prematur, sed quod Deus ac Dominus noster summè cupiat vt hæc habeamus, nostram duntaxat petitionem expetians, vt ea nobis tribuat, adeo vt amplius mouere me debeat ad desiderandum ac petendum meum bonum Dei voluntas, cupientis vt ego illud habeam, quam gaudium & gloria quæ ex eo bono mihi spero prouentura. Modus itaque orandi esse debet, vt habitum iam assecuta anima nostra optandi quicquid Deus cupit supra aliud quodcunque & innumeris actibus, ea sic actu petendi exercita, non potissimum ob bonum nostrum, sed quod eius tam eximia voluntas dignissima sit, quæ appetatur supra omne appetibile, quicquid ab eo potierimus immixtum ac intextum sit huiusmodi habitui singula quoque verba precationum nostrarum, adiuncta sint actibus

actibus volendi aut desiderandi, quicquid expetimus, ob id quod Deus cupiat vt illud habeamus, quo gratiores illi serui hoc pacto efficiamur, maioremque amorem habeamus Beatus qui sic orauerit: nam intra paucos dies in virum euadet validum fortem ac potentem in Domino Modo autem precandi iam præcognito, visum est operæpretium adiungere paradigma, quo, veluti digito, ostendatur quicquid diximus. Vidi enim nonnullos viros spirituales, qui suo quidem iudicio, dicto motiuo precabantur, non tamen ita erat: agnoscebant autem suum errorem, hoc aut simili paradigmate, verbi causa. Optat quis virtutem aut gratiam, ad bonum aliquem finem, aduertit Dominum dixisse, vt petamus ab eo quod nobis necessarium est. Petit instanter, agnoscens etiam suam abiectionem, perseuerat in hoc petendi modo, sentit quoque in sua postulatione gustus dulcedinis, diuinique amoris, Opinantur, vt dixi, nonnulli deuoti hanc orationem a perfecto motiuo vel scopo proficisci, nec tamen ita est, quanquam bona ac deuota sit oratio. Quod si requiras quid illi ad perfectionem desit, respondeo, deesse illi vt ex amore petatur, etiã si petitur cum amore. Dico ergo non sufficere, vt perfectum sit motiuum eius qui orat, vt amet, cæteraque habeat vniuersa sed necessum est quoque, vt ad rem postulandam ex Dei amore moueatur, & non amore rei concupitæ. Quanquam tamen & amor illius rei seruari possit, magna cum perfectione & merito: modo actu referatur, vt propterea ametur: quia Deus vult vt illam amemus, quod iam aliud est, & propemodum egreditur orandi limites. Hoc itaque multi considerantes in cognitionem venerunt, quod occultatus fuerat suiipsorum amor, sub vmbra amoris Dei, verumque fuisse, quod licet Deũ ama-

rent, non tamen isto amore mouebantur actu, dum orarent, sed suiipsorum amore, licet non malo: quo agebantur ad postulandum id quod postulabant, ob id quod bonum esset. Istud facilius capietur ex eo, quod passim contingit inter eos, qui inuice se amant, quod vnus ab altero quidpiam postulat, idque cum amore quo illum amat, non tamen ex amore quem habet ad illum, a quo petit: sed ex suiipsius amore & commodo. Supra ergo dictum est, nos non eo modo debere a Deo petere, sed petendum esse cum ipsius, & ex ipsius amore, hoc est, vt actu in nobis desiderii percipiamus obtinendi id, quod postulamus; quo Deus ex eo gratum in nobis suscipiat obsequium. Magna sane est necessaria attentio, quo horum amorum discrimen agnoscatur: Est enim res cũ primis necessaria vt hoc sciatur, multique opinati sunt, se in his recte incedere, propius autem & maiori claritate rem perspicientes, inuenerunt tantũ veri amoris Dei fuisse imaginationem, & se ab eo longe abesse. Ille itaque credat se in his recte procedere, qui tanquam duci viæ continue innixus fuerit actuali cuidam desiderio, obtinendi per orationem has aut illas virtutes, quo Deus gaudeat videre illum his ornatum, & ipse in illius amore summe crescat. Qui ergo tam clare perspexerit se hac ratione moueri, quam clare se perspice potest in dato prius exemplo in secundo documento, de eo qui pro amico desiderat & quærit cibum, aut medicinam, qua pro se ipso eget, oblitus suiipsius aut suæ propriæ necessitatis. Cui istud contigerit, & petierit ignosci sibi peccata, ac de illis doluerit, hunc magis mouebit dolor, quod videat in anima sua esse, quod Dominum Deum offendat, & desiderium videndi illam mundam, quo

iste

iſte Dominus gratum in ea inueniat obſequium, quam diſplicentia quæ inde oriri ſolet, quod videamus nos incompoſitos, & alienatos à ſpirituali conſolatione, quam vel habere ſolemus vel deſideramus, aut ob quemuis timorem. Poteſt item dari exemplum in rebus omnibus, quas petimus; in quibus ſatis importuni eſſe ſolemus: veluti dum cupit quis laborem aut dolorem euadere, ſeu bonum aliquod obtinere: debet enim in corde noſtro ſentiri deſiderium euadendi illam anguſtiam: non potiſſimum ob pœnam quæ in illa ſentitur, ſed ne ſit nobis impedimentum ſeruiendi Deo, habendo promptam & non fictam voluntatem, quod ſi vllo modo ille, quouis tempore cuperet, noſtra anguſtia ſibi obſequium præſtari, quod fiat voluntas ipſius, & quod hæc voluntatis eius adimpletio, ex noſtra anguſtia, ſit nobis exultatio, gaudentibus quod gratum à nobis ſuſcipiat ille obſequium. Pari quoque modo de bono, quod cupis, aut impetrare poſtulas, nempe vt illud fiat, non ob tui conſolationem: ſed vt in anima tua percipias ſtimulum quendam incitantem, vt hoc deſideres: eo quod bonum illud habens, magis animatus ſis, quo anima ſummo & eximio amore, Deo ſit magis vnita. Magni ac frequentes actus ad hoc ſunt neceſſarij, eorum qui ſecundo ac ſexto documentis deſcripti ſunt. Et initio quidem videbitur quod non modo deuotione non creſcimus, ſed & eius quam prius habebamus iacturam facimus, in quo magnam ſentiet triſtitiam anima fragilis ac recens in hac tam ſublimi operatione: viriliter tamen hoc exercitium proſequi debet, cum ſit eximium. Nec admiretur ſe ſentire deuotionis imminutionem, nam & in his principijs, quibus

percipit huiusmodi tepiditatem: longè amplius mœrebitur quam prioribus, dum sibi maiorem gustare videretur suauitatem. Si quidem hæc suauitas oriri solet ex sui amore, quanquam non malo: qui tamen relinquendus est, vt toti simus dediti Dei amori, qui sublimior est. Quum enim illa oriretur ex nostri amore, qui magnus erat, magna erat & suauitas: relicto autem illo amore, & assumpto solius Dei amore, qui initio modicus est, sentitur initio modica suauitas, aut deuotio: crescente autem hoc amore, crescet & suauitas seu deuotio. Quadrare ad hoc videtur paradigma seu id quod nonnunquam experimur: nempe quod dum ligna duo simul ardent, quorum alterum siccius est ac incensum; alterum vero non ita, magna tamen vnius inflammatio efficit, vt alterum viride, nec ita accensum plurimum ardere videatur: si autem illa seiungas, videbitur illud quod non ita accensum est, flamma & ardore carere. Quod si quis velit penitus non extingui, opus erit vt flatu seu ventilatione iuuetur aut priori iam incenso adiungatur, cuius coniunctione prius ardebat. Pari quoque modo cum amor, quem erga Deum habemus non sit admodum ardens, adiunctus tamen amori quo ad nosipsos flagramus, ardere videtur, quodque ex ipso magna operemur: separato vero nostri amore, apparet debilitas amoris quem ad Deum habemus. Vix enim quicquam lucere perpenditur, sed potius frigidi facti videmur: Itaque fortificari huno oportet multis validis actibus, eique succurrendum est earum rerum consideratione, quæ nobis iuxta nostri amorem dulces esse solent, nempe consideratione magni illius boni gloriæ, & consolationis, quæ nobis prouentura speramus. Kursum quod sic ingentia mala euademus, quæ naturaliter

horremus,

horremus, & odimus. Et huiusmodi nostri amoris flatibus credendum est, modicam illam flammam & accensionem amoris ad Deum, vires & incrementum paulatim accepturam iuxta maiorem conatum, quo ad illum accedimus, adiuti nostrip sorum amore, vt dictum est. Expedit tamen vt plurimum annitamur, quo in omnibus predictis magnos & validos actus habeamus, vt in nobis solitus Dei amorem tam vehementem producant, quam esse solet is, quem prius habebamus, veluti compositum ex nostri amore, qui magnus erat, vehemens ac dulcis, vna cum amore ad Deum, qui erat valde exiguus. Hoc autem nobis procurandum est, donec tantam sentiamus suauitatem, dum a nostris liberari procuramus angustijs, eo tantum fine quo melius Deo seruiamus, vt dictum est: quam sentire solemus dum idem peteremus hinc inducti, vt videlicet liberaremur a molestia, qua nos fatigabat. Qui ergo ita egerit, merito opinari poterit, se verum ac sincerum habere Dei amorem, quem semper postulare debemus. Grandis est hac alteratio, ac mutatio dexterae excelsi: Beatus qui illam in terra gustauerit, iam enim habitare incipiet inter pascua, qua contingunt in aterna gloria. Operæpretium est autem ad id quod predictum est, vt dum oramus, admodum in hoc attendamus; donec tali orandi modo omnino assueti & habituati simus; quo in singulis nostris postulationibus disquiramus, vtrum ad petendum & desiderandum id quod petimus, moueat nos Dei amor, an vero eius rei quam expetimus dilectio, siue affectio qua nos occupat. Neque vllo modo progrediamur ex vna postulatione, donec voluntatem inclinauerimus, vt illud acceptet ea ratione, quia Deus vult, vt illud petamus, & in hoc ipsi seruitur.

Quod si in hoc ſumus negligẽtes, nulla ſpes relinquitur noſtri incrementi in bono habitu orandi. Exempli gratia, hoc modo petimus: Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Petitur hac prima petitione, vt Dei nomen in nobis habeatur in æſtimatione & amore, abſque vlla terrena rei mixtura, quæ cum eo ametur. Adeo ſublimis eſt hæc petitio, vt qui illam ſibi obtineat, in terra beatus ſit. Si quis ergo id intelligit, & ſe amat, tantum bonum indubie ſibi volet, magnaque affectione expetet, & bona erit poſtulatio. Nos tamen hac re contenti eſſe non debemus, ſed vlterius procedentes inclinemus & inducamus voluntatem in aliud perfectius motiuum, nempe vt illud deſideret, eo quod dignißimus eſt Deus, qui ſolus in cordibus noſtris æſtimetur & ametur, abſque vlla commixtione amoris noſtri, aut vllius alterius rei terrenæ, & quia nos ad id creauit illa maieſtas. Neque vllo modo tranſeamus ad aliam petitionem, niſi obtento hoc motiuo. Meminerimus etiam quod dixerit Dei filius in ſacro Euangelio:

Luc. 18. *Oportet ſemper orare.*

EXPLICATIO OFFICII.

DVrandus dicit Dominum armare militem ſuum prima Dominica Quadrag. Secunda oſtendere ei præmium. Tertia, oſtendi viam qua perueniatur ad præmium, quam viam dicit eſſe cõfeſſionem laudis & peccatorũ. Per humilitatẽ enim confeſſionis, expectat homo à Deo omnia, ſcilicet liberationem & donũ gratiæ, & omnia alia bona. Vnde Introitus, Oculi mei ſemper ad Dominum. *Iſte mutus & ſurdus liberatus à dæmonio qui nobis proponitur,*

ponitur in Euangelio, audiens fortem qui ligauerat eius aures, ne audiret, & linguam ne loqueretur Deum, & alium illo fortiorem, à quo se agnoscit liberatum, audiens preterea superbam iactationem illius fortis dicentis: Reuertar in domum meam vnde exiui. Oculi inquit mei semper ad Dominum, qui est vtique ille fortior, qui nouit versutias illius fortis, & idcirco ipse euellet de laqueo pedes meos, vt non reuertar ad veteres sordes peccatorum meorum. Et ne crederetur iste mutus hoc sic affirmare vt solent superbi, subdit humilem precationem. Respice in me & miserere mei, causamque quoque reddit satis oratoriam, qua Deum auditorem flectere posset, & patronam efficere misericordiam. Quoniã vnicus & pauper sum ego, vnicus, omni fauore non illibenter destitutus, & exiguus meritis sum ego. Pauper, qui sine te non possum subsistere, idcirco, ego tot vulneribus saucius & debilis. Ad te Domine leuaui animã meã. Deus meus in te confido, non erubescam. Et consequẽter, hac humilia sua vota repetit in collecta, petẽs vt Dominus, ad suam defensionem dexterã suæ maiestatis extendat. Epistola Pauli optimè conuenit Euangelio, in quo agitur de damonio eiecto, & inde rursum quærente reditum in eandem domum, Paulus enim hic agit cum ijs, qui erant aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in Domino, quos monet vt caueãt relapsum in antiqua vitia, quod dicit tanta diligẽtia esse procurandũ, vt illa ne quidem nominetur inter ipsos, id est vitandã esse omnẽ occasionẽ. Vasa enim illa quæ forti illi victo atque ligato direpta sunt, alloquitur Paulus, fortioris miles & adiutor egregius, vt sacro baptismate à priscis emundata sordibus, non iam rursus inquinentur. Graduale, Exurge Domine, nõ præualeat homo: *Clamor est omnis*

vasis

vasis electi, aduersus eundem fortem armatum, custodientem atrium suum & in pace sua possidentem ante fortioris aduentum Tractus quoque. Ad te leuaui oculos meos. *Facunda vox est istius muti Euangelici, salutem suam æternam eloquentissima prece deposcentis, eandemque precem decenti similitudine perornantis. Euangelium continet variam doctrinam, è quarum varietate & multitudine ad leniendam quadragesimæ molestiam, libuit transcribere sermonem fratris Petri ad Boues Minoritæ, confessarij Reginæ Franciæ, qui in hoc Euangelium duos scripsit bonos tractatus, infinitis partibus meliores multis sermonibus postillarijs. stulti sunt & barbari, qui eiuscemodi sermones de barbarie accusant, non enim sermo quo vtimur sed mores & vita faciunt barbaros. Sic igitur iste pius & acutus concionator.*

Reuertar in domum meam vnde exiui, Luce xi. *In Euangelio hodierno, in duobus Euangelijs duarum præcedentium Dominicarum huius Quadragesimæ, docuit nos Dominus noster, modum liberandi nos a peccato. In Euangelio primæ Dominicæ docens nos artem pugnandi contra diabolum & peccatum. Et in Euangelio secundæ prouidens nobis de quibusdam adminiculis conferentibus ad viriliter pugnandum: & ad victoriam reportandum. Nũc in isto Euangelio incantat nos & aduisat de canendo recidiuo in peccatum. Et hoc in exemplo cuiusdam damoniaci, a quo damonem eiecit: qui damon eiectus, quærit modos redeundi ad hominem vnde exiuit. Per quod datur intelligi recidiuum in peccatum. Vnde ait Diabolus: Reuertar, &. Ie retourneray tost en ma maison Dont ie suis issu, à peu de choisen,*

O præ-

O præſumptuoſe iactator, quomodo præſumis animam hominis appellare domum tuam? (elle ta pou couſte) Domus iſta ad ædificandum Dominus noſter de ſuo proprio ædificauit iſtam domum, in ſua creatione; & poſtmodum eam tibi per peccatum impignoratam, propriis ſumptibus redemit, proprio ſanguine ſuo. Bene ergo debet eſſe ſua duplici iure, creationis & redemptionis: ſatis conſtitit ſibi: ſua & non tua. Sed notate chariſſimi quod Diabolus animam hominis domum ſuam vocat: non ſicut Dominus poſſeſſor: ſed ſicut hoſpes & inhabitator: a qua domo cum eiectus fuerit per pœnitentiam, & confeſſionẽ: confidit illuc reuerti, ad modicam occaſionem: Vnde dicit. Reuertar. &c. Ie retourneray, &c O ſuperbe iactator (nous te garderons bien) de reuertendo ſi Deo placeat & cum auxilio gratiæ eius.

Nous te fermerons luys a ton viſaige.
Nous y logerons Dieu & ſon meſnaige.
Nous la parerons de tout bon vſaige.
Nous ne te ſerons chere de couraige.

Non poſſimus melius diabolum impedire ne reuertatur in domum animæ noſtræ, quam faciendo ſibi iſta quatuor: & ideo ad repellendum eum a domo animæ noſtræ, (Nous luy fermerons luys a ſon viſaige) non libenter reuertitur hoſpes in domum a qua exiuit, poſtquam fuerit ſemel ſibi clauſum oſtium ad vultum: præſertim quando eſt homo ſuperbus, & indignantis naturæ: quia non poteſt turpius homo repelli a domo quam claudendo ſibi oſtium ad vultum. ¶ Spiritualiter poſtquam Diabolus per confeſſionem factam de peccatis noſtris exierit, de domo animæ noſtræ: ſi ſe ingerat ad reuertendum in eam per nouum peccatum: nos non poſſumus turpius eum expellere, quam claudendo ſibi oſtium ad vultum.

ium. Præſertim attento quod ipſe eſt ſuperbiſſimus, & indignantis naturæ. Et pro Deo quod eſt illud oſtium quod debemus claudere diabolo ad vultum. Oſtium domus animæ noſtræ eſt voluntas noſtra. Sic enim non intratur in domum nec exitur à domo iuſti per oſtium. Sic nulla diaboli tentatio: nec diabolus poteſt intrare domum animæ, niſi per conſenſum voluntatis. Nulla etiam mala conceptio, nulla mala cogitatio, nullum malum deſiderium vel propoſitum, poteſt de domo cordis exire foris ad opus niſi per conſenſum & imperium voluntatis: & bene ſine dubio voluntas noſtra comparatur oſtio domus. Oſtium eſt pars domus quæ frequentius monetur. Cetera partes domus ſunt fixæ & immobiles: tectum ſtat fixum & immobile: parietes ſtant fixi & immobiles: fundamentum ſtat fixum & immobile. Oſtiũ ſemper eſt in motu: nunc aperitur nunc clauditur: ſicut placet ianitori. Sic reuera voluntas eſt vis & potentia animæ quæ eſt mobilior & mutabilior ſemper eſt in motu. Voluntas hominis nunc aperitur per conſenſum, nunc clauditur per diſſenſum, nunc vult vnum, nunc vult aliud. Non eſt res in mundo mutabilior voluntate hominis. O ergo homo pœniteus poſtquam expuliſti diabolũ de domo animæ tuæ per confeſſionem quam feciſti de peccatis tuis: ſi iterum ſe ingerat ad reintrandum in eam per nouum peccatum, claude ſibi oſtium ad vultum, & facis ſibi maximã verecundiam: turpiter repellis enim. Scis tu quod volo dicere: ſi forſitan diabolus tentat te de gula, ſuggerens tibi quod tu interrumpas ieiunia tua: dicendo dies ſunt prolixi, tempora calida, cibi cari, corpus debile, per nimium ieiunium poteris caput dolere & ſomnum tuum perdere & ſic infirmari. Claude ſibi oſtium ideſt conſenſum voluntatis tuæ,

non

non conſentiens ſibi, diſſenſus tuus eſt clauſura tua: firma voluntatem tuam in hoc propoſito, quod tu perſeuerabis in ieiunijs tuis: & oſtium ſibi claudis: vel ſi forſan tentat te de auaricia, ſuggerens tibi, quod retrahas manum tuam a dandis eleemoſynis: redditus tui male obueniunt, debitores tui male ſoluunt tibi: omnia perdidiſti per guerras, non habes vnde poſſis facere quæ feciſti alias, tantum poteris dare quod tu poteris egere. Claude ſibi oſtium tuum non aperias ſibi conſenſum voluntatis tuæ. Diſſenſus tuus eſt clauſura tua: firma voluntatem tuam in hoc propoſito quod perſeuerabis in eleemoſynis tuis: & oſtium ſibi claudis ad vultum: & magnam verecundiam ſibi facis: turpiter eum repellens & ſic efficieris ille, de quo Dominus per Malachiã. (Quis eſt inquit in vobis qui claudat oſtia & intẽdat aliare meum.) Malach 1. Sed eſt hic conſiderandum quod ſicut in domo materiali, quidam claudunt oſtium de intus, ita debili peſſulo: forte cauilla lignea tenui & debili quod ille qui ſtat foris volens intrare neſcit ita modicum pulſare vel pellere oſtium cum pede vel manu, quin ſtatim aperiat ipſum. Sic reuera multi ſunt qui cum diabolus tentat eos de aliquo peccato, licet claudant ſibi oſtium voluntatis ſuæ non conſentientes, ſed diſſentientes ſuggeſtioni ſuæ: ille tamen diſſenſus eſt multum tenuis & debilis: habent voluntatem ita debilem & remiſſam & ita parum firmatam in propoſito non conſentiendi, quod diabolus cum modico pulſu frangit eorum voluntatem, & aperiunt oſtium conſenſus in opus de quo tentantur. Ipſe enim diabolus optimè nouit artem probandi virum oſtium voluntatis ſit firmiter clauſum, per firmum diſſenſum: pulſat: percutit: pellit (il bonte il hurte il frappe) ad oſtium voluntatis

noſtræ

noſtræ vt videat ſi poterit rumpere cauillam ſeu peſſulum debilis diſſenſus: & oſtium voluntatis aperire ad conſenſum. Importunus pulſator eſt ad oſtium voluntatis noſtræ. Vnde ipſe fingit & ſimulat virtuoſam importunitatem illius amici: de quo loquitur Dominus in parabola Lucæ. xi. [Quis veſtrum haberet amicum & ibit ad illum & dicet illi: amice commoda mihi tres panes &c. *Et ille de intus reſpondens dicat: noli mihi moleſtus eſſe: iam oſtium meum clauſum eſt: & pueri mei mecũ ſunt in cubili, &c*] *Amicum noſtrum ſe eſſe fingit diabolus: quia omnia quæ ſuggerit nobis, fingit ſe ſuggerere pro bono noſtro & vtilitate noſtra. Cum enim tentat nos de ſuperbia, ne nos humiliemus: fingit ſe hoc conſulere, ne per nimiam humilitatem in contemptum veniamus. Et cum tentat nos de gula vt frangàmus ieiunia noſtra: fingit ſe hoc conſulere pro bono noſtro, ne per nimia ieiunia incurramus dolorem capitis & debilitatem corporis. Similiter cum tentat nos de auaricia, ſuggerens nobis vt reſtringamus nos a tot eleemoſynis faciendis: fingit ſe hoc conſulere pro bono noſtro, ne ſcilicet per nimias eleemoſynas, in extremam paupertatem incidere valeamus. Et generaliter omnia mala quæ nobis conſulit, fingit ſe conſulere pro bono, tanquam amicus. Sed reuera iſta eſt amicitia, quam habet catus cum mure, de quo poſtquam ſatis luſerit: frangit ſibi caput: & comedit eum. Sic omnis amicitia quam fingit ſe diabolus habere ad nos eſt ad decipiendum. Hic ergo fictus amicus venit ad amicum ſuum, ideſt hominem, quem fingit ſe habere amicum. Et dicit ei.* (*Amice commoda mihi tres panes.*) *Iſti tres panes ſunt tria quæ ſunt in puncto, malà cogitatio, mala delectatio, & malus conſenſus. Vel ſunt illi tres quibus*

bus recreatur diabolus: ſcilicet punctum cordis, hic eſt primus panis: peccatum oris, hic eſt ſecundus panis: peccatum operis, hic eſt tertius panis. Ait ergo diabolus amice commoda mihi tres panes. Paſce me tribus peccatis, peccato cordis tui: id eſt malis deſideriis, malis voluntatibus. Paſce me peccatis oris tui: Malis verbis, malis fabulis, mendaciis & periurijs. Paſce me peccatis operis tui: falſis mercationibus, vſuris guloſitatibus, & ebrietatibus, fornicationibus & adulterijs. Iſti ſunt panes quibus paſcit & recreatur diabolus. Et eſt notabile quod iſtos panes diabolus petit ſibi non dari: ſed commodari: quod illos intendit optime reddere in pœna inferni. Quia peccatores qui paſcunt hic diabolum peccatis ſuis ipſe paſcet eos in inferno pœna mortis aternalis, ſecundum illud Pſal. Mors depaſcet eos. *Quid autem ſit reſpondendum iſti ficto amico, petenti ſibi iſtos tres panes commodari, ſubiungit in parabola.* Noli mihi moleſtus eſſe. Iam oſtium meum clauſum eſt. Et pueri mei mecum ſunt in cubili: *hoc eſt quod in corde tuo debes reſpondere diabolo tentanti te, vt pecces corde, ore, & opere. Noli mihi diabole infeſtus eſſe tuis tentationibus. Iam oſtium meum clauſum eſt. Voluntas mea firma eſt in propoſito de cætero non peccandi, nec corde, nec ore, nec opere. Et pueri mei, boni affectus, quos gratia Domini concepi. Noli me infeſtare tuis tentationibus. Sed improbus eſt, importunus eſt, diabolus perſeverat pulſant. pellit, & capit. Tentans frangere oſtium voluntatis & tamdiu pulſat, & pellit voluntatem quod rumpit peſſulum, & cardinem debilis diſſenſus: & ſic anima eius victa improbitate, ſurgit à pace conſcientiæ: & aperit ſibi oſtium conſenſus, ſuæ voluntatis. Et commodat ſibi tres panes conſen-*

tiens

tiens peccare corde, per malam cogitationem, ore per malam locutionem: & facto per malam operationem. Malè clausum erat illud ostium quod tam faciliter apertũ est. Malè firmata erat illa voluntas. Nimis debilis erat canilla illius dissensus quæ tã modico pulsu rupta est. Non est sufficiens clausura contra diabolum quæ tam cito aperitur. Oportet nos sibi claudere ostium voluntatis nostræ fortissimo pessulo, & vecte de ferro in firmissimo & indurato proposito, non consentiendi peccato; & ad meliorem custodiã istius clausura, oportet ibi ponere vnum fidelem portarium: qui cognoscat amicos & inimicos, & solis amicis aperiat ostium: inimicis autem claudat. Iste portarius est timor Dei. Timor offendendi Deum: timor iudicij Dei: timor pœnarum inferni. Iste portarius si custodiat ostium animæ tuæ, non permittet intrare in eam nisi amicos tuos: Deum & bonas cogitationes, & bonas affectiones. Inimicos autem diabolum, & omne peccatum repellet: sicut scriptum est Eccl. 1. Timor Domini expellit peccatum, sine isto portario domus animæ non est secura, teste Ecclesiastico dicente xxvii. Si in timore Domini non tenueris te instanter: cito subuertetur domus tua. Si isti portario commiseris custodiendum ostiũ animæ tuæ. Diabolus poterit ibi tantũ pulsare quantum ad ostium vnius surdi. De ista clausura habemus figuram. Ezechiel. xliiii. Vbi Propheta vidit portam in domo Domini clausam, & dixit Dominus ad eum. Porta hæc clausa erit: & non aperietur & vir non transiet per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam. Clausa domus Domini, est anima nostra duplici iure: scilicet iure creationis, & iure redemptionis. Et potest addi tertium ius: scilicet sustentationis: quod ipse sustinet, &

manu

manu tenet eam : & cum indiget reparatione ipſe ſolus, & nullus alius reparat eam: quia niſi Dominus ædificauerit domum , in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Porta in domo Domini eſt ſicut dixi voluntas in anima noſtra, quæ dicitur eſſe clauſa principi tenebrarum, clauſura ſuperius deſcripta, nec dicitur aperiri niſi Domino Deo Iſrael: id eſt gratiæ Domini, & inſpirationibus eius . Eſt tamen hic aduertendum quod ſicut in domo materiali non obſtante quod oſtium ſit bene clauſum tamen ad huc non eſt bene ſecura niſi feneſtræ ſint clauſæ : quia ſunt ſubtiles latrones qui dum vident quia non poſſunt intrare per oſtium : ſtudent intrare per feneſtras: Et ideo cum clauſura oſtij neceſſaria eſt clauſura feneſtrarum . Sic quamuis oſtium animæ noſtræ ſit bene clauſum: licet voluntas noſtra ſit bene firmata in propoſito non conſentiendi peccato, tamen domus noſtra non eſt bene ſecura niſi feneſtræ ſint clauſæ. Bona feneſtræ ſunt quinque ſenſus corporales, viſus auditus, guſtus, odoratus, & tactus. Quod diabolus latro ſubtilis videns, cum non poteſt intrare in animam noſtram per oſtium, per conſenſum voluntatis qui firmatus eſt in bono propoſito ſtudet intrare per feneſtras per aperturas ſenſuum. Et cum inuenit ſenſum viſus apertum ad aſpectus curioſos, ad aſpectus diſſolutos, & intentiuos ad libidinem. (Il ſe boute par la) intrat per illam aperturam , & depredatur animam. Si autem inuenit oculos clauſos ad omnem malum aſpectum; vadit ad aliam feneſtram, ad ſenſum auditus. Et ſi inuenit aures apertas ad fabulas, ad vanitates, ad mendacia, ad vanas laudes, ad adulationes, intrat per illam aperturam. Si autem inuenit iſtam feneſtram vadit. ad ſenſum guſtus, ad friandias, & ebrietates; intrat per illam

aperturam. Quid si istam inuenerit clausam: vadit ad alias, ad sensum olfactus, & ad sensum tactus: nec cessat scrutari fenestras sensuum, donec inueniat aliquam aperturam, per quam possit intrare in domũ animæ nostræ. Vnde quasi de nocturnis latronibus, dicitur de dæmonibus, Ioelis. 2. domos cõscendent, per fenestras intrabunt quasi fur. Et Hierem. ad idem dicit Hieremiæ. ix Ascendit mors per fenestras vestras: ingressa est domos nostras. Et ideo ad perfectam clausuram domus animæ nostræ cum clausura ostij, id est confirmata voluntate in proposito non consentiendi peccato: necessaria est clausura fenestrarũ, idest quinque sensuum diligens custodia. In cuius figuram legitur Ezechiel. xli. Quod in domo Domini fenestræ erant clausæ super ostia vsque ad interiorem domum. Quo datum est intelligi, quod in omni domo animæ quæ est domus Domini interior, bene custodita contra diabolum cum clausura ostij, id est cum firmata voluntate in bono, seruatur & clausura fenestrarum per coertionem sensuum à cunctis malis vsibus. Et tunc est domus bene firmata. Sed est hic considerandum, quod sicut in domo materiali, non obstante, quod ostium sit bene clausum, & fenestræ bene firmatæ: nihilominus timendum est adhuc de vno periculo, videlicet ne forte in aliquo angulo domus, sit aliquis latrunculus absconditus, de quo non aduertitur: qui dormitantibus habitatoribus domus surgat, & aperiat ostium latronibus exterioribus: & sic intrent & prædentur domum, Et ideo faciendo clausuram domus, oportet scrutari omnes angulos domus. Et si inueniatur aliquis talis latrunculus absconditus, expellatur sine mora: & sic domus manebit secura. Sic reuera in domo animæ nostræ, licet ostium sit bene clausum, vo-

luntas

luntàs bene firmata in bono propòsito, & feneſtræ bene firmatæ, id eſt ſenſus bene cuſtoditi ab omni malo vſu, nihilominus adhuc timendum eſt, de iſto periculo, ne forte in aliquo angulo conſcientiæ, ſit aliquis latrunculus abſconditus, de quo non aduertitur. Latrunculũ voco vnam reminiſcentiam, (vne ſouuenance) quæ ſæpe venit homini de complacentijs, & delectationibus, quas accepit in peccatis ſuis præteritis. Ex qua reminiſcentia interdum oritur deſiderium (& regret) capiendi ſimiles complacentias, & delectationes. Et tunc illud deſiderium (& regret) velut quidam latrunculus anima dormitante, id eſt non cauente nec aduertente: aperit oſtium voluntatis diabolo: quia tale deſiderium (& regret) faciliter inclinat voluntatem ad conſentiendum recidiuo in peccatum. Poſtquam enim homo capit complacentiam in cogitando de complacentijs quas habuit in peccatis ſuis: facilis eſt cum modica occaſione ad recidiuandum ad ſimilia peccata. Et ideo quando facis clauſuram domus animæ tuæ in tua confeſſione: quando confiteris peccata, ibi claudis oſtium voluntatis tuæ: firmans eam in propoſito de cetero nõ peccandi: ibi etiam firmas feneſtras ſenſuum tuorũ proponens eos de cætero bene cuſtodire, & gubernare. Amore Dei ſcrutare diligenter, omnes angulos conſcientiæ tuæ: ſicut illa de qua dicitur. Conſiderauit ſemitas domus ſuæ &c. Prouerbiorum vltimo: & ſi ibi inueneris latitantem aliquem talem latrunculum, aliquod tale deſiderium (ou regret) ſine mora eijce ipſum per confeſſionem, confitere de tali deſiderio: & domus animæ tuæ remanebit tunc ſecura. Hic eſt ergo primus modus repellendi diabolum à domo animæ noſtræ, in quam ſe iactat reuerſurum.) Nous luy fermerons luis à ſon viſaige.) Secundus mo-

Secundus modus repellendi dæmonẽ.

dus eum repellendi est iste: (*Nous y logerons Dieu & son meinaige.*) *Iste est optimus modus repellendi aliquem volentem (bon gre ou mal gre) hospitari in aliqua domo, ostendere sibi quod tota domus est plena hospitibus, & quod omnes cameræ sunt occupatæ, nec vacat sibi locus, imo nec minimus angulus diabolo. Ex quo enim aliquis magnus Dominus est, Dominus noster dẽ quo dicitur in Psal. magnus Dominus noster & magna virtus eius. Magnam familiã habet iste Dominus, omnes bonæ cogitationes, omnes bonæ voluntates, omnia bona opera, & generaliter omnia diligibilia ex charitate, sunt de familia Domini: hæc est magna familia. Et ideo totam domum cordis nostri retinet in manu sua: omnes vires, omnes affectiones, omnes cordis nostri cameras, retinet pro se & sua familia. Diliges inquit Dominum Deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Matth. 22. Propter quod nullus debet recipi in domo cordis nostri ad hospitium per affectionem, & amorem nisi sit de familia Domini. Nihil debet diligi nisi in ordine ad ipsum. Et propter ipsum sine ipso autem nihil est diligendum dicente Augustino. Minus te Domine amat qui propter te aliud amat quod propter te non amat: omnes cameras, omnia loca, omnes angulos domus animæ occupat hospes iste magnus, & implet sua familia, cameras memoriæ implet bonis reminiscentijs (de bonnes souuenances) primo peccatorum commissorum, vt nobis displiceant: & ea defleamus. Secundo pœnarum infernalium vt eas timeamus: & eas vitare studeamus. Tertio diuinorum beneficiorum vt pro ipsis Deo gratias reddamus. Quarto miseriarum proximorum: vt eis compatiamur. Quinto gaudiorum cœlestium, vt ea*

deside-

deſideremus: & ea merere laboremus: omnibus iſtis reminiſcentijs & ſimilibus quæ ſine dubio ſunt de familia ſua, implet Dominus cameram noſtræ memoriæ. Deinde, implet cameram intelligentiæ noſtræ bonis cogitationibus, bonis aduiſamentis, vtilibus ſtudijs, & bonis documẽtis, implet etiam cameram volitiuam bonis affectionibus, caſtis amoribus, bonis volutionibus & ſanctis deſiderijs, teſte Pſal. dicente. (Qui replet in bonis deſiderium tuum) Breuiter omnia loca, omnes officinas, omnes angulos animæ noſtræ implet iſte bonus hoſpes noſter: & occupat familia ſua, ſic vt nec minimum angulum, in anima noſtra vacuum relinquat Diabolo. Non poteſt Diabolus vbi eſt Dominus, ipſi ſunt duo groſſi qui non poſſunt in eodem poto: non habitant ſimul Dominus & Diabolus: gratia gratum faciens & peccatum mortale non ſtant ſimul in anima eadem. Semper tamen in domo animæ noſtræ hoſpitatur alter iſtorũ duorum hoſpitum. Domus animæ noſtræ nunquam eſt vacua hoſpite: ſemper vbi manet vel Deus, vel Diabolus, gratia, vel peccatum, non eſt ſtatus medius inter ſtatum gratiæ, & ſtatum peccati. Semper ſumus vel in ſtatu gratiæ, vel in ſtatu peccati. Introductio vnius iſtorum hoſpitum in domum animæ noſtræ eſt expulſio alterius. Propter quod iſtum ſuperbum iactatorem diabolum, qui dicit: reuertar in domum meam vnde exiui: non poſſimus melius repellere à domo animæ noſtræ, de qua ſic iactat ſe, quam oſtendendo nos habere Dominum ibi hoſpitatum cum ſua familia. Ipſumque & ſuas vires, cameras, & officinas animæ noſtræ replere & occupare. Ipſe enim videns domum animæ ſic plenam de gratia & virtutibus, vt nec minimus angulus ſit relictus ſibi vacuus, timet & ter-

ritus fugit ab ea. In cuius figuram legimus. Gen. 2. Quod Iacob vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen eius tangens cœlum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes, & Dominum innixum ſcalæ. Et ait, verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauenſque, terribilis eſt inquit locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. Spiritualiter, Iacob quamuis fuit ſanctus homo & amicus Dei: tamen quantum ad interpretationem nominis ſui, poteſt ſignificare diabolum: Iacob enim interpretatur luctator. Luctans enim fuit ſemel contra vnum angelum: & ex illa lucta factus eſt ſic claudus quod deinceps non potuit recte incedere: ſed continue claudicauit. Sic & diabolus ſemel luctatus eſt contra Michaelem Archangelum: & ex illa lucta factus eſt ſic claudus in affectione: quod ex tunc non poteſt recte incedere ad veritatem, quin ſemper claudicet in affectione. In cunctis enim quæ conſulit vel quæ agit erga hominem, ſemper claudicat in intentione: & licet videatur interdum bona & vera dicere: hoc tamen eſt ſemper torta intentione & ad malum finem. Hic ergo Iacob luctator videt ſcalam ſtantem ſuper terram & cacumen eius tangens cœlum: per iſtam ſcalam intelligo aſcenſum deuotionis, per gradus virtutum, quem aſcenſum in ſe ædificat anima quam Dominus per gratiam tanquam hoſpes inhabitat, de quo aſcenſu dicitur in Pſal. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon. Pes huius ſcalæ tangens terram, eſt virtus humilitatis, quæ eſt fundamentum omnium virtutum ſicut dicit Grego. ſuper Ezechielis parte vltima. Niſi quis prius humilitatem habuerit

huerit: gradus bonorum ſpiritualium non aſcendit. Cacumen huius ſcalæ, tangens cœlum, eſt virtus charitatis; quæ eſt virtus cœleſtis, & faſtigium virtutum. Tot ſunt gradus huius ſcalæ: quot ſunt virtutes intermediæ inter pedem humilitatis & cacumen charitatis, per iſtam ſcalam vidit Iacob angelos aſcendentes & deſcendentes, quia nulli dubium eſt, poſtquam anima poſuit pedes affectionum in gradibus ſcalæ virtutum, deſcendunt angeli a Deo miſſi ad eam illuminandum purgandum, & perficiendum, Et ab ea rurſus aſcendunt ad Deum, ad eius pias affectiones & deuotas orationes Deo præſentandum, & offerendum. Vnde Thobiæ xii. dicit angelus Raphael ad Thobiam: quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos: ego obtuli orationem tuam Domino. Quod autem vidit Iacob Dominum innixum iſti ſcalæ, hoc ſignificat, quod poſtquã anima cœpit in corde ſuo ædificare ſcalam graduum virtutum, Dominus efficitur eius hoſpes familiaris, Et ex familiaritate innititur ſibi, ſicut hoſpes domui ſuæ. Quod autem Iacob luctator, viſa illa ſcala, & frequentia angelorum in ea, & Domino innixo ſcalæ, cognito quod dominus erat in loco illo, quod antea neſciebat: pauens dixit: quoniam terribilis eſt locus iſte &c. Hoc ſignificat quod luctator claudus diabolus, viſo profectu virtutum in anima, & frequentia angelorum in ea: & familiaritate Domini ad eam, cognito quod Dominus eſt in ea quaſi hoſpes per gratiam inhabitans, quod antea neſciebat: quia dæmones neſciunt certitudinaliter, ſtatum interiorem animæ noſtræ: niſi quantum per coniecturas, & exteriores effectus noſtros poſſunt perpendere. His inquam omnibus viſis & conſideratis in anima virtuoſa, totus pauidus efficitur & à terrore talis ani-

me reſiliens, confiteri compellitur, talem animam non eſſe aliud niſi domum Dei & portam cœleſtis vitæ: & ideo hic eſt optimus modus repellendi eum à dõmo animæ noſtræ in quam ſe iactat reuerſurum.

Nous y logerons Dieu & ſon meſnaige.

Tertius modus.

Tertius modus eum repellendi talis eſt

Nous la parerons de tout bon vſaige.

Porcus videns domum bene ſcopatam & mundatam, & paramentis ornatam, non libenter ingerit ſe (a ſe voutrer) ibi, quia non eſt natura porci voluptare ſe (ſe voutrer) in locis honeſtis; aut mundis: ſed vel in vilibus ſtabulis (& en ordes ſous) vel in lutis platearum & vicorum. Vnde non poteſt melius porcus repelli à domo quam per mundiciam domus: quia odit mundiciam & diligit immundiciam. Spiritualiter. Vilis & immundus porcus eſt diabolus. Vnde in Euangelio hodierno, & in pluribus alijs locis Euangelij, vocatur ſpiritus immundus: tum quia totus mundus, eſt in ſe plenus facibus peccati: tũ quia non inducit homines niſi ad viles immunditias. Non libenter habitat vilis iſte porcus niſi in locis immundis (& en plaches plaines de bourbe) id eſt niſi in cordibus immundis, guloſorum, ebrioſorum & carnalium lubricorum. Lutum enim cauſatur ex humore aquæ & puluere terræ ſimul commixtis: & vilis immunditia peccati carnis, cauſatur ex abundãtia humoris, reſultantis ex ſuperfluo alimento, in puluereſo corpore terreſtri tam viri quam mulieris: & in tali luto delectatur Diabolus ſe volutare (& voutrer) Vnde ad litteram dicitur de eo Job xl. dormit ſub vmbra in ſecreto calami: in locis humentibus. Ecce quatuor loca in quibus libenter habitat diabolus, in umbra, in ſecreto, in calamo, in

locis

locis humentibus. Per vmbram intelligo vmbratica corda peccatorum vitæ obscuræ, in quibus nulla lucet claritas cognitionis, nec Dei, nec sui, nec paradisi, nec inferni, nullus feruet ardor nec amoris Dei, nec amoris proximi: in tali vmbra libenter habitat diabolus, quia ibi non perpenduntur nec deprehenduntur insidiæ suæ, nec malicia seductoria. Secũdo libẽter habitat in secreto, per quod intelligo corda quorundã singularium solitariorum, ex nimia singularitate se sequestrantium ab omni bona societate & communitate, licet enim vita solitaria sit multum perfecta, quando homo est prudens & firmus & constans: periculosa tamen est hominibus melancholicis & de se præsumẽtibus Tales enim communiter ex nimia singularitate cadunt in extraneas opiniones & fatuas imaginationes. Vnde legitur in vitis Patrum de quodam solitario, qui per plannos, adeo vixerat in singulari solitudine; quod nunquam se aggregauerat collationibus fratrum. Vnde cum die Paschæ cæteri eremitæ ex diuersis cellis congregarentur ad ecclesiam, vt post mutuam collationem, de verbis vitæ æternæ communi charitate reficerentur simul, iste intantum erat singularis, quod nunquam potuit ad hoc duci, vt cæteris aggregaretur: quem Diabolus propter suam singularitatem ita decepit; vt fecerit eum se iactare in puteum, cuius profunditatem non attingebat visus humanus: & sic per niniam singularitatem deceptus, factus est homicida sui ipsius: & perdidit omnia bona, quæ tanto tempore fecerat. In talibus namque singularibus libenter habitat diabolus: quia dum tales sequestrant se à collationibus bonorum: immo & à publicis prædicationibus quæ fiunt in ecclesia, ipse diabolus quietius ibi moratur: quia nõ audit murmur & tumultũ

bonorum

bonorum verborum, quæ in collationibus dicuntur & ſermonibus qui ſunt ſibi tonitrua terribilia. Tertio libenter habitat diabolus in calamo. Calamus aliquando vocatur ſtipes ſpicæ ſegetis: aliquando ramus arboris, quæ vocatur canna, vnde mulieres faciunt colos ad nendum: aliquando vocatur calamus penna qua ſcribitur, & ſunt omnes iſtæ res apparentes foris plenæ: ſed intus ſunt vacuæ, concauæ (& creuſes) & ideo per calamum intelliguntur ficti hypocritæ: qui per ſigna forinſeca in habitu, in inceſſu, in geſtu, in oculis lachrymoſis, in manuum iunctione & ſimilibus prætendunt plenitudinem virtutis: Sed habent cor interius, ad modum calami concauum (& creus) vacuum omni deuotione, quod maximè perpenditur ad ſonum. Nam ſicut vas vacuum, quando percutitur vel pulſatur clarum ſonum emittit, vbi vero plenum eſt, non ſonat. Sic tales hypocritæ neſciunt tam modico verbo vel facto, pulſari vel percuti, quin ſtatim emittant vnum clarum ſonum murmuris, indignationis, maledictionis, & litis: ita vt iam vulgo dicant de homine qui habet impatientiam, quod eſt homo deuotionis, & omnis impatientia vocatur patientia eremitæ: in talibus calamis vacuis libenter habitat. In locis humentibus, per quæ intelligo homines carnales, vacantes cibis & potibus, qui continuè humectant guttura ſua vinis & potibus: & cadauera corporum ſuorum balneis & alijs delicijs carnis, & edijs corporis: in talibus locis humidis libenter habitat: quoniam ex abundanti humore deliciarum carnis, & pulueroſo cadauere corporis terreſtris, cauſatur lutum immunditiæ peccatis in quo delectatur ſe volutare porcus vilis: nimis odit corda arida carentia humore deliciarum carnis & ediarum corporis. Vnde in Euangelio hodierno dicit,

no dicitur. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine ambulat per loca inaquoſa, quærens requiem & non inueniens &c. Loca inaquoſa ſunt corda iuſtorum, qui viuentes in ariditate pœnitentiæ & in paupertate vitæ, non quærunt carnis delicias: ſed tenui & ſimplici victu contenti, quærunt apparere ante conſpectum Domini; ſicut ille qui dicebat. In terra deſerta inuia & inaquoſa : ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem &c. *Videns ergo diabolus ſe electum de manſione ſua : ambulat per corda iuſtorum tentans eos, & inducens quantum poteſt ad peccandum: quærens in eis requiem, ideſt pacificam manſionem & in eis requiem non inuenit, nimis arida ſunt & deſiccata ab omni luto carnalis immunditiæ. Non inuenit ibi locum vbi ſe poſſit volutare. Vilis iſte porcus ſummè odit in homine cordis munditiam, nec poteſt melius repelli a domo animæ quam per cordis mundiciam: teſtatur hoc Dominus dicẽs in Euangelio hodierno, quod diabolus poſtquam iactauit ſe dicens: reuertar in domum meam vnde exiui : cum venerit inuenit eam ſcopis mundatam &* Mat. xii. *dicitur ſcopis mundatam & ornatam, & tunc non audet intrare: ſed vadit quæſitum alios ſpiritus. Si ergo vilem iſtum porcum velimus repellere a domo animæ noſtræ, ſcopa mundetur per confeſſionem. Qui enim vult cum ſcopa bene mundare domum, congregat paulatim omnes pulueres, & immunditias ex omni parte , & ex omnibus angulis domus, & de ipſis facit vnum acerum, iuxta oſtiũ domus: & tunc cum pala omnes immundicias eijcit per oſtium . Ita debet facere peccator , cum vult cum ſcopa confeſſionis mundare domum animæ ſuæ: debet primo antequam veniat ad confeſſionem, ſcrutari omnes angulos conſciencie ſuæ: & om-*

nes

nes circunſtantias vitæ ſuæ diſcutere, & ex omnibus tam magnis quam paruis, tam ex immunditijs cordis, quam ex immundiciis oris, quam etiam ex immundiciis operis facere vnum aceruum: & tunc coram ſacerdote, cum pala linguæ totum eiicere per oſtium oris. Ita docuit nos Dauid, ſcopizare domum animæ noſtræ dicens: Meditatus ſum nocte cum corde meo & exercitabar & ſcopebam ſpiritũ meum. *Sic autem ſcopizata & mũdata domus animæ per confeſſionem ſtatim ornatur paramentis (& de tapis de haulte lice) per gratiam Dei quæ acquiritur in confeſſione. Per quam reformantur virtutes, quæ fuerant factæ informes per abſentiam charitatis: quæ eſt forma virtutum: & tũc fit anima ſicut mulieris bonæ ſpecies in ornamentũ domus. Eccl. 26. Talem domum ſic mundatam ſcopis, & ornatã paramentis fugit diabolus ſicut venenum. Videt bene vilis porcus, quia non eſt pro ſe quod ſic mundata eſt & ornata, & ideo ad repellendum eum à domo animæ noſtræ in quam iactat ſe reuerſurum:*

Nous la parerons de tout bon vſaige.

Quartus modus. *Quartus modus eum repellendi;*

Nous ne luy ferous chere de couraige.

Hoſpes libenter reuertitur in domum in qua fuit alias bene receptus: & amicabiliter tractatus, in qua fuit factus ſibi bonus, & hilaris vultus. Et fuit ſibi ſeruitum ad bene placitum ſuum: & quicquid petiit, fuit ſibi promptiſſime miniſtratum: in talem domum libenter reuertitur hoſpes, in domum in qua fuit male receptus, & dure, & malè gratioſe tractatus, in qua non habuit bonum vultum (mais ne luy à on fait que rechigner) male fuit ſibi ſeruitum, & ſi petijt vnum fuit aliud ſibi miniſtratum, in talem domum non libenter reuertitur hoſpes. Spi-

ritua-

ritualiter, quidam sunt, qui multum gaudenter Diabolum recipiunt, ad hospitandum in domum animæ suæ: vt sunt illi qui prompto animo, ad modicam tentationem currunt ad peccandum: imo sicut quidam hospitalarij qui non expectant: quod hospites petant hospitari in domibus suis: sed eos præueniunt & occurrunt eis. Et propter cupiditatem lucri vocant eos, & inuitant ad domos suas: sic enim multi sunt peccatores qui non expectant tentationes Diaboli, sed præueniunt eas, & occurrunt eis, & propter spem lucri, id est alicuius complacentiæ capiendæ in peccato, vocant & inuitant Diabolum ad domum animæ suæ; sponte ingerunt se in societates: in loca & plateas: & cæteras circunstantias, quæ sunt occasiones peccandi. Vadunt ad spectacula, ad choreas, vt videant & videantur, vbi & si non corpore, tamen frequenter corrumpuntur corde. Sicut Dina filia Iacob quæ ducta curiositate, egressa est de domo patris, vt videret mulieres regionis, & ibi fuit violata a Sichem filio Emor. Nota historiam Gene. 34. Tales habent magnam voluntatem (& grant faim) habendi Diabolum hospitatum in domo animæ suæ: quoniã non expectant eum, quod se præsentet diabolus gulæ, sed gratis vocant & inuitant eum, non esuriunt neque sitiunt, & tamen compellunt seipsos comedere & bibere: Si non sapiat eis cibus, vt inueniãt in eo appetitum, per species & salsas, & per curiosum apparatum cibi, prouocant appetitum: si non possunt bibere per salsedines & calores specierum, prouocant sibi sitim ad destruendũ (ce larron de vin.) Quot & quãtæ sunt, quibus nõ se præsentat diabolus luxuriæ, quæ gratis vocant & inuitant eum, fardant vultus suos, ornant capita, tendunt cornua, aperiunt sinum, ostendunt vbera, curiales sunt tales hospitalaria, quæ

diabolum

diabolum non se ingerentem sic curialiter vocant & inuitant: & cum eum receperunt in domum animæ suæ gaudenter festiuant eum, faciunt sibi hilarem vultum: caueñt ne aliquis remorsus conscientiæ (luy rechigne) & ne aliqua tristitia displicentiæ peccati, faciat sibi malum vultum: Seruiunt sibi ad placitum, implentes omnes eius voluntates, & ministrantes sibi in domum animæ suæ, quicquid petit. Si petit cibum gulositatis & fractionis ieiunij, si petit potum ebrietatis, & frequentationis tabernæ: si petit carnes peccati carnis: si petit pisces frigidæ deuotionis, & remissæ pigritiæ: omnia quæ desiderat confestim ministrant ei. Et sicut sunt aliqui curiales hospites, qui quando non habent in domo illud quod petunt hospites sui, mutuant vel emunt à vicinis suis: sic sunt multi ita curiales diabolo: quod non sufficit eis seruire sibi de bonis animæ suæ, sed seruiunt sibi de bonis animarum proximorum. Hi sunt quibus non sufficit peccare per se, sed trahunt alios ad peccandum secum: sicut viles luxuriosi trahunt se mutuo ad peccatum carnis: & ebriosi tabernarij, trahunt se ad ebrietates, non irent soli ad tabernam, oportet quod trahant secum comituam: magnam pœnam capiunt de bene seruiendo diabolo isti mali hospitalarij. Sed adhuc dico plus, cubant cum (blanc & mol) dum pigritant in ocijs, & edijs, & mollibus delicijs: & ne quid possit eum inquietare: claudunt omnes aperturas domus animæ, ne lumen cognitionis subintrare possit, quod diabolum ibi non sinat quiescere: & ne tumultus clamoris, vel synderesis remurmurationis, vel prædicatoris clamantis, turbet aures diaboli. Huiusmodi enim sunt nō pauci, quibus tãtũ placet remanere in aliquo peccato, in quo consuetudinarie delectantur, quod nollent aduisari, de deserendo

fendo illud peccatum: immo sibiipsis claudunt omnes vias, quibus possent aduisari: fugiẽdo scilicet sermones & colloquia bonorum, & si remorsus conscietia interdum mordeat corda eorum: conuertunt intellectum suum ad cogitandum de complacẽtia sua: vt obliuiscãtur illius remorsus: similes illi Abner. de quo legimus 1. Regum. xxvi. Quod Saul quiescente, & Abner eum custodiente, venit Dauid ex aduerso, & clamauit dicens: Nonne respondebis Abner? Et respondit Abner, dicens: quis es tu qui clamas & inquietas Regem. Saul, qui interpretatur abutens, significat diabolum, qui abusus est omni dono Dei. Isto quiescente in anima peccatrice per peccatum, & pacificam in ea mansionem tenente, clamat ex aduerso Danid, id est, predicator: clamans contra vicia: vel etiam sinderesis aduersus carnis concupiscentiam remurmurat: sed respondet Abner, id est, ipsa carnis concupiscentia. Quis es tu qui clamas & inquietas regem? tantũ est affixa carnis concupiscẽtia in delectatione illius peccati, quod displicet sibi, quod vel sinderesis cõscietiam remordeat, vel quod aliquid predicetur sibi cõtra istud peccatum. O prava concupiscentia: multum fidelis hospes, es isti hospiti tuo, diabolo (il ten paiera mouet bien) de salario domus tuæ, & de tuo pulchro seruitio multum bene soluet tibi, quando recipiet te ad hospitium in domo sua infernali. Infernus enim domus sua est: & in tenebris strauit lectulum suum. In talem ergo domum, in qua fuit tam bene receptus diabolus, libenter reuertitur ad hospitandum, cum inde fuerit iectus: quia non est tam malus peccator, quin aliquando confiteatur ad minus semel in anno: & tũc expellit diabolum de domo animæ suæ. Sed quid? Certe sicut dixi memor Diabolus boni vultus, quem habuit

habuit

habuit ibi: & quomodo seruitum est sibi ad placitũ suum, & quicquid ibi petere voluit, sibi fuit ministratum: libenter illuc reuertitur; & vt dicitur in euangelio hodierno: fiunt nouissima hominis illius, peiora prioribus. In cuius figuram legimus quarti regum 20. & Esaiæ 39. quod Rex Babilonis, misit nũcios ad regem Ezechiam, quem Deus de nouo curauerat de vna graui infirmitate: & lætatus est Ezechias in aduentum ipsorum: & fecit eis optimũ vultum: ostendit eis domũ aromatũ, & aurũ & argentũ &c. Non fuit verbum quod non ostenderet eis in domo sua, & in omni potestate sua: vnde offensus Dominus de tanta familiaritate, quam ostenderat nuncijs Regis Babilonis, misit ad eum Esaiam Prophetam, qui dixit ei. Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies veniunt & auferentur omnia quæ in domo tua sunt &c. *Spiritualiter. Ezechias qui interpretatur auxilium Domini, & quem Deus nouiter curauerat à graui infirmitate: significat peccatorem pœnitentem, quem auxilio gratiæ suæ Dominus curauit ab infirmitate peccati per cõfessionem quam fecit de peccatis suis: per quam fuit Diabolus expulsus de domo animæ suæ: sed proch dolor, sequitur recidiuum, cum dicitur, quod misit ad eum Rex Babilonis, id est totius cõfusionis. Sic enim interpretatur Babylon, confusio, & est diabolus, qui in omni homine, quem per peccatum inhabitat, confundit & subuertit omnem ordinem. Illud quod debet esse sursum ponens deorsum & econuerso; quia Deum qui debet diligi super omnia, facit diligi sub creatura, & animam quæ debet damnari carni, subijcit sibi: & amorem bonorum cœlestium postponit amori bonorum terrenorum. Iste Rex Babylonis, id est cõfusionis mittit nuncios suos id est tentationes*

riones ſuas: ad Ezechiam curatum, ab infirmitate, id eſt ad peccatorem confeſſum. Tunc autẽ Ezechias nuncios lætanter recipit, cum homo tentationes Diaboli complacenter ad interiora cordis admittit. Bonum & hilarem vultum eis facit: cum delectatur in cogitando de illo, de quo tentatur: tunc autem oſtendit eis omnia ſecreta domus ſuæ: cum in peccatum conſentit: tunc autem Babylonij, id eſt, Dæmones confuſi & confuſibiles domum eius deprædantur, & filios eius in ſeruos abducunt: cum voluntatis conſenſu producto ad complemẽtum operis, domus animæ gratia & virtutibus ſpoliatur, & boni affectus quos homo in proximo genuerat, ſerui diaboli efficiuntur: & fiunt vt dixi nouiſſima hominis illius, peiora prioribus. Ecce quam periculoſum eſt diabolum ſic feſtiuare in domo animæ ſuæ: & tantam familiaritatem ſibi oſtendere. Certe non eſt aliud quam ipſum allicere ad iterum illuc reuertendum, cum inde per confeſſionem fuerit electus: propter quod dicitur Eccl. 11. Non omnem hominem inducas in domum tuam: Multæ enim inſidiæ ſunt Diaboli. *Si ergo velimus iſtum proditorem hoſpitem a nobis alienare: & a domo animæ noſtræ repellere, ne reuertatur ad eam: faciamus ei ſic. Si contingat eum inhoſpitari per peccatum: quia non eſt ita iuſtus, quin aliquando peccet, non alliciamus eum per hilarem vultum: faciamus ei triſtem vultũ (rechignons luy bien fort) diſpliceat nobis cecidiſſe in peccatum: doleamus & triſtemur, quia nos ſumus in peccato: ploremus & ſuſpiremus deteſtantes peccatum noſtrum: & ſine dubio non poterit ſuſtinere iſtum triſtem vultum noſtrum. Vnde vulgo dicitur quod tria ſunt qui hominem eijciunt à domo ſua: mulier litigioſa (femme rioteuſe) ſtillicidium & fumus.*

Prouerb. 27. Tecta iugiter per stillantia & mulier litigiosa comparantur. *Mulier litigiosa est conscientia remordens, remorsus conscientiæ continue cor pungens (& chagrinant) & contra peccatum semper litigans & murmurans cum tali conscientia, sic tædiosa (rioteuse & chagrine) non libenter habitat diabolus. Vnde dicitur Prouerb. 22.* Eijce derisorem & exibit cum eo iurgium. *Stillicidium est ploratus lachrymosæ contritionis. Fumus vero qui oritur ex igne, est timor ignis infernalis. Vere ista tria expellunt Diabolum de domo animæ nostræ. In cuius figuram legimus Thob. 6. De iuuene Thobia qui in terra in qua debebat capere mulierem inuenit piscem in via: & cum quæreret ab Angelo qui eum ducebat, ad quod hoc valeret: respondit: cordis eius particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat, & expellit omne genus dæmoniorum Erat autem Diabolus nomine Asmodæus, qui illam mulierem septies viduauerat. Per quam mulierem intelligo animam peccatricem, quã Diabolus septies viduauit: quia per septem peccata mortalia, consortio veri sponsi sui Christi, eam priuauit. Vis ergo istum Diabolum extricare, & ab ea expellere pone cor super carbones: applica cor tuum ad considerationem carbonum infernalium, & fumus, id est timor illius ignis (teſera ſi grant hideur au cueur, quæ tu non cessabis, donec per confessionem ejeceris Diabolum de domo animæ tuæ. Per tales riottas (& telz chagrinemens) non allicitur Diabolus ad libenter reuertendum ad domum animæ nostræ: postquam ejectus fuerit inde. Confert etiam multum ad eum inde alienandum, quod non seruiamus sibi ad placitum suum: nec impleamus eius voluntates: sed si petit vnum ministremus sibi aliud*

sicut

ſicut fecit Iahel Siſaræ: de quibus legitur Iudicum. 4. Quod Sara princeps exercitus Iabin victus fugit de prælio, & confidenter intrauit ad Iahel vxorem Haber, eo quod erat pax inter Iabin, regem Aſor, & domum Haber Cynei: ingreſſus autem tabernaculum Iahel, petijt ab ea paululum aquæ ad bibendum, quia valde ſitiebat, & aperuit vtrem lactis: vnde petenti aquam dedit lac: & poſt modum dum dormiret Siſara; Iahel cum martello defixit clauum in timpo eius, & interfecit eum. Siſara victus, de prælio fugiens, ſignificat Diabolum quem bonæ perſonæ boni regiminis, per ieiunia, per eleemoſynas, & cætera bona opera, quæ faciunt iſto ſacro tempore, vincunt in bello tentationum. Hic fugiens victus & confuſus, confidenter intrat in domum Iahel, cum qua habet fœdus: per quam intelligo perſonam carnalem, quæ pepigit fœdus cum Diabolo, in vita peccati, & habet pacem cum eo pacificè obediens ſibi: ſed quid dicit Euangelium hodiernum. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet: ſi autem fortior illo &c. *Certè fortior Diabolo Dominus eſt, qui iſto tempore per ſermones qui fiunt populo, vincit eum & arma eius. Id eſt materias peccatorum, quibus fideles impugnat, per abſtinentias ſubtrahit: & pacem quam habebant peccatores cum Diabolo, rumpit & vertit in guerram in tãtum quod Iahel, id eſt perſona pectatrix, rupto federe inito cum Diabolo: incipit tantum aduerſari ſibi, quod cum petit ab ea aquam ad bibendum ad ſedandum ſitim ſuam, id eſt quod impleat deſiderium ſuum voluptando ſe in aquis deliciarum, Iahel econuerſo obijcit ſibi vtrem lactis, id eſt pectus plenum pinguedine deuotionis: & cum malleo timoris mortis, interficit eum clauo timoris*

inferni, sicut petebat Dauid à Deo: Confige timore tuo carnes meas à iudicijs enim tuis timui. *Sic ergo diabolum se præsumptuose iactantem, quod reuerteretur in domum animæ nostræ, à qua per confessionem eiecimus eum: poterimus repellere ne reuertatur: habemus enim bonam prouisionem. Nã habemus quatuor modos repellendi eum, & impediendi ne reuertatur in eam: vtamur istis modis ne Diabolus sit amplius hospes noster: sed solus Dominus nos possideat ipse præstante &c. Atque hæc sic iste Petrus ad boues, ex quo ceterisque eius tractatibus constat Monachos, qui ante Lutherum extiterunt, non fuisse quales vulgo existimantur, concionatores nugarum, homines imperitos, scripturarũ ignaros, hypocritas, nec refert quod isto genere sermonis loquerentur, sic enim loquebantur, sic scribebant, quomodo intelligebantur. Præterea, insulsi sunt vt plurimum isti Momi, adolescentuli, Garammaticuli, nullius scientiæ, vel leuiter eruditi, ne quidem culti illius sermonis latini, cuius inscitiam in alijs reprehendunt. Sed redeundum est in viam, vnde in gratiam istius pij Monachi discesseramus. Euangelium claudit Dominus hoc epiphonemate. Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Offertorium acclamat, Domino sic loquenti: Iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, & iudicia eius dulciora super mel & fauum, nam & seruus tuus custodit ea. Verè Domine sic est, Beati qui audiunt verbum Dei, iustitiæ enim tuæ, id est mandata tua recta sunt, id est continẽt rectam viam, quæ ducit ad cœlum. Iustitiæ tuæ quas tu operaris in ijs quos iustificas, lætificant corda super omne gaudium, super omnem dulcedinem mellis, & faui. Et idcirco seruus tuus, sicut iubes custodit eas; cautus,*

tus, ſedulus, diligens eſt in ijs obſeruandis, illuminatur per ea & admonetur, vt ſciat quid ſit agendum, credendum, ſperandum & amandum, In communione gratulatur ſibi de muto redditus orator, quod tanquam paſſer inuenerit ſibi domum, & ſicut turtur nidum, ſcilicet altaria tua Domine virtutum, id eſt ſanctam Patriarcharum Eccleſiam, vt cũ Beatis qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudet te.

MISSA DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

OCuli mei ſemper ad Dominum: quia ipſe euellet de laqueo pedes meos, reſpice in me, & miſerere mei, quoniam vnicus & pauper ſum ego. *Pſal. 24.*

Pſal. Ad te Domine, leuaui animam meam: Deus meus, in te confido: non erubeſcã, *Verſ.* Gloria Patri. *Ibidem.*

In pace Dominum poſtulemus.
Kyrie eleyſon.

DOmine Deus noſter, qui conſtituiſti in cœlis ordines, & militiam angelorum in miniſterium gloriæ tuæ, fac cum introitu noſtro introitum ſanctorum angelorum fieri, cõminiſtrantium & conglorificantium tuam benignitatem: quia te decet omnis gloria, & adoratio: & tibi gloriam offerimus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. *Amen.*

In pace Dominum poſtulemus.
Kyrie eleyſon.

Pro ſuperna pace, & ſalute animarũ noſtrarum, Dominum poſtulemus.
Kyrie eleyſon.

Pro ſancta domo iſta, & cum fidei reuerẽtia, & timore Dei, introeuntibus in eam, Dominũ poſtulemus.
Kyrie eleyſon.

Pro Archiepiſcopo noſtro N. honorifico ſacerdotio in Chriſti miniſterio & omni clero, & populo Dominum poſtulemus.
Kyrie eleyſon.

Pro liberatione noſtra, ab omni tribulatione, ira periculo, & anguſtia Dominum poſtulemus.
Kyrie eleyſon.

DEus ſanctus qui in ſanctis requieſcis, & ter ſancta voce à Seraphin laudaris, & à Cherubim glorificaris, & ab omni cœleſti virtute adoraris: qui ex nihilo eſſe feciſti vniuerſa, qui creaſti hominem ſecundum imaginem, & ſimilitudinem tuam, omnique tuo domo eũ ornaſti, dans poſtulanti ſapientiam, & intellectum, & non deſpiciens peccantem ſed poſuiſti pœnitentiam in ſalutem: qui dignatus es nos humiles & indignos ſeruos tuos, in hora hac ſtare coram altari gloriæ tuæ, & debitam tibi adorationem & glorificationem offerre: tu Domine accipe ex ore peccatorum, ter ſanctũ hymnum, & viſita nos in benignitate tua, & indulge nobis omne delictum, voluntarium etiam & non voluntarium. Sanctifica noſtras animas & corpora, & da nobis in ſanctitate

deſeruire tibi omnibus diebus noſtris, interceſſionibus ſanctæ Dei genetricis, & omnium ſanctorum qui à ſeculo glorificauerunt te.

Suſcipe, ſalua, miſerere, & cuſtodi nos Deus gratia tua.

Sanctæ & intemeratæ dominatricis noſtræ Dei genitricis, & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus ſanctis memorantes, nos ipſos, & ad inuicem, atque omnem vitam noſtram Chriſto Deo commendemus.

Tibi Domine.

Quia ſanctus es Deus noſter, & tibi gloriam offerimus, patri & filio & ſpiritui ſancto, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. *Amen.*

OREMVS.

QVæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice: atque ad defenſionẽ noſtrã, dexteram tuæ maieſtatis extende, Per Dominũ noſtrum.

Lectio epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli, ad Epheſios.

FRatres: Eſtote imitatores Dei, ſicut filij cariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet: ſed magis gratiarum actio. Hoc autem ſcitote, intelligentes: quod omnis fornicator, aut immũdus, aut auarus, quod eſt idolorum ſeruitus, nõ habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Nemo vos ſeducat inanibus verbis. Propter *Cap. 5.*

hæc enim venit ira Dei, in filios diffidétia. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis, est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

Psal. 9. *Graduale.* Eurge Domine: non pręualeat homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.

Vers. In conuertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, & peribunt à facie tua.

Psal. 122 *Tractus.* Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis.

Ecce, sicut oculi in seruorum in manibus Dominorum suorum.

Sicut oculi ancillę in manibus Domine suę, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nobis, Domine, miserere nobis.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

Cap. 11. IN illo tempore. Erat Iesus eijciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmoniū, locutus est mutus; & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt. In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem, vt vidit cogitationes eorum, dixit. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur: & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius, quia dicitis in Beelzebub eijcere me dæmonia? Si autē ego in Beelzebub eijcio dęmonia: filij vestri in quo eiiciūt?

Ideo

Ideo ipſi, iudices veſtri erunt. Porro ſi in digito Dei eijcio dæmonia; profecto peruenit in vos regnum Dei. Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum: in pace ſunt omnia, quæ poſſidet. Si autem fortior illo ſuperueniens vicerit eum: vniuerſa arma eius auferet, in quibus cõfidebat: & ſpolia eius diſtribuet. Qui non eſt mecum, aduerſum me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, perambulat per loca inaquoſa, quærens requiem. Et non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam, & ornatam. Et tunc vadit, & aſſumit ſecum ſeptẽ alios ſpiritus nequiores ſe; & ingreſſi habitant ibi. Et fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Factum eſt autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba; dixit illi: Beatus venter, qui te portauit; & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit. Quinimmo beatĩ qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

Et dicitur. Credo.

Offertorium. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificãtes corda: & iudicia eius dulciora ſuper mel, & fauum: nam & ſeruus tuus cuſtodit ea. *Verſ. I.* Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos: timor Dei ſanctus, permanens in ſeculum ſeculi: iudicia Domini vera. *Verſ.* II. Et erunt vt cõplaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. *Pſal. 18.*

Secreta.

HÆc hoſtia, quæſumus Domine, emundet noſtra delicta, & ad ſacrificium celebrandum,

dum,ſubditorum tibi corpora, mēteſque ſanctificet. Per Dominum

Alia Secreta.

EXaudi nos,Deus ſalutaris noſter:vt per huius ſacramenti virtutem,à cunctis nos mētis,& corporis hoſtibus tuearis:gratiā tribuēs in præſenti,& gloriam in futuro.

DEus,cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locādus:tribue, quæſumus:vt, intercedentibus omnibus ſanctis tuis, vniuerſorum, quos in oratione commendatos ſuſcepimus,& nomina omniū fidelium beatæ prædeſtinationis liber aſcripta retineat. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus,Et te ſuppliciter exorare,vt cum abſtinentia corporali,mens quoque noſtra ſenſus declinet illicitos: & quæ terrena delectatione carnalibus epulis abnegamus,humanæ voluntatis prauis intentionibus amputemus:Quatenus ad ſancta ſanctorum fideliter ſalubriterque capienda , competenti ieiunio valeamus aptari. Tanto nobis certi propenſius ingiter affutura,quanto fuerimus eorum inſtitutionibus gratiores. Per Chriſtum.

Pſal. 83. *Communio.* Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi reponat pullos ſuos: altaria tua,Domine virtutū , rex meus & Deus meus: Beati qui habitant in domo tua,in ſeculū ſeculi laudabunt te.

Poſt-Communio.

ACunctis nos, quæſumus Domine,reatibus & periculis propitiatus abſolue; quos

quos tanti myſterij tribuis eſſe participes. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus, ieiuniorum noſtrorũ victimas cleméter accipiat & ſua nos benedictione dignos efficiat. ℟. *Amen.*

Mentes noſtras ita parſimoniæ bono cõtra vitia muniat, præceptorum ſuorum doctrinis erudiat, charitatis dono repleat, vt nos in omnibus ſibi placere concedat. *Amen.*

Quatenus præſentis quadrageſimæ diebus deuotiſſime celebratis, ad Paſchalia feſta purificatis cordibus accedere valeamus. ℟. *Amen.*

Quod ipſe præſtare dignetur, &c.

FERIA SECVNDA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

De Eleemoſyna quæ eſt altera ala ieiunii Sermo B. Chryſologi.

De connexione Ieiunij & Eleemoſynæ.

FRatres, eſurit ieiunium, ſitit, quod non pietatis cibo paſcitur, quod potu miſericordiæ non rigatur. Alget ieiunium, ieiunium deficit, quod non eleemoſynæ veſtis tegit, quod non miſerationis operit veſtimentum. Fratres, quod eſt terris ver, hoc miſericordiam ſcimus eſſe ieiunio Sicut verni flatus tota facit germina florere camporum: ita miſericordia tota ieiunij ſemina producit in florem, in cœleſtem meſſem totam ieiunii facit fructificare virtutem. Quod oleum lucernæ eſt, hoc ieiunio pietas: ſicut lu- Serm. 8.

cernæ

cernæ lumen, olei pinguedo ſuccendit, & moderato paſtu, facit illud ad totius noctis ſolatium perlucere: ſic pietas facit ſplendere ieiunium, & ad totam radiare continentiæ claritatem. Quod diei ſol eſt, hoc eleemoſyna noſcitur eſſe ieiunio. Sicut iubar ſolis clariorem perficit diem, & totam nubium diſpergit obſcuritatem, ſic eleemoſyna ieiunij ſanctificat ſanctitatem, totamque cupiditatis mortem lumine pietatis excludit. Ac ne multis immorer, quod eſt anima corpori, ieiunio largitas hoc habetur. Sicut enim mortificatur corpus, a corpore anima cum recedit: ita mors eſt ieiunii, largitatis abſceſſus. Eſt quidem ieiunium vitiorum mors, vita virtutum. Eſt ieiunium pax corporis, membrorum decus, ornamentum vitæ. Eſt ieiunium robur mentium, vigor animarum. Eſt ieiunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas ſanctitatis. Eſt ieiunium ſchola meritorum, magiſterii magiſterium, diſciplinarum diſciplina. Eſt ieiunium eccleſiaſticæ viæ viaticum ſalutare. Eſt ieiunium inuictus Chriſtianæ militiæ principatus. Sed in his virtutibus ieiunium tunc viget, tunc vincit, tunc triumphat, cum duce miſericordia pugnat. Miſericordia & pietas ieiunij ſunt alæ, per quas tollitur, & portatur ad cœlum, ſine quibus iacet, & volutatur in terra. Ieiunium ſine miſericordia, ſimulacrum famis eſt, imago nulla eſt ſanctitatis, ſine pietate ieiunium, occaſio eſt auaritiæ, non eſt propoſitum parcitatis: quia parcitas iſta quantum ſiccatur in corpore, tantum tumeſcit in ſacculo. Ieiunium ſine miſericordia non eſt veritas, ſed figura: vbi autem miſericordia, ibi & veritas: probãte Propheta cum dicit: Miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. *Ieiunium ſine miſericordia non eſt virtus,*

tus, ſed hypocriſis, dicente Domino. Vos autem cũ ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, vt videantur ab hominibus ieiunantes. *Qui non ieiunat pauperi, Deo fingit: qui ieiunans prandium ſuum non erogat, ſed reponit, cupiditati probatur ieiunare, non Chriſto ieiunantes ergo fratres prandium noſtrum reponamus in manu pauperis: vt ſeruet nobis manus pauperis, quod venter nobis fuerat perditurus. Manus pauperis Abrahæ ſinus eſt: vbi quicquid pauper acceperit, mox reponit. Theſaurus cœli eſt manus pauperis, quod ſuſcipit ne in terra pereat, reponit in cœlum.* Theſaurizate, *inquit*, vobis theſauros in cœlo. *Manus pauperis eſt gazophylacium Chriſti: quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. Da ergo homo pauperi terrã, vt accipias cœlũ, Da nummum, vt accipias regnũ. Da micam, vt accipias totũ. Da pauperi, vt des tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter. Clamat Deus.* Miſericordiã volo. *Qui quod vult Deus, Deo negat, a Deo ſibi quod deſiderat, vult negari.* Miſericordiam volo. *Homo petit Deus, ſed tibi, non ſibi.* Miſericordiã volo. *Humanã miſericordiã petit, vt largiatur diuinã. Eſt in cœlis miſericordia, ad quã per terrenas miſericordias perueniturr. Domine, inquit, in cœlo miſericordia tua. Dicturus cauſam in iudicio Dei, patronã tibi miſericordiã, per quã liberari poſſis, aſſume. Qui de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſit ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericordia non ſolum cauſam præuenit, anticipat cognitorem, ſed etiam ſententiam reuocat, abſoluit addictos. Quod Niniuita probant, quos iam ſententiæ ſubiectos, pœnæ traditos ad victimam ſtãtes, morti deditos, miſericordia ſic rapuit, ſic tenuit*

Matt. 6.

Oſea 6.

Pſal. 35.

Iona. 3.

ſic

ſic præuenit: vt maluerit Deus deduci ſententiam, nè miſericordiæ, quid negaret. Stabat quidem & tunc pro cauſa ieiunium, aſpergebat cineres, ſternebat cilicium, dabat gemitus fundebat lachrymas: & quod non poterat excuſare verbis, luctibus temperabat: ſed non valuit mutare ſententiam, niſi perorans miſericordia ſubueniſſet. Miſericordia & peccatores liberat, & reſtituit ſanctos: quia niſi affuiſſet miſericordia, etiam Dauid cum adulterat, amiſerat Pro-

2.Reg.11 *phetiam: & Petrus cum negat, apoſtolici ordinis perdiderat principatum: & Paulus cum blaſphemat, remanſerat perſecutor: fatetur hoc Paulus cum*

Mat. 26. 1.Tit.1. *dicit, Qui primus blaſphemus fui, & perſecutor, & iniurioſus: ſed miſericordiam conſecutus ſum. Fratres per miſericordias pauperum, miſericordiam paremus, vt poſſimus eſſe de pœna liberi, de ſalute ſecu-*

Matt.5. *ri. Beati, inquit, miſericordes: quia ipſi miſericordiã conſequentur. Gratis miſericordiam ſperat ibi, qui hic non fecerit miſericordiam. Qui facit miſericordiam, currit ad præmium: qui non facit miſericordiam, decurrit ad pœnam. Monuimus feria 4. hebdomadæ præcedentis, Quadrageſimam pertinere ad Sacramentum Baptiſmi, cuius rei myſterium olim eccleſia auſpicabatur hac feria ſecunda, qua olim ſolenniter his verbis indicebatur primum ſcrutiniũ in feriam quartam ſubſequentem. Scrutinij diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri diuinitus inſtruantur, imminere cognoſcitis; ibidemque ſolita deuotione ſuccedente, ſequenti quarta feria, circa horam tertiam conuenire dignemini: vt cœleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & ianua regni cœleſtis aperitur, inculpabili, Domino adiuuante, miniſterio peragere valeamus. Per.*

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

INtroitus eſt ex Pſalmo 55. Clamat pœnitens, & idcirco ieiunans. Miſerere mei Deus, conculcauit me homo tota die bellans tribulauit me. *Ne deficiat in iſta conculcatione, ſciens quem inuocet, & quo exemplo fortis effectus ſit. Primus botrus in torculari preſſus eſt Chriſtus, cum ille botrus paſſione expreſſus eſt, manauit illud: Vnde calix inebrians quam præclarus eſt, dicat ergo & corpus eius, intuens caput ſuum: Miſerere mei Domine, quoniã conculcauit me homo, tota die bellans tribulauit me. Tota die, toto tempore. Nemo ſibi dicat: fuerunt tribulationes apud patres noſtros, apud nos non ſunt. Si putas te non habere tribulationes nondum cœpiſti eſſe Chriſtianus, & vbi eſt vox Apoſtoli. Omnes qui volunt in Chriſto pie viuere, perſecutiones patiuntur. Si ergo non pateris pio Chriſto vllam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Chriſto pie viuere. Ingreſſus es torcular, prapara te ad preſſuram, ſed noli eſſe aridus, ne de preſſura nihil exeat. Initium Introitus bis inuenitur in eodem Pſalmo, ſemel his verbis:* In Deo laudabo ſermones meos, in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi caro. *Deinde rurſum ijs verbis quæ ſunt in Introitu.* In Deo laudabo ſermones meos. *Sermones meos, facta & conſilia mea æſtimabo, & de illis cenſebo ſecundum id quod in oculis Dei ſunt, aut ex eo quod ex Deo ſunt.* In Deo ſperabo. *Nihil expectabo præmij aut laudis, niſi quod à Deo vel per Deum mihi obuenire potuit. His autem duobus inhærens:* Non timebo quid faciat mihi caro, *id eſt*

carna-

carnalis, & qui non ſecundum ſpiritum Dei ambulat homo, idem ſignificant verba noſtri Introitus, niſi quod ſint paulo ampliora, dicit enim ſe laudaturum in Deo verbum & ſermonem, & generaliter dicit verbum & ſermonem, non etiam verbum meũ & ſermonem meum. Qua ratione, intelligitur verbum de interno animi conceptu, & ſermo, de eius enunciatione; & præterea, hoc quoque in iſtis verbis accipitur, laudare nos debere in Deo, non ſolũ noſtrũ verbum & noſtrum ſermonem, ſed omnem omnino etiam alienum, licet ingratum nobis; ſi modo aliquo modo nobis conducat ad ſalutem. Collecta petit vnũ ex finibus ieiunij, vt ſicut ab eſcis carnalibus abſtinemus, ita ſenſus quoque noſtros à noxiis retrahamus exceſſibus. Lectio continet hiſtoriam, Quomodo Naaman Princeps militiæ Regis Syriæ, curatus fuerit à lepra, & fortaſſis ea occaſione proponitur hæc lectio vt nobis cõmendetur baptiſmus, cuius ſcrutiniũ hoc die indicuntur: Iordanis enim multis rationibus pertinet ad Baptiſmũ, & propter Chriſtũ Dominũ, qui vbi primus ſanctificauit baptiſmũ, & quod per illum fluuium ex Ægypto tranſierunt filii Iſrael, in terram promiſſionis; & propter curationem iſtius lepræ quæ habet magnam cognationem cum peccato. Iubetur Naaman lauari ſepties propter gratiã ſeptiformis ſpiritus ſancti, lauatur Naaman gentilis, (chriſtianitas enim licet non excludat Iudeos, ex gentibus nihilominus vt plurimum eſt collecta. Heliſæus non eſt locutus Naaman, nec Chriſtus prædicauit gentibus, Naaman baptizatus redit ad prophetam & manet in gratiarum actione, quod vtique fecerunt gentes, & quod in hunc vſque diem recuſant facere Iudæi. Et propter hunc reditum Naaman ad Prophetam. Graduale ex perſona pœnitentis & reuerentiæ

uertentis in ſeipſum, dicit Domino ex eodē Pſal. 55. Deus vitam meam annuntiaui tibi, poſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo, Omnes vitæ meæ ærumnas & calamitates coram te confiteor, pone lachrymas meas in conſpectu tuo, Miſerere mei &c. *Vitam meam annunciaui tibi, totum me voueo, totum do & conſecro tibi. In Euāgelio præſignat Dominus ſe in patria ſua, ſcilicet in Iudæa, honorem non habiturum, & ad gentes, vbi honoretur, tranſiturum; dum dicentibus Phariſæis: Quanta audiuimus à te facta in Capharnaum, fac* Luc. 4. *& hic in patria tua, reſpondet: Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua: iterumque cum docet, illis poſthabitis, gentes potius à peccatis ſuis eſſe curandas:* In veritate, *inquiens*, dico vobis, multæ viduæ erant in Iſrael in diebus 3. Reg. 17. Heliæ, & ad nullam illarum miſſus eſt Helias, niſi in Sarepta Sidoniorum: & multi leproſi erant in Iſrael ſub Heliſæo Propheta, & nemo illorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. *Amplius autem in eo, quod ſurrexerunt, & eiecerūt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum in ſupercilium montis, ſupra quem ciuitas illorum poſita erat, vt præcipitarent eum: ſignificatur ab illis tranſitura ſalus, dum dicitur:* Ieſus autem tranſiens per medium illorum, ibat. *Cum enim illum Iudæi crucifigentes, in profundum obliuionis præcipitare vellent: ipſe aduerſus, & per medium illorū tranſiens, iuit ad gentium populos pedibus ſuis, pedibus ſpecioſis, id eſt, prædicatoribus ſanctis. Offertorium habet orationem illorum duorum gentilium; viduæ Sareptanæ, & Naaman leproſi, qui ſcientes ſe indignos tanta Dei gratia, humiliter orant, vt non deſpiciatur eorum deprecatio. Communio vero inflam-*

mata charitate, orat etiam pro iſtis Iudæis, contemptoribus diuinæ gratiæ, vt exultet Iacob & lætetur Iſrael.

MISSA FERIA II. POST DOMINIC. III. QVADRAG.

Pſal. 55. IN Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem: in Deo ſperabo: non timebo, quid faciat mihi homo.

Ibidem. *Pſal.* Miſerere mei, Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die bellans, tribulauit me. *Verſ.* Gloria Patri.

OREMVS.

COrdibus noſtris, quæſumus Domine, gratiam tuam benignus infunde: vt, ſicut ab eſcis carnalibus abſtinemus, ita ſenſus quoque noſtros à noxijs retrahamus exceſſibus. Per Dominum.

PVrifica quæſumus Domine tuorum corda fidelium, vt à terrena cupiditate mundati, & præſentis vitæ periculis exuantur, & perpetuis donis firmentur. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

IN diebus illis. Naaman princeps militię Regis Syriæ erat vir magnus apud Dominum ſuum, & honoratus. Per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ. Erat autem vir fortis, & diues: ſed leproſus. Porro de Syria egreſſi fuerant latrunculi: & captiuam duxerant de terra Iſrael puellam paruulam, quæ erat in obſequio vxoris Naaman: quæ ait ad dominam ſuam. Vtinã fuiſſet Dominus meus ad Prophetã, qui

eſt in

est in Samaria: profecto curasset eum à lepra, quam habet. Ingressus est itaque Naaman ad Dominum suum, & nunciauit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de terra Israel. Dixitque ei Rex Syrię: Vade, & mittam litteras ad regem Israel. Qui cum profectus esset, & tulisset secū decem talenta argenti, & sex millia aureos, & decem mutatoria vestimentorum: detulit litteras ad Regem Israel, in hæc verba. Cum acceperis epistolam hanc, scito, quod miserim ad te Naaman seruum meum: vt cures eum à lepra sua. Cumque legisset Rex Israel literas, scidit vestimenta sua, & ait: Nunquid Deus sum ego, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominē à lepra sua? Animaduertite & videte, quod occasiones quærat aduersum me. Quod cum audisset Elisęus vir Dei, scidisse videlicet Regem Israel vestimenta sua, misit ad eum, dicens: Cur scidisti vestimenta tua? Veniat ad me, & sciat Prophetam esse in Israel. Venit ergo Naaman cum equis, & curribus, & stetit ad ostium domus Elisæi: misitque ad eum Elisæus nuncium dicens: Vade, & lauare septies in Iordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Iratus Naaman, recedebat, dicens: Putabam, quod egrederetur ad me: & stans inuocaret nomen Domini Dei sui, & tangeret manu sua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores sunt Abana & Pharphar, fluuij Damasci, omnibus aquis Israel, vt lauer in eis, & munder? Cum ergo vertisset se, & abiret indignans: accesserunt ad eū serui sui, & locuti sunt ei: Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debue-

ras: quanto magis, quia nunc dixit tibi, lauare, & mũdaberis? Descẽdit: & lauit in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei: & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli: & mũdatus est. Reuersusque ad virum Dei cum vniuerso comitatu suo, venit, & stetit coram eo, & ait: Vere scio, quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel.

Psal. 55. *Graduale.* Deus, vitam meam annuntiaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.

Vers. Miserere mei, Domine, quoniam conculcauit me homo: tota die bellans, tribulauit me.

Psal. 102 *Tractus.* Domine, nõ secundum peccata nostra, quæ fecimus nos: neque secũdum iniquitates nostras retribuas nobis.

Psal. 78. Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis.

Ibidem. Adiuua nos, Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

Cap. 4. IN illo tempore. Dixerunt Pharisęi ad Iesum. Quanta audiuimus facta in Capharnaum: fac & hic in patria tua. Ait autem. Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. In veritate dico vobis: multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum

est

est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarũ missus est Elias, nisi in Sareptha 3. Re. 17.
Sidoniæ ad mulierem viduam. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus. Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, hæc audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt eum extra ciuitatem: & duxerunt illum vsque ad superciliũ montis, super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipse autem transiẽs per medium illorum, ibat.

Offertoriũm. Exaudi, Deus, orationem meã, Psal. 54.
& ne despexeris deprecationem meam, intende in me, & exaudi me. *Vers.* I. Conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris, & expectabam eum qui me saluum faceret. *Vers.* II. Ego autem ad Deum clamaui, libera animam meam: & extendes manum tuam in retribuendo illis.

Secreta.

MVnus, quod tibi, Domine, nostræ seruitutis offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum, Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, Et clementiam tuam cum omni supplicatione precari, vt per hanc ieiuniorum obseruationem, crescat nostræ deuotionis affectus: quatenus te auxiliante, & ab humanis semper retrahamur excessibus, & monitis inhærere valeamus te largiente, cœlestibus. Per Christum.

Communio. Quis dabit ex Syon salutare Is- Psal. 13.
rael? cum auerterit Dominus captiuitatem ple-

bis ſuæ exultabit Iacob,& lætabitur Iſrael.

Poſt-Communio.

PRæſta,quæſumus,omnipotés & miſericors Deus:vt quod ore contingimus,pura méte capiamus.Per Dominum.

CONſerua Domine familiam tuam, bonis ſemper operibus eruditam,& ſic præſentibus conſolare ſubſidijs; vt ad ſuperna perducas dona propitius. Per Dominum noſtrum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita veſtra Deo.

SVbueniat nobis, Domine, miſericordia tua: vt, ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente eripi,te liberante ſaluari Per Dominum noſtrum.

Ad Benedictionem.

INclinet Dominus aurem ſuam ad præces noſtræ humilitatis,& det nobis gratiam ſuæ benedictionis,& præmium ſempiternæ ſaſutis.*Amen.*

Semper & vbique Dominum propitium habeamus, & in eius laudibus exultemus. *Amen.*

Omnium peccatorum noſtrorum vincula ſoluat,& ad gloriam ſempiternam nos peruenire faciat. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA TERTIA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

De Eleemosyna.

SIcut Dominica præcedente tractauimus seorsum de oratione, sic etiam peculiari sermone explicanda est ista tam necessaria ala ieiunii, quæ res etiam optime conuenit officio hodierni diei, quod nobis commendat varia officia misericordiæ. Eleemosyna vox Græca significat exhibitionem commiserationis Dominus omnia sua præcepta concluſit duobus capitibus dilectione Dei, & dilectione proximi: præstatio vero istius secundi capitis est ista Eleemosyna. Lex naturalis à Deo laudata est. Quod tibi fieri non vis alteri non feceris: cui consequens est & ista, quæ etiam à Domino imperatur: Prout vultis Luc. 6. *vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Sed Eleemosyna virtus Christiani, licet hãc habeat causam naturalem, est tamen quiddam maius atque excellentius. In hac itaque materia hæc videntur potissimum esse tractanda. Primum quid sit, Deinde quot sint eius species. Tertio qua re differat ab officijs, huic virtuti vel affinibus. vel quodam modo connexis. Quarto quæ sint illius proprietates. Quinto quænam sit colenda istius virtutis necessitas. Postremo quæ eius dignitas, quis vsus. Primo itaque videamus quid sit Eleemosyna. Misericordiam, Gregorius Nyssenus appellat voluntariam tristitiam, ex alieno incommodo conflatam, & piam in* Lib. de Beat. *eos, qui cum aduersa fortuna conflictantur, affectionem. Augustinus vocat cordis compassionem, qua* Quid sit Eleemos.

Lib. 9. ca. 3. de Ciuit. Dei.

prout poſſumus aliena miſeria ſubuenimus. Eſt qui definit. Beneficium ſeu munus, quo alterius miſeriæ ex noſtro commiſerationis affectu, ſubuenimus. Eſt igitur Eleemoſyna ſpecies charitatis, qua ex commiſeratione, & propter Deum ſubuenit afflicto. Quod erat ſecundum in hac quæſtione. Opera miſericordiæ ſunt duorum generum; munus enim quod ſic impendimus proximo, vel præcipuè fit vt ſubueniamus corpori, vel etiam præcipuè ſpectamus eius animam: qua ratione alia dicuntur corporalia, alia Spiritualia, qua in vtroque genere ſeptem numerantur. Corporalia ſunt: Eſurientes paſcere, Potum dare ſitienti. Operire nudum, captiuos redimere. Viſitare infirmos. Hoſpitio excipere eius rei indigentẽ. Mortuos ſepelire. Spiritualia ſunt, 1. Corrigere peccantes, 2. Ignorantes & iniquos inſtruere, 3. Dubitantibus & imprudentibus recte conſulere, 4. Conſolari afflictos & mœſtos, 5. Ferre aliorum imbecillitates & iniurias, ea occaſione illatas, 6. Offenſam remittere, 7. Orare pro ſalute proximi. Tertio dicebamus, quæri, qua ratione differat hac virtus miſericordiæ ab officijs illi ſimilibus. Prima quia eſt virtus, diſtinguitur ab effectu naturali, qualis eſt ille quo feruntur parentes in proles, & illi rurſum in parentes. Secundo, quia oritur ex commiſeratione; Omnia illa officia hominum inter ſe, quæ non habent hanc originem, excluduntur ab hac virtute: qualia ſunt quibus colimus pares, quibus promeremur vel inferiores, vt nos colant, vel ſuperiores vt ab ijs, colamur. Præterea licet natura inſeuerit nobis commiſerationem, adeo vt ea diſtituti, vix homines exiſtant: tamen etiã optimorum paganorum miſericordia longe eſt inferior hac virtute chriſtianorum. Chriſtus enim author naturæ, per ſuam nouam legem duo operatus eſt circa

Species Eleemoſ.

Differẽtia Eleemoſ. à cognatis.

circa naturæ emendationem. Primo quæ ibi bona à se creata inuenit, talia nihilominus vt multis lacunis hiantia, multis maculis deformia existerent, illa Dominus tanquam medicus reparauit, vt bona latrix deterſit. Quæ vero mala erant tanta vt ipſa eſſent velut i natura, neque aliter acciperentur ab hominibus, quam vt naturales, atque ea ratione legitimæ affectiones, illa Dominus non vt medicus correxit; ſed vt nouus quidam naturæ deformatæ reformator, nouam quandam fecit creaturam. Quo in genere principem locum tenet præceptum, de diligendis inimicis. Si Adam manſiſſet in iuſtitia originali, nulli extitiſſent inimici: verum poſtquam ille peccauit factum eſt quodam modo naturale, vt odio haberent homines inimicos ſuos. Dominus volens nos reuocare ad primæuam iuſtitiam, non ſuſtulit de cordibus noſtris motum iracundiæ & odij, quia ille contra dæmonem & peccata iam erat neceſſarius: & illa vtraque. Dæmon & peccatum in Dæmone, odio nobis extitiſſent, etiam in illa originali iuſtitia: verum, quod tum non extitiſſet, nempe inimicitiæ hominum inter ſe, illud vtique ſuſtulit Dominus, imperans, vt benefaciamus, vt oremus pro inimicis, & hoc ſuo exemplo, qui multos ſuos crucifixores fecit participes regni ſui. Præterea cetera ſpiritualis miſericordiæ, vix eſt vt conueniant naturæ ſi naturam accipimus, qualis extra Chriſti religionem etiam optima in homine inuenitur. Poſtremo Omnes naturales commiſerationes & beneficentiæ, ſi non fiant propter Deũ, id eſt amore Dei, nõ ſunt illæ quidem malæ; quin imo ſuo modo ſunt bonæ, tamen ad hanc virtutem nondum pertinent. Habet enim eleemoſyna Chriſtiana certas proprietates, quod quarto loco queri dicebamus, quæ à bonis Paganis

bona

De qualitatibus Eleemoſ.

bona natura bonum ductum ſequentibus, ignorantur. Primo enim in Eleemoſyna requiritur vt ſit humilis, quæ qualitas illis plane eſt ignota: ſic enim vult nos dare Dominus vt neſciat ſiniſtra manus quid fecerit dextera: vt laudem inde nullam cupiamus, mercedem nullam terrenam quæramus; imo ne parem quidem gratiam exſpectemus ab hominibus. Secundo, vt fiat ex charitate erga Deum, quod in vniuerſum ignorant Pagani: debemus enim facere Eleemoſynam, quia vel ſumus, vel optamus omnes eſſe membra vnius corporis, cuius caput eſt Chriſtus: quia fratres hæredes eiuſdem hæreditatis, quia domeſtici vno atque eodem cibo potuque victitantes, de menſa communis Domini. Debemus quoque facere Eleemoſynam, quomodo diſpenſator debet erogare pecuniam in vſus præſcriptos a Domino: quæ vtique vniuerſa ignorantur a natura. Debet quoque Eleemoſyna eſſe iuſta, id eſt ex ijs rebus ſolis licet dare, quæ licitè poſſunt haberi, debet quoque eſſe prompta, non extorta, ſed libenter & hilariter collata, atque illa ipſa larga, diſcreta prudens, & bene ordinata: quæ ſingula longam requirunt explicationem, & magis pertinent ad praxim quam ad generalem Eleemoſynæ commendationem. Quinto quæritur num ſub pœna peccati mortalis, neceſſario vi præcepti præſtanda ſit Eleemoſyna. Reſpondeo: Dilectio proximi eſt imperata, omne illi contrarium eſt expreſſe vetitum. Qui habuerit *inquit* Ioannes

1. Ioan 3

Apoſtolus, ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? *Præterea damnatio æterna non infertur, niſi ob peccatum mortale, conſtat vero ob non præſtitam Eleemoſynam, eam a Domino irrogari, planum eſt illud*

illud Christi. *Discedite à me maledicti in ignem aeternum. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare, sitiui & non dedistis mihi potum, hospes eram & non collegistis me. Dives ille epulo ob Lazarum contemptum, sepelitur in inferno. Est igitur Eleemosyna praecepti, & hoc vt aiunt Theologi in magna necessitate pauperis. Item cum à diuite possidentur superflua. Extra hos duos casus eleemosyna pertinet ad consilium, quae res multas habet & varias circũstantias: prout etiam latissime tractari consueuit in operibus misericordiae corporalibus, à quibus illae sint faciendae, a quibus non item, quibus, vnde, quando, quantum dari oporteat. Quod erat postremum, quaenam sit huius virtutis dignitas, quae vilitas, id equidem praecipue hoc loco, ad excitandam pietatem commemorari oportebat, qua de re breuiter aliquid hic est notandum. Praecipua huius rei dignitas illa videtur recte existimari, quod ea re similes reddamur Deo, qua de re sic B. Chrysostomus:* Non dixit, Si ieiunetis similes eritis patri vestro, neque dixit, Si suppliciter oraueritis similes eritis patri vestro, neque si virginitatem illaesam seruaueritis similes eritis patris vestri, nihil enim horum est circa Deum, nec horum quicquam Deus operatur, sed quid? Estote misericordes sicut & Pater vester misericors est, vt sitis filij Patris vestri qui in cęlis est, qui solẽ suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. *Et Gregorius Nyssenus, dicit homines misericordes, fieri quodam modo Deos tanquam formatos & insignitos propria nota deitatis. Altera dignitas est quod eleemosynarij sint veluti Angeli Dei, distributores gratiarum & benedictionum eius. Tertio quod ista ratione conceditur,*

Matt. 25.

De dignitate Eleemosynae.

Hom. 36. ad populũ Antioch.

veluti

veluti dare aliquid Deo, quæ eſt vtique magna dignatio, quomodo vehementer ſibi gratularetur aliquis è plebe, ſi ab eo gratanter Rex acciperet munus, quod danti liberet offerre. Quod vni inquit ex minimis iſtis feciſtis mihi feciſtis, & quod illis negaſtis mihi negaſtis, ita vero proprie datur Deo, quod iſta virtus tribuit pauperi, vt vulgus Chriſtianorum, & ex Chriſti diſciplina, & ex maiorum pietate eleemoſynam non alio fere nomine appellet, quã Propter Deum. Il at donne pour Dieu, dedit propter Deum: Il demande pour Dieu, petit propter Deum, & Flandice eleemoſyna eodem modo vocatur, om Godts vville, id eſt propter Deum. Quarto Eleemoſyna eſt effectus miſericordiæ, & germana ſoboles charitatis, quæ eſt princeps omnium virtutũ, quæ nunquam excidit, licet euacuentur fides, & ſpes. Præterea excellens huius virtutis dignitas, intelligitur ex vita Chriſti, è ſacris ſcripturis, ex doctrina Eccleſiæ, & exemplis ſanctorum. Vtilitates vero ſunt immenſæ. Initio quia miſericordia eſt genuina & omnium nobiliſſima ſoboles charitatis, melior pace & gaudio quæ non ita late ſe diffundunt extra ſe, & quia eleemoſyna nihil eſt aliud quam miſericordia producta in opus, ſequitur, eleemoſynam eaſdem habere vtilitates, eos fructus adferre ſic operanti, qui maximi & excellentiſſimi tribuuntur Charitati. Secundo Eleemoſyna ſuo quodam veluti iure, irritat & incitat in ſe Dei miſericordiam, quomodo crudelitas irritat eius ſeueritatem, quod docuit nos Dominus exemplo ſerui nequam, cui dimiſerat Dominus debitum, & qui ipſe conſeruo nolebat condonare, & morte illius diuitis epulonis, qui non fuerat miſertus Lazari. Tertio, quia eleemoſyna datur Deo, ſequitur vt ditiſſimus & largiſſimus acceptator, abunde

abunde compenſet beneficium, quod planiſſimis verbis explicauit Dominus ijs verbis, quibus alloquitur eos qui ſtant à dexteris, quibus dicit. Venite bēnedicti patris mei, percipite regnum &c. *Verum quia res iſta eſt neceſſaria cognitionis, libet hic tranſcribere, quæ de hoc argumento habet Theodorus Peltanus Ieſuita, Certum eſt inquit, inter mala quæ in hominem cadunt, aut quouis quoque caſu cadere poſſunt, principem locum tenere peccatum, mortem, & infernum: At ab his omnibus liberat eleemoſyna; ſcriptum eſt namque:* Eleemoſina ab omni peccato, & morte liberat; & non patietur animam ire in tenebras. *rurſum:* Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis. *Ad hunc ſcripturæ locum Diuus Cyprianus alicubi ita ſcribit.*

De eleem. cap. 3.

Tob 4. Eccleſ. 3.

Serm. de ope. & ele.

Oſtenditur hic, quia ſicut lauacro aquæ ſalutaris, gehennæ ignis extinguitur; ita eleemoſynis atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in Baptiſmo peccatorū remiſſio datur aſſidua: & iugis eleemoſynæ operatio, Baptiſmum imitata, Dei rurſum indulgentiam largitur. *Eodem quoque ſenſu exponit hunc Eccleſiaſtici locum B. Maximus.*

Si ira, ait ille, Eleemoſyna extinguit peccatum; ſicut aqua Baptiſmi gehennæ extinguit incendium: ergo eleemoſyna eſt quodam modo aliud animarum lauacrum, niſi, quod ſalua fide dixerim, indulgentior eſt Eleemoſyna, quam lauacrum: Lauacrum enim ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur, eleemoſynam autem quoties feceris, toties veniam promereris. *Et ſermone proxime ſequente:* Mundius eleemoſyna, quam puteus detergit macu-

Serm. de Elem.

maculas: quia putei aqua corporis tantum cutẽ abluit, misericordiæ autem bonitas interna animæ purificat.

Serm. 76. de Temp. *Pertinet huc quoque illud Augustini:* Facile curatur vulneribus peccatorum, qui necessitatem curauerit pauperum; & misericordiam accipiet, qui proximo pietatis officia non denegat. *Lib. 50. Hom 39.* *Et illud eiusdem:* In horreis nostris habeamus abundantiam, quæ flammas nostras oblatione vnius panis extinguat. Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Et quicunque misertus fuerit, miserebitur ei, da panem cum potes, quia nemo esurit in inferno; nec habebis post mortem frumentum; nec inuenies illic aliquando mendicum, quia non erit tempus miserendi.

Serm. 46. ad Fr. in ere. *Et illud item.* Fratres mei chariſſimi, nunquam recordor, me legisse, mala morte perijsse illum, qui libenter opera pietatis & charitatis voluit exercere.

Lib. de promiſ. p 2 cap 7. Luc 11. *Et illud rursum B. Prosperi:* Scribis & Pharisæis singulare sacrificium ostendit, dicens: Verumtamen, quod superest date Eleemosynam & ecce omnia munda sunt vobis. O quam breue compendiosumque sacrificium, quod intrinsecus atque extrinsecus totum hominem mundat. Eleemosyna enim à morte liberat, & ipsa peccata purgat. Eleemosyna munus bonũ est omnibus facientibus eam coram Domino. *Tob 4.*

Lib. 3. ca. 64. de ſum. bon. *Et illud itidem Isidori:* In tantum Eleemosynarũ opera extinguunt peccata, atque in tantum ad regnum futuri sæculi proficiunt, vt etiam Iudex cœlestis in futuro iudicio veniens, in dexteram consistentibus dicat: Venite benedicti Patris *Matt. 25.*

tris mei percipite præparatum vobis regnum, *Hom. 33. ad Ant.* &c. *Et illud tandem Chryſoſtomi.* *Hom. 53. in Matth.*

Eia chariſſimi oſtendamus, qualiter eleemoſyna eſt ars omnium artium quæſtuoſiſſima. Si enim artis eſt proprium, ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemoſyna vero nihil eſt vtilius. Clarum eſt profecto, quod & ars ſit, & omnium artium optima. Non enim nobis cõficit calceamenta, neque veſtimenta contexit, neque has luteas domos ædificat, verum æternam adminiſtrat vitam, & ex mortis manibus eripit, & in vtraque vita charos exhibet, & manſiones ædificat in cœlis, & æterna parat tabernacula. Hæc lampades noſtras non ſinit extingui, nec ſordidis indutos veſtibus, in ipſis videri: ſed lauat, & niue mundiores reddit. Si namque fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Non ſinit eo decidere, vbi diues ille, nec audire verba tremenda; ſed in Abrahæ ſinus deducit. *Hæc omnia claris, diſertis, & illuſtribus verbis probant, eleemoſynam liberare a peccato, morte, & inferno, quæ malorũ omnium ſunt maxima.*

Jam ſi Eleemoſyna liberat ab inferno, quacunque tandem ratione, aut modo iſtud faciat, multo magis liberabit à purgatorij ignis incendio: conſtat enim hoc illo multis partibus minus eſſe. Rurſum ſi eadem liberat à peccato; ſiue id faciat Eleemoſynarij erogantis animum ad fidem & iuſtificationem præparando; quod ex Apoſtolorum actis in Cornelio Cẽturione locum habuiſſe dicimus: ſiue eundem iuſtificationis gratia iam ornatum, à lapſu præſeruando iuxta illud Salomonis: Non deſis plorantibus conſolatione, & cum lugentibus ambula, non *Act. 10.* *Eccleſ. 7.*

te pigeat

te pigeat visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis . *Firmatur autem hactenus charitas, quatenus per bonorum operum vsum anima vegetataque, vitijs, quibus oppugnatur, facilius obsistit: Sine eundem illum tempestiue post lapsum, ne magis subinde sordescat, erigendo: consentaneum est enim, qui lapso manum clementer porrigit, eum, si forte ceciderit, porrecta manu vicissim subleuari: sine alio quocunque modo, multo magis liberabit à quibuscunque peccatorum reliquijs. Atq; hoc neutiquam obscure indicat illud Christi*: Quod su-
Luc. 11. pereſt, ait, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

Denique si eleemosyna liberat à spiritali morte, hoc est, a peccato & inferno, & interdum quoque ab impendente corporali nece; quemadmodum multis illud exemplis, si opus foret, ostendi facile posset, liberabit ab ijs nonnunquam quoque, quæ viam ad illam muniunt; vt sunt morbi, pericula, insidiæ, aliaque id genus complura: neque hoc quoque sacræ literæ dissimulant: scriptum est enim:

Psal. 40. Beatus vir, qui intelligit super egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, Dominus conseruabit eum, & viuificabit eum: & non tradet eum in animam inimicorum eius. Dominus opem feret illi super lectũ
Eccl. 29. doloris eius: *ita enim efferuntur hæc in Hebræo & Chaldæo contextu. Rursum*: Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa liberabit te ab
Esai. 58. omni afflictione. *Demum*: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque duc in domum tuam. Cum videris nudum, operi eũ: & erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur. *Hoc est, ab omni calamitate & peste*

liber-

liber euades. Liquet hinc ergo, nullum fere extare malum, à quo eleemosyna non liberet vel liberare non queat. Quare etiam apud pios omnes receptum videmus vt in omni propemodum periculo, & calamitate, ab eleemosyna præsidium petant, etsi non ab hac sola.

De Bonis, Quæ per Eleemosynam conciliantur.

IAm licet ex malorum multitudine & magnitudine, quæ per eleemosynam præpediuntur, & è medio submouentur, haud difficulter colligi queat, quãtum roboris in cuiusuis generis bonis conciliandis & procurandis habeat misericordia; attamen euadet rès hæc aliquanto illustrior; si de hisce bonis & commodis separatim nonnulla proposuerimus.

Est autem bonum generatim acceptum bipertitum: vnum transnaturale, alterum naturale: & hoc rursum vel internum, vel externum. Ad primum bonorum genus pertinet gratia, & gloria, & cætera, quæ ad illa referuntur. Ad secundum omnia interna animæ & corporis bona. Ad tertium omnia fortunæ commoda. Ad horum autem omnium adeptionem, conseruationem, & augmentationem conferunt Eleemosynæ pio candidoque animo erogatæ.

Quod autem Eleemosyna gratiam præstet, diuinumque fauorem & amicitiam conciliet, id valide probant, quæ de peccatorum expiatione paulo ante allata sunt: siquidem omne illud, quod peccatum tollit, hoc gratiam asciscit, & vice versa. Quod eadẽ rursum præsentem gratiam augeat & confirmet, id nulla probatione indiget. Quandoquidem omne omnino opus bonum propter Deum susceptum, æternæ vitæ est meritorium; adeoq; gratiæ augendæ idoneum:

neum: eleemosyna autem expia, iustaque voluntate orta, est opus bonum, Deoque apprime gratum.

Tob. 4. *Ad hunc cœlestem eleemosynæ effectum pertinet illud Tobiæ:* Fiducia magna erit corã Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. *Et illud Salomonis:* Qui miseretur pauperis, fœneratur Domino: Qui pronus est ad misericordiã benedicetur. *Et illud Ecclesiastici:* Animam esurientem ne despexeris. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius. *Et illud eiusdem:* Exorare & facere Eleemosynam ne despicias: pauperi porrige manũ tuam, vt perficiatur propitiatio, & benedictio tua, *Et illud tandem Apostoli:* Qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. *Certum est enim, quod de fiducia, spiritali fœnore, benedictione, filiatione, & propitiatione hic dicitur, hoc totum ad gratiam, vel certe ad aliquid, quod viam ad gratiã aperit, pertinere.*

Prou. 19. *Eccles. 4.* *Eccl. 7.* *2. Cor. 9.*

Spectat huc illud Ambrosij quoque: Nihil ita commendat Christianum animum quam misericordia. Si nudum vestis, te ipsum induis; si susscipis egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias, & æterna tabernacula. Non mediocris est ista gratia; corporalia seminas, & recipis spiritalia; miraris iudicia Domini de sancto Iob, mirare virtutes eius, qui poterat dicere: Oculus eram cæcorum, & pes claudorum & infirmorum pater. Velleribus agnorum meorum calefacti sunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus, ostium meum omni venienti patebat. Beatus plane, de cuius domo nunquam vacuo sinu pauper exibat: neque

Lib. 1. offic. *Luc. 11.* *Iob. 31.* *Psal. 40.*

enim

enim quiſquam magis beatus, quam qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem. *Et illud rurſum Gregorij Nazianzeni.*

Nulla res eſt, quæ Dei beneuolentiam perinde conſiliet ac miſericordia. Nec vlli alteri rei potius, quam humanitati & commiſerationi, commiſeratio & humanitas ab eo rependi ſolet, qui ſumma æquitate vnumquemque remuneratur; atque in lance & menſura miſericordiam cõſtituit. *Orat. de Pau. amo.*

Et illud tãdem Magni Leonis: Nulla deuotione fidelium magis delectatur Dominus, quam iſta, quæ pauperibus eius impenditur, & vbi curam miſericotdiæ inuenit, ibi imaginem ſuæ pietatis agnoſcit. *Serm. 10. de ieiu. quadrag.*

Iam cum totum illud, quod confert ad gratiam, vitamque ſpiritalem, conferat quoque ad cæleſtem gloriam (nec enim aliud eſt gratia, quam quoddam gloriæ ſemen, virtute & energia illam in ſe continens:) conficitur, vt ea omnia, quæ de gratia, eiuſdemque præſidijs dicta ſunt, ad cæleſtem gloriam transferre liceat. Verum quo ad ſanctum hoc, homineque Chriſtiano digniſſimum opus, mages incendantur, qui iſthæc forte lecturi ſunt, pauca quædam, quæ proxime de gloria concionantur, ex Scripturis & Patribus in hunc locum adferre lubet. Apud Matthæum igitur ita legimus: Tunc dicet his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; Eſuriui enim; & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & collegiſtis me, nudus, & cooperuiſtis me, &c. *Cap. 25.*

Ad hunc locum, qui ſane nobiliſſimus, & ad permouendos animos bene affectos efficaciſſimus eſt,

Beatus Cyprianus sermone de Opere & Eleemosyna ita scribit: Quæ erit illa, fratres charissimi, operantium gloria? quam grandis & summa lætitia, cum populum suum Dominus cęperit recensere, & meritis atque operibus nostris prę-mia promissa contribuens: pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna; pro modicis, magna præstare, & offerre nos patri &c. *Huic plane consonum est illud Ambrosij.*

Serm 81. Considera, quanta tibi tunc erit gloria, cum te omnis ille populus, qui ex promptuarijs tuis pastus est, pro tribunali magni illius iudicis caterua constipante circumdabit, pastorem se suum, ac tutorem pium, & misericordem patrē omni gratiarū voce testabitur. Mete ergo vberes pecuniæ tuæ fructus orationes dico pauperum, interceſſioneſque Sanctorum, qui pro te, officiorum tuorum memores, apud iustum iudicem Deum, dignis operum tuorum allegationibus postulent.

Ad cœlestis gloriæ præmium per eleemosynas cōparandum, facit hoc Christi Seruatoris quoque. *Luc. 16.* Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Hic Gregorius Nazianzenus:* *Orat. de amo. Pau.* Si quid mihi auscultandum putabitis serui, & cohæredes Christi, Christum, quamdiu licet, inuisamus, Christum colligamus, Christum honoremus, non solum mensa, vt quidam, nec vnguentis, *Luc. 7.* vt Maria; nec sepulchro duntaxat, vt Ioseph ab *Ioan. 12* Arimathia; nec denique auro, thure, & myr-*Marc. 15* rha, vt Magi: Sed quoniam omnium Dominus *Matt. 2.* misericordiam mauult, quam sacrificiū, ac pin-*Matt. 10.* guium agnorum myriades commiseratio superat,

perat, hanc per pauperes, humiq́ue proſtratos ipſi conferamus, vt cùm hinc exceſſerimus, in æterna tabernacula nos recipiant. *Et illud rurſum Greg. Magni:* Regnum Dei tantum valet, quantum habes: valuit Zachæo dimidium ſubſtantiæ, valuit viduæ duobus minutis, valuit alteri calice aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei tantum valet, quantum habes. *Et illud tandem Ezechielis Prophetæ:* Vir ſi iuſtus fuerit, & fecerit iudicium, & iuſtitiam: panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento, vita viuet, *Non vtique miſera & fluxa hac, quæ diu cõſiſtere nequit, verum beata illa & fortunata, quæ finem neſcit.*

Hom. 5. in Euang. *Luc. 19.* *Marc. 12.* *Cap. 18.*

Tandem quod Eleemoſynarum ſtudium non tãtum cœleſtia, internaq́; animæ & corporis bona promoueat, verumetiam externa, fortunaq́; caſibus obiecta, illud non modo Scripturæ diſertis verbis affirmant, & Sancti paſſim prædicant; ſed innumera quoque exempla confirmant. Notum eſt enim illud Salomonis: Qui dat pauperi, non indigebit: Qui deſpicit deprecãtem, ſuſtinebit iniuriam. *Et illud eiuſdem:* Alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt, alij diuidunt propria, & ditiores fiunt. *Et ante hunc locum,* Deum honora de tua ſubſtantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. *Et illud Pauli:* Qui parce ſeminat, parce & metet. *Et illud Chriſti:* Quicũque potum dederit vni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine diſcipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. *Et illud Leonis primi:* Non timeatur in ijs expenſis defectio facultatum,

Prou. 28. *Prou. 3.* *2. Cor. 9.* *Matt. 10.* *Serm. 10. de quadr.*

tatum; quoniam ipsa benignitas magna substantia est. Nec potest largitatis deesse materies, vbi Christus, & pascit, & pascitur. *Et illud*

Serm. 43. *Petri Chrysologi*: Quod tu in misericordia fuderis, hoc tibi in horreo redundat. Ne ergo seruando perdas, collige erogando. Da tibi, quod

Hom. 2. de Diui. tu alteri reliqueris, non habebis. *Et illud denique Magni Basilij*: Quemadmodum frumentum in terra lapsum, lucrum fit illi, qui proiecit: sic panis esurienti obiectus, multiplicē vtilitatem reddit. Quid igitur anxius es? quid affligis teipsum? luto & lateribus diuitias concludere contendens? *Hæc Scripturæ & Patres illi de incremento, quod Eleemosyna externis bonis adferunt. Quod si quis isthæc exemplis illustrare instituat, finem haud facile inueniet: extant enim præter quotidiana, pœne innumera vetusta, omni cauillatione euidentiora, è quibus vnum duntaxat hoc loco in medium adferre placet. Leontius igitur in hi-*

In vita Ioan. Elem. *storia, quam de Ioan. Eleemosynarij vita edidit, inter alia refert, sanctissimum virum ex ijs, qui præ ceteris in pauperes benigni videbantur, percunctari solitum, quanam ratione, vel occasione, ad illam cōmiserationis gratiam peruenissent, inter alios autē vnū oblatum, qui ita responderit.*

Eram, crede mihi Domine, prius valde immisericors, & crudelis: semel autem iacturam feci, & in paupertatem deueni. Cœpit autem cogitatio mea dicere mihi: Vere si esses misericors, non relinqueret te Deus. Statui ergo apud me per singulos dies dare quinque æreos nummos pauperibus. Et cum cœpissem dare, statim Satanas prohibebat me dicens: Vere quinque nummi sufficiunt domui tuæ ad alera, vel ad balneum percipiendum: & statim quasi id ex na-

torum

torum meorum faucibus eriperem, nihil dabam. Cū vero animaduertissem, quod à vitio superarer, dico puero meo: per singulos dies furare me nesciente quinque nummos, & da Eleemosynam (sum enim ego Trapezita Domine) Ille vero benefaciens cœpit furari denarios: Erat autem aliquando & siliqua. Cum ergo vidisset, quia benedicebamur, & diuitijs abundabamus, cœpit & tremisses furari, & dare. Semelitaque admirans benedictiones Dei, dixi ei: Vere multum profuerunt quinque isti nummi, volo ergo, vt des decem. Tunc mihi dixit puer subridendo: Vade gratias age furtis meis: Nam vere hodie non haberemus, quod manducaremus: sed si est fur iustus, ego sum: Tunc ergo dixit, quo modo tremisses dabat & siliquas. Et iam ex fide illius assueui, Domine, ex animo dare. Ædificatus ergo Sanctus valde dixit ad eum: Crede mihi, multas conuersationes Patrum legi, tale aliquid non audiui.

Et vt maxime totum illud, quod in pauperes erogatur, simpliciter, citra vllam spem reditus, à sorte decederet, adhuc insigne lucrum est, vnum hoc solum ex ijs omnibus, quæ in bonis externis habemus, hinc nos abeuntes comitari, quod in pauperes, alioqui pios vsus expendimus: reliqua omnia, vel nos deserunt, vel nos illa, velimus nolimus, deserimus. De hoc eleemosynarum fructu ita scribit Ambrosius: Facultates relinquentur hic, etiam si nolimus; bonorum autem operum conscientia, nobiscū pariter pergit ad Deum. *Hæc Ambrosius, à cuius sententia non multum recedit illud Augustini:* Felix operarius cultor eleemosynarum, eo quod ære suo comparauerit cœlum, & dans panem esurientibus, delictorum suorum pressit incendia. In tali causa operarius fælix viuit, & se-

Serm 81.

Lib. 50. Hom. 39.

curus moritur, cum quo ambulat patrimoniū in immortale horreum, in quo debitorem fecit Dominum, dum pascit alterum dando.

Lib. 3. cap 64. resum. *Facit ad idem quoque illud Isidori:* Grauiter in Deum delinquunt, qui diuitijs à Deo conceſſis non in rebus ſalutaribus, ſed in vſibus prauis vtuntur. Neſciunt impertiri pauperibus, oppreſſis ſubuenire deſpiciunt: & inde magis augent delicta, vnde redimere debuerunt. Hoc tantum habet boni poſſeſſio præſentium rerū ſi vitam reficiat miſerorum. Præter hoc, tentatio eſt mundi lucrum, tantoque maiora ſupplicia in futurū dabunt, quanto hęc ipſa maiora ſunt. Potentes enim potenter tormenta patiētur, Terrena omnia ſeruando amittimus, largiendo ſeruamus. *Et illud rurſum Baſilij magni:* Habes horrea, ſi voles, domus pauperum, reconde tibi ipſi theſaurum in cælo: Quæ illic reponunur, nō depaſcuntur tineæ, non corrodit caries, non prædantur fures, *Et illud tandem Beati Chryſoſtomi: Quæ ſtultitia eſt, illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es. Illic ergo ſubſtantiam tuam colloces, vbi patriam habes: Patet ex his ergo, admirabiles eſſe eleemoſynarum vires, tam in bonis comparandis & ſtabiliēdis, quam in malis propulſandis, & auertendis.*

Sap. 6.

EXPLICATIO OFFICII.

TOtum officium hodiernum pertinet ad opera miſericordiæ. Introitus habet vocem pauperis clamantis ad Dominum, & petentis miſericordiā, videt ſe eſſe ſine tecto peregrinum, & idcirco petit

tectum

tectum vmbram alarum Dei videt se infirmum & debilem & idcirco petit se custodiri vt pupillam oculi. Collecta petit idem pauper, dona salutaris continentiæ, inter quæ vtique principem locum tenet eleemosyna: si enim ieiunium caret hac virtute non iam virtus est sed auaritia. Lectio proponit clarissimum & nobilissimum exemplum misericordiæ. Quidam pauper etiam in illa sua paupertate fecerat eleemosynam Elizæo Prophetæ, tanta illi officia præstiterat, vt seruum illius se profiteretur: & hoc fecerat amore Dei, erat enim timens Deum. Moritur iste eleemosynarius, ita pauper vt creditores vellent sibi addici in seruitutem duos eius filios. Valido clamore indicat hoc Elizæo illius vidua, ita pauperem se esse ostendit, vt ne quidem ad necessarium victum res vlla sibi suppetat, habebat parum olei nec illud ad cibum sed ad vnctionem. Succurrit viduæ Elizæus eo modo quem habet lectio, quæ res confirmat ea quæ commemorauimus de eleemosyna, pius dator eleemosynæ accipit retributionem, & quomodo Deus imputat sibi, quod datur pauperi, sic tribuitur mortuo, quod fit eius vxori & liberis, parum dederat iste pauper Elizæo, quia nec multis egebat Propheta, & in tanta sua paupertate parum erat quod daret: fortassis exceperat hospitio, lauerat pedes lassi, panem & aquam subministrauerat, contra, centuplum redditur, solutionem omnis æris alieni, & facultates vnde vxor & filij eius viuerent in posterum: Iste pauper hospes Elizæi, fecerat eleemosynam in nomine Prophetæ, erat enim timens Deum, & idcirço accipit mercedem Propheticam, non accipit nummos, sed dono gratiæ supernaturalis quæ erat in Propheta, subuenitur mortuo. Præterea Elizæus subuenit extrema necessitate laboranti, &

tota

tota illa necessitate eam liberat, vltra nihil tribuit, non facit eam diuitem, solummodo facit vt filij non abducantur in seruitutem & ne fame ipsa cum illis moriatur, non dat illi res pretiosas, sed illud vile quod habebat multiplicat. Graduale pertinet ad lectionem Euangelij subsequentis, vbi agitur de alio genere misericordiæ Spiritualis, nempe de correptione fraterna, recte igitur dicit graduale. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Euangelium proponit duo opera misericordiæ Spiritualis, coreptionem peccantis, & condonationem offensæ: è quibus prior materia de correptone fraterna, siue de iniuria nobis facta, siue de peccato coram nobis vel nobis conscijs commisso, longioris est tractationis quam vt breuiter fieri id à nobis hoc loco possit. Offertorium instructum lectione & Euãgelio, de operibus misericordiæ, sciens fore, vt qui ad dexteram sunt futuri laudentur à Deo iudice, de operibus misericordiæ, & quod illi sint victuri non morituri narrantes opera Domini. Dextera, inquit, Domini fecit virtutem, Dextera Domini exaltauit me &c. Communio habet eundem sensum tribuit enim habitationem tabernacula Dei, requiem in monte sancto eius, illi qui operatur iustitiam, quod propius pertinet ad eleemosynam, quam, ad alia duo genera bonorum operum.

MISSA FERIA III. POST DOMINIC. III. QVADRAG.

INTROITVS.

Psal. 16. EGo clamaui quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: coustodi

cōuſtodi me, Domine, vt pupillam oculi: ſub vmbra alarum tuarum protege me.

Pſal. Exaudi Domine, iuſtitiam meam: intende deprēcationem meam. *Ibidem.*

Verſ. Gloria Patri, & Filio.

OREMVS.

EXaudi nos, omnipotēs & miſericors Deus: & continentiæ ſalutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum noſtrum.

CLamantium ad te quæſumus, Domine preces dignanter exaudi, vt ſicut Niniuitis in afflictione poſitis peperciſti, ita & nobis in præſenti tribulatione ſuccurre. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

IN diebus illis: Mulier quædam clamabat ad Eliſæum Prophetam, dicens. Seruus tuus vir meus mortuus eſt: & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit, timens Deum; Et ecce, creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi. Cui dixit Eliſæus: Quid vis, vt faciam tibi: Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit. Nō habeo, ancilla tua, quicquam in domo mea, niſi parum olei, quo vngar. Cui ait. Vade, pete mutuo ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca: Et ingredere, & claude oſtium tuum, cū intrinſecus fueris tu, & filij tui: & mitte inde in omnia vaſa hæc: & cum plena fuerint, tolles. Iuit itaque mulier & clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerebant vaſa, & illa infundebat. Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum. Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit. Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille. *4. Reg. 4.*

Vade,

Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem & filij tui viuite de reliquo.

Psal. 18. *Graduale.* Ab occultis meis munda me, Domine: & ab alienis parce seruo tuo.

Vers. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: & emundabor à delicto maximo.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

Cap. 18. IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit: lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit: adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos: dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit: sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis: quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Iterũ dico vobis: quia si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patrè meo, qui in cœlis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tũc accedens ad eũ Petrus. dixit. Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dixit illi Iesus. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

Psal. 117 *Offertorium.* Dextera Domini fecit virtutẽ: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem: non moriar, sed viuam, & narrabo opera Domini.

Secre-

Secreta.

PEr hæc veniat, quæsumus Domine, Sacramenta nostræ redemptionis effectus: qui nos & ab humanis retrahat semper excessibus, & ad salutaria dona perducat. Per Dominum nostrum.

Præfatio.

AEterne Deus, qui peccatorum animas non vis perire, sed culpas, & peccantes non semper continuò indicas, sed ad pœnitentiam prouocatos exspectas: auerte quæsumus, à nobis quam meremur iram, & quam optamus super nos effunde clementiam: vt Sancto purificati ieiunio electorum tuorum mereamur adsciſci collegio. Per Christum.

Communio. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in mõte sancto tuo, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. *Psal. 14.*

Post-Communio.

SAcris Domine, mysterijs expiati, & veniam quæsumus consequamur, & gratiam. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

TVa nos Domine protectione defende, & ab omni semper impietate custodi. Per Dominum.

COncede misericors Deus: vt deuotus tibi populus semper existat, & de tua clemẽtia, quod ei prosit indesinenter obtineat. Per Dominum.

Ad

Ad Benedictionem.

INclinet Dominus aurem ſuam ad præces noſtræ humilitatis,& det nobis gratiam ſuæ benedictionis, & præmium ſempternæ ſalutis. *Amen.*

Semper & vbïque Dominum propitiũ habeamus,& in eius laudibus exultemus. *Amen.*

Omnium peccatorum noſtrorum vincula ſoluat,& ad gloriam ſempitenam nos peruenire faciat. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA QVARTA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

De Primo Scrutinio.

MOnuimus Feria I I. Præcedente in hunc diem fuiſſe indictum primum Scrutinium Catechumenorum. Qua de re nunc eſt videndum. Omnium Sacramentorum nouæ Legis, primum ac ſumme neceſſarium, & aliqua ratione digniſſimum eſt Baptiſmus. Neque enim vllo alio Sacramento, meritum mortis Chriſti, & beneficium reſurrectionis eius, vel clarius ſignificatur, vel plenius à Chriſtianis percipitur, quam in Baptiſmo, in quo ita vere morimur peccatis, ſicut vere mortuus eſt Chriſtus, vera morte, id eſt vera ſeparatione animæ à corpore. Nõ enim ſolum condonantur peccata vt in Sacramento Pœnitentiæ, ſed radicitus vniuerſa, cuiuſcunque vel generis vel qualitatis ea exiſtant, de medio ita tollunt vt nec pœna, nec culpa vlla iam ſuperſit, qua impediatur Baptizatus, quo minus liber-

rimè

rimè sic ablutus transeat in vitam æternam, in illam gloriam, ad quam resurrexit Dominus in corpore suo. Recte igitur tempore Passionis & resurrectionis Dominicæ, solemniter olim in Ecclesiam administrabatur Baptismus, eatamen cautione, vt etiam extra illud tempus, quouis die atque tempore: omnibus etiam adultis daretur Baptismus. Hoc enim disertis verbis alicubi memini me legere, apud B. Augustinum. Verum cum in primitiua Ecclesia, multi essent adulti pagani & Iudæi, multi quos parentes non statim adducerent ad Baptismum, & eiusce-modi nec inuiti, nec sine fide admitti possent ad baptismum, solemnitates quoque Dominicæ resurrectionis, & Pentecostes huic negotio optime conuenirent, maxima grauissimaque authoritate. ea fuit olim Ecclesiarum consuetudo, vt publice ac summe solemni ritu res ea fieret in Paschate & Pentecoste. Adduxit postremo ista ratio aliam quoque, & eam necessariam Ecclesiæ consuetudinem; vt ex eo genere hominũ nemo Baptizaretur, qui non etiam ante didicisset, quænam esset religio Christianorum, quique voluntate liberrima initiati hac religione postularet quod genus hominum hac sua voluntate iam quidem erat segregatũ à Iudæis, & Paganis, inter fideles tamen nondum censebatur, & voce Græca vocabantur catechumeni; erantque illi ipsi duorum generum. Illi enim qui hoc suum studium, hanc suam voluntatem profitebantur, cum id primum facerẽt, tum simpliciter dicebantur catechumeni, vel etiam auditores. Postea vero cum eo res esset perducta, vt darent nomina sua, peterentque sibi administrari Baptismum, iam alio nomine dicebantur Catechumeni electi, competentes, illuminandi, & hi sunt illi qui septem scrutiniis examinabantur, & certis cere-

moniis,

monijs, quibuſdam velut gradibus ducebantur, & præparabantur ad initia ſanctiſſimæ auguſtiſſimæq; religionis Chriſtianæ. Fuit cum ſine huiuſmodi ritibus ſubito ad vnam B. Petri exhortationem ſine alia catecheſi multa hominum millia ſimul baptizarentur, verum res ea tam non eſt exemplum, quã non eſt propoſita ad imitationem pœnitentiæ latronis conuerſi in Cruce. Eſt autem vox iſta Catechumenorum vox Græca, in qua lingua verbum κατηχίω, ſignificat, audire, erudiri initiari, voce erudiri à ἠχῆν, id eſt voce ſonare. Lucianus de Poetis κατηχοῦσι μυθοῖς, id eſt fabulis perſonant, vel fabulis inſtruunt lectorem. Qua ratione rectiſſime vſurpata eſt iſta vox à Chriſtianis, qui religionem ſuam tradebant viua voce, & qui nefas ducebant myſteria libris cõmittere. Qui vero ſic traditam religionem accipiebant dicebantur Catechumeni, & traditiones ſeu, inſtructiones, catecheſes. Facta quoque eſt, ea vox, ita populares, vt ea etiam vterentur Latini. Fuiſſe vero in Eccleſiam iſtam diſtinctionem auditorum, & Catechumenorum ſic ſpecialiter nominatorum, patet ex cano. 14. Concilij Niceni: Placuit (inquit canon) hoc ſancto & magno Concilio, de Catechumenis, qui lapſi ſunt, vt tribus annis, inter audientes verbum ſint tantummodo, poſt hæc vero orent cum Catechumenis. Conſtituta fuerat res eadem paulo ante in Concilio Neocæſarien. cano 3. Catechumenus (inquit) ſi ingrediatur Eccleſiam, & in ordinem eorum qui inſtruuntur aſſiſtat, hic autem ſi deprehenſus fuerit peccans, ſi quidem genu flectit, audiat, vt non delinquat vlterius, ſi vero vt audiens peccauerit, expellatur. Clariſſime quoque oſtenditur iſtud diſcrimen in Miſſa B. Clementis, in qua diſtincte initio oratur pro Catechumenis, & illis dimiſſis,

pro

pro pœnitentibus & energumenis, postremo pro baptizandis & illuminandis. Isidorus. lib. 2. cap. 20. & 21. de Ecclesiæ officiis. Iam nunc inquit rationem Sacramentorum sive ordinem ad Fidem venientium prosequamur, quorum gradus primus est Catechumenorum, secundus Competentium, tertius baptizandorum. Catechumeni sunt, qui primum de gentilitate veniunt habentes voluntatem credendi in Deum, & quia primum exhortationis præceptum est in lege Dei. Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus vnus est. Inde est, vt is cui per sacerdotem, quasi per Moysen, Deus primum loquitur, Catechumenus, id est audiens nominetur, scilicet vt vnũ agnoscens Deum, relinquat errores nefarios idolorum. Et deinde idem Isidor. capit. seq. Post Catechumenos secundus Competentium gradus est. Competentes autem sunt, qui iam post doctrinam fidei, post munditiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam festinant, ideoq; appellantur Competentes, id est gratiam Dei petentes, nam Catechumeni tantum audiunt, non petunt. Sunt enim quasi hospites & vicini fidelium, de foris audiunt mysteria, audiunt gratiam, sed adhuc non appellantur fideles, Competentes autem, iam petunt, iam accipiunt, iam catechizãtur, id est, imbuuntur instructione fidei, & Sacramentorum. Istis enim salutis symbolum traditur, quasi commonitorium fidei, & sanctæ confessionis indicium quo sanctè agnoscant, quales iam ad gratiam Dei exhibere se debeant. Verum primi Latini scriptores Ecclesiastici videntur promiscue Catechumenos omnes, vocasse auditores vel audientes, sic Tertullianus in libro de Pœnitentia. Nemo ergo sibi aduletur, quia inter auditorum tyrocinia deputatur, quasi ei etiam nunc delinquere li-

ceat, Dominum ſimul cognoueris, timeas, ſimul inſpexeris reuereatis. Cæterum quid te cognouiſſe intereſt, cum ijſdem incubas, quibus retro ignarus? quid autem te à perfecto Dei ſeruo ſeparat? An alius eſt intinctis Chriſtus, alius Audientibus, num ſpes alia vel merces, alia formido iudicij, alia neceſſitas pœnitentiæ. *Et paulo poſt.* Hęc enim prima Audientis intinctio eſt, metus integer. *Et Cyprianus, epiſt. 13. & 24. vtitur voce audientium eadem ſignificatione, vt intelligantur illi, qui ſermone, ſine ſcripto inſtituuntur in fide Chriſti, quamquam & apud Tertullianum exſtet vox Catechizare & Catechumenorum, in lib. de Idololatria. Quare an Idololatriam committat, qui de Idolis Catechizat. Catechumenorum, meminit in lib. de corona militis. cap. 2. & omnium clariſſime, in lib. de præſcript. contra hereticos* Imprimis *inquit* quis Catechumenus, quis fidelis incertum, pariter adeunt, pariter audiũt, pariter orant. *Et paulo poſt.* Ante ſunt perfecti Catechumeni, quam edocti. *Iſti igitur electi, vt eos vocat ordo Romanus, vel competẽtes, vt B. Auguſtinus.* (Quid enim aliud *inquit* competentes, quam ſimul petentes,) *Iſta Feria 4. in Eccleſia Romana ſcrutabantur. Aliud vero eſt ſcrutari, aliud Catechizari, ea vtriuſque rei differentia, quæ eſt in ſcholis inter docere; & exigere à diſcipulo, quid didicit, quod eſt proprie ſcrutari. Præterea Catechezis eſt nuda inſtructio, ſcrutinium præter inſtructionem, quæ ſemper coniuncta eſt examinationi, continet etiam quandam operationem ſeu verius præparationem ſacramentalem Baptiſmi, propius aliquo modo pertinentem ad ipſius ſacramenti ſubſtantiam, quam nuda inſtructio,*

quam

quam poterant habere etiam Pagani & Iudæi, qui tamen non erant idonei iis quæ fiunt in Scrutinio. Extãt Catechezes Cyrilli Archiepiſcopi hieroſolymitani, & multæ conciones B. Auguſtini ad Competentes, quæ nihil ſunt aliud, quam nudæ inſtructiones de fide, & bona vita, ſine vlla operatione, circa baptizandos, qualis eſt in ſcrutiniis, quod vt maxime ita ſit, videntur nihilominus hæ Catechezes, maiore planè cura fuiſſe frequentatæ per quadrageſimam temporibus ſcrutiniorum, quam vllo tempore reliquo. Qua ratione in Procatechezi ſeu præfatione Catechezeon illos ſolos alloquitur Cyrillus qui iam proximi erant Baptiſmo, quos diſtinguit à Catechumenis audientibus. Iam inquit ab hodierna die vitam agens conſidera, Catechumenus vocabaris, foris ſubſiſtens, audiebas ſpem & neſciebas, audiebas myſteria, & non intelligebas, audiebas ſcripturas, & profunda illarum ignorabas. Nunc verò non amplius foris, ſed intus ſonas hoc eſt. Iam non amplius ſuperficie tenus diſcis vocem exteriorem hominis audiens, ſed intus etiam Spiritu ſancto doceris, inhabitans enim ſpiritus diuinas ædes in mente tua ædificat. *Hæc Cyrillus, qui iſtis poſtremis verbis, explicat omnem finem ſcrutiniorum, nempe vt Spiritus diuinas edes in mente edificet, quod non tam refertur ad ipſum Baptiſmum, quam ad ea quæ præcedunt in Scrutiniis, toto enim eò ſermone alloquitur iſtos ſcrutandos.* Ego te admoneo, inquit, priuſquam Ieſus animarum ſponſus ingrediatur, & amictum tuum videat, ſatis longum habes interuallum, cum pœnitentia dierum 40. tibi datur, habes magnam opportunitatem, & exuendi & abluendi, & rurſum induendi atque intrandi.

Et rursum. Cessato iam hodierna die, ab omni turpi negotio, non proferat lingua tua obscæna verba, non peccet amplius oculus tuus, neque commoditatibus inhiet & insistat; festinét pedes tui ad catechezes audiendas. Exorcismos studiosè suscipe, etiãsi inspiratus iã sis, & exorcizatus; salubris enim est tibi res ista. Nam vt rude infectumque aurum vel adulteratũ, multisque alijs commixtum mineris, vti cum ære, stanno, ferro, plumbo, si cupimus aurum tantũ habere, non poterit illud sine igne, ab diuersis à se metallis purgari: sic absque exorcismis anima progredi non poterit. Diuini enim sunt ex diuinisque scripturis collecti. *Discimus præterea ex Cyrillo veri & proprijssimi nominis catechezes nõ fuisse propositas, nisi Competentibus istis nimirum qui dederunt nomina sua ad Baptismum.* Accipe inquit hanc admonitionem, vt ea quæ in catechezibus traduntur, sic discas, quò possis ea in perpetuum custodire. Non existimes institutiones illas esse similes homelijs, quamuis & illæ bonæ sint, & fide dignæ, verum si quid in illis hodie neglexerimus, cras discere poterimus. Hæc verò quæ de lauacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, si hodie neglexeris, quando tandem corrigentur. Existima tempus id esse plantationis arborum, quas nisi fodiamus & inseramus, quando tandem poterit rectius plantari, quod semel est malè plantatum. Ædificium quoddam esse intelligas catechezim, ac nisi ordine vinculis constringamus structuram, ne quid laxum & hians reperiatur, debile fiet ædificium, sed est operæprecium lapidem lapidi apponi, & angulum angulo cóiungi,

iungi, atque ſuperfluis abſcißis perfectas ædes efficere: ad eundem modum adferimus tibi tãquam lapides cognitionis, audire oportet de Deo viuente, audire opus eſt de Chriſto, audire neceſſe eſt de reſurrectione, & alia permulta ex ordine dicenda ſunt. *Et paulò poſt.* Cum autem catechezis recitatur, ſi Catechumenus quęſierit, quid docebant doctores, nihil dicas extra, myſteria enim tibi, & ſpem futuri ſeculi tradidimus, cuſtodi hoc myſterium retributori nec vnquam dicentem audi. Quid obeſt, ſi & ego didicero? *Et paulo poſt.* Vnius matris filij & filiæ facti eſtis omnes, qui hic nomina dediſtis, cum ante horam exorciſmorum ingrediemini, vnuſquiſque veſtrum pietatis verba proferat, & ſi quis veſtrum aberit perquirite, ad cœnam ſi vocatus fueris, nonne expectares alium pariter vocatũ? fratrem ſi haberes, nonne & fratri benefacere velles? Ne ſis curioſus deinceps, in rebus inanis, ne quæras quid fecerit oppidum, quid rex, quid epiſcopus, quid egerit ſacerdos, ſurſum reſpice, tempus hoc ipſum expoſcit. Vacate & cognoſcite, quia ego ſum Deus, ſi videris fideles in miniſterio ſecuros, rem certam tutamque habent, ſciunt quid acceperint, gratiam ſuſceperũt. Tu verò adhuc in bilance aut conſequendi aut non conſequendi conſiſtas. Ne imiteris illos qui nulli vacant meditationi ac reuerentiam adhibe, cum fit exorciſmus. *Atque hæc ex Cyrillo idcirco tranſcripſimus, vt oſtenderemus quid eſſet catechezis, qualis eſſet differẽtia inter Audientes, qui à Cyrillo, ſi recte verſus eſt à Groderio, ſimpliciter vocatur Catechumeni, & eos qui iam dederunt nomina ſua ad ſuſcipiendum baptiſmum.*

ptiſmum; quanta quoque ſit dignitas exorciſmi, & an non forſan idcirco dicantur ſcrutinia quod velati furem, ſic eccleſia exorciſmis ſcrutetur dæmonem. Vt igitur ſemel rem iſtam finiamus, in ordine Romano exſtat vetus ordo ſcrutinij, non ille, meo equidem iudicio vetuſtiſſimus, ſed paulo poſterioribus eccleſiæ temporibus conſcriptus, quò, vt putem, faciunt verba collectoris eorum libellorum qui totam eam actionem omnibus pœnè tribuit infantibus: ſcio in huiuſmodi ſcriptoribus verba accipienda eſſe populariter, neque in ijs quæri oportere, eam rationem quam vel Varro, vel Cicero fuerant obſeruaturi, atque ea de cauſa vocem infantium poſſe accipi pro pueris etiam adultioribus præſertim cum dicat ordo vocari ſingulos ſuis nominibus, ſtatui maſculos ad dexteram, fœminas ſeorſim ad ſiniſtram. Tamen cum libro 6. capite 56. dicat Durandus etiã ſuo tempore in Italia fuiſſe conſuetudinem ſcrutiniorum, videtur ſic accipiendus ordo Romanus, vt eſt in rebus alijs multis, retentas nempe fuiſſe ab eccleſia veteres formulas, re ſublata, atque ea ratione collectorem recitaſſe veteres formulas, quibus ſuo tempore eccleſia vteretur, & ſimul nomine infantium explicaſſe, quid ſuo tempore fieri conſueuerat. ſic in Baptiſmo oramus pro catechumenis, & paganis. Sabbatho ſancto benedicimus cereum Paſchalem, ſic retinemus nomen vigiliarum, alia præterea multa, ſublato earum rerum vero ac naturali vſu. quod certè eccleſiæ inſtitutum tam non debet reprehendi, vt contra grauiſſimè ij peccare ſint exiſtimandi, qui eccleſijs ea tollunt ornamenta, quæ in antiquitate præclariſſima exiſtunt, deinde quæ fuerunt ea alicubi, oriri denuo poſſunt tempora. Quis enim non vehementer laudauerit Patres qui in India labo-

rant,

rant, si quibus formulis vetus ecclesia, eodem negotio & ipsi vtantur. Cuius rei cognitionem perire est necesse si ex vsu ecclesiastico ista tollantur, quæ diximus. Vtcumq; sit, ordo Romanus exponit nobis missam huius scrutinij, ante cuius Introitum ista siebant. Hora tertia scribuntur nomina infantium, vel eorum qui ipsos sunt suscepturi, fortè si infantes nondum habent nomina. Eare peracta clamat Diaconis. Catechumeni procedant, & Acolythus vocat in ecclesiam singulos, eo ordine quo sunt descripti, & statuuntur ad ianuam ecclesiæ seorsum, masculi ad dexteram, & fœminæ ad sinistram, benedicitur cinis, benedictus spargitur super eos qui scrutinia sunt habituri. Hoc expleto de sputo oris sui tangit singulorum aures, & nares. Ad aurem dextram dicit, Epheta, quod est, adaperire. Ad sinistram. Tu autem effugare Diabole, appropinquabit enim iudicium Dei. Ad nares, in odorem suauitatis. Tunc inuocato nomine infantis presbyter dicit. Abrenuncias Sathanæ: Respondet Abrenuncio. Et omnibus operibus eius: Respondet Abrenuncio. Et omnibus pompis eius: Respondet Abrenuncio. Deinde dicit presbyter. Credis in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. Respondet Credo. Credis & in Iesum Christum filium eius, vnicum Dominum nostrum, natum & passum. Respondet Credo. Credis & in Spiritum sanctum. sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, & vitam æternam. respondet credo. Tunc exsufflat in faciem tribus vicibus dicendo. Exi immunde spiritus, & da locum Spiritui sancto paracleto, & tunc primitus faciat presbyter in singulorum frontibus crucem cum pollice, ita dicendo. In nomine Patris, & Filii, &

Spiritus ſancti, & imponens manum ſuper capita eorum dicat. Omnipotens ſempiterne Deus, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, &c. Item ſuper fœminas faciat ſimiliter. Deinde benedicit ſalem, & de ſale benedicto mittit in ora infantium, per ſingulos dicendo. Accipe ſalem ſapientiæ propitiatus in vitam æternam. Sequitur oratio. Deus patrum noſtrorum Deus vniuerſæ conditor veritatis, &c. Tunc dicat. Diaconus. Catechumeni recedant. Inde exeant foras eccleſiam, & inchoatur miſſa.

INTROITVS.

DVm ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum.

Pſal. Confitemini Domino & inuocate.

Collecta.

DA quæſumus Domine electis noſtris vt ſanctis edocti myſterijs, & renouentur fonte baptiſmatis, & inter eccleſiæ tuæ membra numerentur.

DA quæſumus Domine, electis noſtris digné & ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere, vt dignitati priſtinæ, quam originali tranſgreſſione perdiderunt, per tuam gratiam reformentur. Per Chriſtum.

Clamat

Clamat Diaconus. Catechumeni procedant, citantur ab Acolytho, & ſtatuũtur vt ſupra, Et poſtmodum à Diacono iſta formula, monentur. Orate electi, flectite genua, & poſtquam orauerunt dicat denuo. Leuate, complete orationem veſtram & dicitur. Amen, Et reſpondent omnes. Amen. Dicit rurſum Diaconus. Signate illos, accedite ad benedictionem, & ſignant illos in frontibus eorum patrini & patrinæ, cum pollicibus ſuis dicendo. In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Tunc veniat Acolythus iterum faciens crucem in frõtibus ſingulorum, ita dicendo. In nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti. Deinde ſequuntur trini exorciſmi in hunc modum. Acolythus imponit manum ſuper eos, & excelſa voce dicit, quę ſequuntur.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, **Deus qui Moyſi famulo tuo in monte Synaï apparuiſti, & filios Iſraël de terra Ægypti eduxiſti, deputans eis angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte. Te quæſumus Domine, vt mittere digneris ſanctum angelum tuum, vt ſimiliter cuſtodiat & hunc famulum tuum N. & perducat eum ad gratiam baptiſmi tui. Ergo maledicte diabole recognoſce ſentẽtiam tuam, & da honorem Deo viuo & vero, da honorẽ Ieſu Chriſto filio eius, & Spiritui ſancto, & recede ab his famulis Dei, quia iſtos ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuã ſanctam gratiam & benedictionem fontemq; baptiſmatis vocare dignatus eſt. Et hoc ſignum ſanctæ crucis, quod nos frontibus eorũ damus, tu maledicte diabole nunquã audeas violare.**

Et

Et vertat ſe ad fœminas, & faciat crucem in frontibus earum, vt ſuperius, & imponat manum ſuper capita ſingularum, dicendo:

Deus cœli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus omnium bene viuentium, Deus cui omnis lingua confitetur; & omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, te inuoco Domine, vt hanc famulam tuam N. perducere digneris ad gratiam baptiſmi tui. Per. Ergo maledicte Diabole.

Et annunciat Diaconus, dicens: Orate electi, flectite genua, & reliqua. Et ſignant patrini vt prius; & ſequitur alius Acolythus, vt ſuper maſculos faciat crucem, ſicut prius fecit, & imponens manum ſuper eos, dicit: Audi maledicte ſatanas, adiuratus per nomen æterni Dei, & Saluatoris, noſtri filij eius, cum tua victus inuidia tremens, gemenſque diſcede. Nihil tibi ſit commune cum ſeruo Dei. N. iam cęleſtia cogitanti, renunciaturo tibi ac ſeculo tuo, & beata immortalitate victuro. Da ergo honorē aduenienti ſpiritui ſancto, qui ex ſumma cęli arce deſcendens, proturbatis fraudibus tuis, diuino fronte purgatum pectus, id eſt, ſanctificatum Deo templum & habitaculum perficiat, & ab omnibus penitus noxijs præteritorum criminum liberatus ſeruus Dei N. gratias perēni Deo referat ſemper, & benedicat eius ſanctū̃ nomen in ſecula ſeculorū̃. *Amen.* Item ſuper fęminas ſimiliter faciens crucem, imponit manum ſuper eas, dicens:

Deus Abrahā, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus

qui

qui tribus Israël de Ægypti seruitute liberasti per Moysen famulũ tuũ & de custodia mãdatorũ tuorũ in deserto monuisti, & Susãnã de falso crimine liberasti, te supplex deprecor Dñe, vt liberes hanc famulam tuam N. & perducere eã digneris ad gratiã baptismi tui. Ergo maledicte.

Item diaconus dicit Orate electi, & reliqua. Et signant patrini, vel matrinæ, vt superius. Inde tertius Acolythus facit crucẽ in frontibus puerorum, sicut anterior fecit, & imponit manum super capita eorum, dicendo.

Exorcizo te immũde spiritus in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui pedibus super mare ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexit, Ergo maledicte. Item super fœminas faciens crucem vt prius, imponit manum super capita earum, dicendo: Exorcizo te, immunde spiritus, per Patrem & filium & Spiritumsanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei N. Ipse enim tibi imperat maledicte damnate, qui cęco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarũ de monumento suscitauit. Ergo maledicte. Et admonet Diaconus. Orate electi, & reliqua, sicut antea. Et signãt patrini, sicut prius. Tunc presbyter accedit, faciens crucẽ in singulorum frontibus, sicut prius, & imponit manũ super capita ipsorum, dicens hanc orationem.

Æternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor Domine sancte, pater omnipotens, æterne Deus luminis & veritatis, super hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eum & sanctifica,

ctifica,da ei ſcientiam veram, vt dignus efficia-
tur accedere ad gratiam baptiſmi tui. Teneat
firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam
ſanctam, vt aptus ſit ad percipiendam gratiam
baptiſmi tui. Per Dominũ noſtrũ Ieſum Chri-
ſtum, qui venturus eſt iudicare viuos & mor-
tuos & ſeculum per ignem. Item facit idipſum
ſuper fœminas, ſimiliter dicens ipſam oratio-
nem: Æternam ac iuſtiſſimam. Iſtis omnibus
cõſummatis, iterum admonentur à Diacono,
ita: Orate electi, flectite genua. Et poſt paululũ
dicit Leuate: Complete orationem veſtram in
vnum, & dicite, Amen. Reſpondẽtibus autem,
Amen, iterum dicit: Signate illos, ſtate cũ diſci-
plina & ſilentio, audientes attentè. Et ſignant
patrini vt prius. Inde reuertitur ſacerdos ad ſe-
dem ſuã, & legitur lectio Ezechielis Prophetę:
Hæc dicit Dominus, Effundã ſuper vos aquam
mundã, & mundabimini ab omnibus inquina-
mentis veſtris, & ab vniuerſis idolis veſtris mũ-
dabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritũ
nouum ponã in medio veſtri. Et auferã cor la-
pideum de carne veſtra, & dabo vobis cor car-
neũ, & ſpiritũ meũ ponã in medio veſtri, & fa-
ciam vt in pręceptis meis ambuletis, & iudicia
mea cuſtodiatis, & operemini, & habitabitis in
terra quã dedi patribus veſtris. Et eritis mihi in
populũ, & ego ero vobis in Deũ, & ſaluabo vos
ex vniuerſis inquinamẽtis veſtris, dicit Dñs om
nipotens. Sequitur reſponſoriũ grad. Adſpiciã
vos, & creſcere faciã. Poſtea admonentur à Dia-
cono ita: Catechumeni recedant: Si quis Cate-
chumenus eſt, recedat: Omnes catechumeni
recedant foras. Et egrediuntur de eccleſia ipſi
electi,

electi, exspectantes pro foribus vsq; dum completa fuerint Missarum solennia. Deinde legitur Euangelium secundum Matthæum:

In illo tempore, Respõdens Iesus, dixit: Cõfiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudẽtibus, & reuelâsti ea paruulis. Ita pater, quoniam sic fuit placitum ante te, Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius, & cui filius voluerit reuelare. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis, requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Et offerũtur oblationes à parentibus vel ab his qui ipsos susceperuri sunt, & ponit ipsas sacerdos super altare, & dicit orationem secretam.

Secreta.

Miseratio tua, Deus, ad hæc percipienda mysteria famulos tuos N. quæsumus, & proueha competenter, & deuota conuersatione perducat. Per.

Infra canonem vbi dicit, memento Domine famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos susceperuri sunt ad sanctam gratiã baptismi tui, recitantur nomina virorum ac mulierum, qui ipsos susceperuri sunt infantes. Item infra Agendam.

Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ, quæsumus Domine vt placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad

æternam vitam, & beatum gratiæ tuæ donum eligere atque vocare dignatus es. Hoc expleto, recitantur nomina electorum. Postquam recitata fuerint, dicat.

Hos Domine fonte baptismatis innouãdos, spiritus tui munere ad sacramentorum tuorũ plenitudinem poscimus præparari iubeas, dieſque nostros in tua pace disponas &c.

Post-Communio.

Adesto Domine, quæsumus, nostræ redemptionis effectibus, vt quos sacramentis æternitatis instituis, eisdem protegas dignanter aptandos. Per.

Super populum.

Suppliciter Domine sacra familia munus tuæ miserationis expectat, concede quæsumus, vt quod te iubente desiderat, te largiente percipiat. Per.

Finitis vero Missarum solennijs, communicent præter ipsos infantes. Deinde annunciat presbyter, vt in ipsa hebdomada reuertantur ad scrutinium, ita dicendo: Die sabbati veniente, colligite vos temporius ad ecclesiam illam, vel illam. Venientes autem omnes ad ipsum diem, sicut eis denunciatum fuit, faciunt ipsum scrutinium, & Missam per omnem ordinem, sicut superius scriptum est.

Atque hic est ordo primi scrutinij, cuius actionis caput sunt Exorcismi, vt notauimus ex Cyrillo, de quibus, cæteriſque quæ hoc scrutinio multa occurrunt dicemus scrutinio proximo.

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

ISta Feria Quarta imperat nobis obſeruationem mandatorum Dei, quæ proponuntur in Epiſtola, & de quorum vera obſeruatione tractatur in Euãgelio, quod grauiter eos damnat qui neglectis Dei mandatis intendunt vanis & futilibus doctrinis, qui ſimulatione pietatis intendunt auaritiæ, qui magis procurant vt donetur templo, quam vt alantur parentes. Præterea eccleſia hoc tempore ieiunij proponit nobis in Euangelio illa verba Domini: Quod intrat per os non coinquinat hominem, hoc ipſo docens, hæc verba nihil facere contra delectum ciborum & ieiunium. ſi enim illa ſententia ſic fuerat accipienda non illam propoſuiſſet legendam in ieiunio, quin & ob huius ſententiæ veritatem tempore Chriſti licuiſſet veſci porcina, & ieiunia in vniuerſum ea ſententia fuiſſent damnata, cum tamen & Chriſtus ipſe ieiunauerit, & alijs id faciendum imperauerit, fuiſſet quoque ea ratione mala lex Apoſtolorum, quæ iuſſit abſtinere à ſuffocato à ſanguine & ab idolothytis. Scribæ & Phariſæi ſic craſſè vetabant manducationem panis illotis manibus, ac ſi res ea maculam & noxam inferret animæ, quomodo hoc facit peccatum, & tranſgreſſio mandatorum Dei Dominus contra dicit, cibum ſeruire corpori non animæ, atque illum deſcendere in ventrem, atque inde dimitti in ſeceſſum, proinde cibo propriè non conuenire illud quod dicebant Iudæi, multo minus cibo mundo, manducato ſine lotione. Cætera quæ ſunt in Introitu & alijs partibus officii pertinent ad votum & deſiderium eorum, qui ſtudent ambulare viam

mandatorum Domini, quid enim eſt aliud à noxijs vitijs abſtinentes quod eſt in collecta, quã obſeruatio mandatorum Dei ad quam erudimur ſalutaribus ieiunijs, vt ſic facilius impetremus Dei propitiationẽ. Quid eſt, in te Domine ſperaui, quod eſt in Introitu, aliud, quam intendere in voluntatem Dei & non ſuam, quia ſua confundit, Dei nõ confundit in æternum, In iuſtitia tua libera me, in tua non in mea, ſi enim in mea, ero ex illis de quibus ille ait, Ignorãtes Dei iuſtitiam & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti, ergo in tua iuſtitia non in mea quia mea quid? Preceſſit iniquitas; & cum ero iuſtus, in tua iuſtitia erit, quia iuſtitia mihi abs te data iuſtus ero, & ſic erit mea, vt tua ſit, id eſt abs te mihi data. Et vt agnoſcamus infirmitatem noſtram ad implenda Dei mandata dicimus in Graduali. Miſerere mei Domine quoniam infirmus ſum, intuemur quoque vultum noſtrum in ſpeculo mandatorum & lugemus in Tractu deformitatem eius. Offerentes quoque nos Domine ad implendam eius voluntatem & reſignandam eam quæ noſtra eſt, imploramus eius miſericordiam vt illius ſuauitas tollat amaritudinem reſignationis. Et quia ille qui per obſeruationem mandatorum vnum factus eſt, cum Deo, iam lætatur in obſeruatione mandatorum, idcirco dicit Communio: Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

MISSA

MISSA FERIA IIII. POST DOMINIC. III. QVADRAG.

INTROITVS.

EGo autem in Domino ſperabo: exultabō & lætabor in tua miſericordia: qui reſpexiſti humilitatem meam. *Pſal.* 30.

Pſal. In te Domine ſperaui non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me. *Verſ.* Gloria. *Pſal.* 70.

OREMVS.

PRæſta nobis quæſumus, Domine, vt ſalutaribus ieiunijs eruditi, à noxijs quoque vitijs abſtinentes, propitiationem tuam faciliùs impetremus. Per.

MIſerere iam quæſumus Domine populo tuo & continuis tribulationibus laborantem celeri protectione lætifica. Per Dominum.

Lectio libri Exodi.

HÆc dicit Dominus Deus: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium. Non concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis vxorem eius: non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumigantem, & perterriti, ac pauore concuſſi, ſteterunt Cap. 20.

runt procul, dicentes Moysi : loquere tu nobis,& audiemus. Non loquatur nobis Dominus:ne fortè moriamur. Et ait Moyses ad populum. Nolite timere : vt enim probaret vos, venit Deus,& vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis . Stetitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem , in qua erat Deus . Dixitque præterea Dominus ad Moysen . Hæc dices filijs Israël: vos vidistis, quod de cœlo locutus sum vobis. non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi,& offeretis super illud holocausta,& pacifica vestra:oues vestras,& boues, in omni loco , in quo memoria fuerit nominis mei.

Psal.6. *Graduale.* Miserere mei,Domine,quoniam infirmus sum:sana me,Domine. *Vers.* Conturbata sunt omnia ossa mea,& anima mea turbata est valdè.

Psal.102 *Tractus.* Domine , non secundum peccata nostra,quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Psal. 78. *Vers.* Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum citò anticipent nos misericordiæ tuæ , quia pauperes facti sumus nimis.

Ibidem. *Vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos:& propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

Cap. 15. IN illo tempore : Accesserunt ad Iesum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi, dicentes.

Quare

Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas, cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis. Quare & vos transgredimini mãdatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit patri, vel matri: munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Isaias, dicens. Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominũ. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis. Audite, & intelligite. Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei. Scis, quia Pharisæi, audito hoc verbo, scandalizati sunt? At ille respondens, ait. Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos. Cæci sunt, & duces cœcorum. Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadũt. Respondens autem Petrus, dixit ei. Edissere nobis parabolam istam. At ille dixit. Adhuc & vos sine intellectu estis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt: & ea coinquinant hominem? De corde enim exeunt cogitationes malę, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa

Exod. 20.

Isa. 29.

falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem.

Psal. 108 *Offertorium* Domine, fac mecum misericordiam tuam, propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua.

Secreta.

SVscipe, quæsumus, Domine, preces populi tui, cum oblationibus hostiarũ, & tua mysteria celebrantes, ab omnibus nos defende periculis. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus tuamque misericordiam suppliciter exorare, vt ieiuniorum nostrorum, sacrosancta mysteria, tuæ sint pietati semper accepta: concedasque vt quorum corpora abstinentiæ obseruatione macerantur, mentes quoque virtutibus, & cœlestibus institutis exornentur. Per Dominum.

Psal. 15. *Communio.* Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine.

Post. Communio.

SAnctificet nos, Domine, qua pasti sumus, mensa cœlestis: & à cunctis erroribus expiatos, supernis promissionibus reddat acceptos. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

Humiliate capita vestra Deo.

COncede, quæsumus omnipotens Deus: vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus secura tibi mente seruiamus. Per Dominum.

Deus

DEus qui nos formam humilitatis ieiunando,& orando vnigeniti tui Domini noſtri imitatione docuiſti,cõcede quęſumus,vt quod ille iugi ieiunorum continuatione compleuit, nos quoque per partes dictum facias adimplere. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

DEuotionem noſtram Dominus dignanter intendat,& ſuæ nobis benedictionis dona concedat. *Amen.*

Taliſque nos in præſenti ſęculo ſubſidio muniat, vt paradiſi nos in futuro habitatores efficiat. *Amen.*

Sicque corda noſtra ſanctificando benedicat,& benedicendo ſanctificet, vt nobiſcum, immo in nobis eum iugiter habitare deleꝛ ctet. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA QVINTA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

De ritibus peculiaribus in Quadrag.

IN explicatione ieiunij Quadraſigemalis ſex capita nobis propoſueramus è quibus reſtat poſtremũ;quoſnã habeat eccleſia ritus peculiares tempore quadrageſimæ in officio diuino.

Qua in re primò occurrit quod feriæ per totam quadrageſimam , habeant peculiarem Miſſam, quod non occurrit alijs ferijs,quæ vt lęquuntur ſcriptores, inofficiantur ex Dominica quam ſequuntur,

exceptis ferijs ieiunii quatuor Temporum, quæ sicut feriæ Quadrageſimales, habent & ipſæ officium peculiare. Cauſa vero huius rei ea exiſtit, quòd quadrageſima exigat a nobis maximam atque eam cõtinuam deuotionem, & meditationem dominicæ paſſionis: & forſan non male quis exiſtimauerit quomodo certa lege tenemur audire Miſſam diebus dominicis & feſtis, ſic ex mente eccleſiæ idem faciendum eſſe omnibus feriis quadrageſimæ.

Secundò. Dies Dominici ſolas nobis proponunt lectiones ex Apoſtolis: Feriæ vero iſtæ vt plurimum proponunt nobis lectiones ex veteri teſtamento. Ratio huius rei ea ni fallor exiſtit, quod die dominico, nulli conuenientius debuerunt citari teſtes Dominicæ reſurrectionis, atque illi qui ad hoc munus peculiariter fuerunt delecti a Domino. Apoſtolorum enim munus in eo maxime verſabatur, vt teſtarentur Ieſum crucifixum, ſurrexiſſe a mortuis: quæ ratio non militat in feriis, quamobrem cum vtriuſque ſcripturæ veteris & nouæ vnus & idem ſit author Deus, rectè iſtis feriis vtimur vetere ſcriptura vna cum noua quæ proponitur in Euangelio.

Tertiò, Feria Secunda, Quarta & Sexta, per quadrageſimam habent Tractum, Domine non ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos. *Qua de re aliquid notandum eſt Tractus vt plurimum pertinet ad humiliatem, & ea re vt tradit Amalarius, differt Tractus a Reſponſorio, quod huic reſpondeat Chorus, Tractui non item. Præterea dicit Amalarius: Tractum & Reſponſorium eo modo differre, quo differunt ſacrificium columbarum a ſacrificio Turturum. De quibus dicit Beda in tractatu ſuper Lucam:* Volucres hæ pro cantu gemitus habent. Non immerito lachrymas humilium

milium designant: quibus plurimùm in ipsis etiam bonis operibus indigemus: quia & si bona esse quæ agimus, nouerimus, qua tamen districtione à Domino examinanda, qua à nobis perseuerantia sint consummanda, nescimus. *Et iterum* Hoc sane inter turturis & columbæ significantiam distat, quod columba, quæ gregatim conuersari, volare, & gemere consueuit, actiuæ vitæ frequentiam demonstrat, de qua dicitur: multitudinis credentium erat cor vnũ & anima vna, nec quisquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Turtur verò, qui singularitate gaudet, adeo, vt si coniugem casu perdiderit, solus exinde permaneat, speculatiuæ vitę culmina denunciat, quia & paucorum est ista virtus. *Et post pauca.* Item cum intrans cubiculum, clauso ostio oro patrem in abscondito, turturem offero: at cum eiusdem operis compares quæro, canendo cum propheta, venite, adoremus & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, columbas ad a tare deporto. *Atque hac Amalarius, cum itaque ieiunium coniunctum debeat esse operibus misericordiæ, recte quotidie vtimur graduali seu responsorio, lugentes instar columbarum. Verùm quia à vita actiua aliquando est secedendum ad contemplatiuam, ideo alternis diebus offerimus turtures, & Tractu profitemur interiorem & solitariam pœnitentiam, & lachrymas cordis nostri. Et hoc feria secunda, qua latitia diei dominicæ prima succedit, atque ea ratione miscenda est dolore. Deinde feria quarta qua proditus & venditus fuit Dominus à discipulo, & postremo feria sexta, quà*

passus est Dominus, quomodo extra Missam in officio diurno & nocturno, quod Horarum appellamus tres isti dies per Quadragesimam hoc habent peculiare, vt feria secunda legatur officium defunctorum, Feria Quarta Psalmi graduum, Feria Sexta, Psalmi pœnitentiales: vt sic isti dies nobis commendarentur. Quartò, peculiaris est quadragesimæ Oratio super populum qua de re sic scribit Micrologus: Orationem super populum in Quadragesima ideo frequentamus: quia cum maiorem conflictum in ieiunijs & orationibus contra spirituales nequitias sumimus, necessariò nos instantiùs Deo commendare debemus. *Nam oratio post communionem, pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conueniat, non tamen quotidie, vt deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione, vt communione careret, adiecta est oratio super populum: in qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus persoluebatur: vel potius ideo, quia omnes iuxta attestationem sancti Ambrosij, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio post communionem pro benedictione sufficere posset. Sciendum est autem, iuxta antiquos patres, quod soli communicantes diuinis mysteriis interesse consueuerunt: vnde & ante oblationem iuxta Canones iubebantur exire Catechumeni & pœnitentes; vt qui videlicet nondum se parauerunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa sacramentorum innuit confectio, in qua sacerdos non pro sola sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maxime in oratione post communionem.*

munionem, pro ſolis communicantibus orare videtur. Nec proprie communio dici poteſt, niſi plures de eodem ſacrificio participent. Apud Græcos etiam, vt legitur, excommunicandus eſt, qui vſque ad tertiam Dominicam non communicauerit. Beatiſſimi quoque patres noſtri Ambroſius & Auguſtinus, ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus presbyteris in 40.ª nedum a laicis obſeruatur, congrue adiecta eſt oratio ſuper populum, vt vel eo tempore vltima benedictione populus non careret, dum tamen communicare non ſoleret. Hinc quoque & illa conſuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inoleuiſſe videtur: vt & in aliis temporibus, etiam presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, vt communione priuatum, diſcedere permittant. Quintò genuflexio quæ prohibetur die dominico, frequentatur omnibus feriis quadrageſimæ & ad ſingulas horas officii diurni & nocturni, & ad iſtam quam diximus orationem ſuper populum, & vt monet Micrologus & Durandus, fuit hoc etiam ordinarium ad primam collectam diei, prout vt etiam fit in officio Gallico & paſſim in monaſteriis, ſed Romanum quo nunc vtimur, non habet iſtam genuflexionem. Idcirco autem genu flectimus vt per hunc habitum corporis, mentis humilitati intendamus, & vt ait B. Iuo. Sicut genuflexionibus & afflictione temporis quadrageſimalis, nos peccatorum pondere preſſos, & dura ſeruitute incuruatos ſignificamus, ita ſolutione ieiunij quinquaginta dierum, poſt reſurrectionem, & eo quod ſtantes oramus, libertatem noſtræ incorruptionis qua poſſumus imagine præfiguramus.

Feria 4. in Cap. Ieiunij.

Sextò, peculiare fuit olim Quadrageſimæ, vt Miſſæ quæ cæteris diebus ieiuniorum, dicebantur hora ſexta id eſt in meridie, vt illæ in Quadrageſimæ dicerentur hora nona id eſt medio tempore, inter meridiem & occaſum, quod eſt in quadrageſimæ tempore æquinoctij, noſtra hora tertia poſtmeridiana. Et ſtatim poſt Miſſam officium veſpertinum, quæ res explicata eſt à nobis feria ſexta poſt Cineres, vbi citauimus Micrologum, ante cuius tempora notauerat idem Amalarius, qui præfatione in libris de eccleſiaſticis officijs, dicit populum in quadrageſimæ conuenire ad eccleſiam hora nona.

De can. obſer. prop. 16. *Septimò.* Diebus priuatis quadrageſimæ debemus *inquit Radulphus Tungrenſis* penſum ſeruitutis noſtræ augmentare in orationibus & operibus bonis; vt omnino tunc efficiamur religioſiores. *Atque hæc eſt cauſa cur officium diuinum in quadrageſimæ ſit prolixius, quæ verò ſint illa quæ aſſumuntur per quadrageſimam, ob magnam eius rei varietatem, difficile eſt explicare, nôrunt hoc vnius fidei, diuerſi tamen inſtituti & clerici & Monachi.*

Octauò. Per quadrageſimam mutantur ſacræ veſtes, Diaconus & ſubdiaconus miniſtrant in albis, nullus eſt vſus Dalmaticarum: exuũtur & rurſum aſſumuntur Planetæ, & illæ alterius formæ & vilioris materiæ, quam extra quadrageſimam, & dies ieiuniorum fieri conſueuit, pallæ & vela altarium & cætera paramenta, quæ dicuntur, ſuam quoque habent peculiarem obſeruantiam, vt ea ratione intendamus ſingularitati huius temporis, atque ijs vniuerſis quæ quadrageſimæ myſteriis cõtinentur.

Nonò. Sciendum eſt, *inquit Radulphus*, quod

Laodi-

Laodicense concilium capitulo quinquagesimo primo constituit, vt Natalitia Martyrum in Quadragesima non celebrentur, sed eorum commemoratio fiat in diebus Sabbatorum vel Dominicarum. Et ex Concilio Martini Papæ, & ponitur ibidem in capitulo sequenti, non licet in Quadragesima Natales Martyrum celebrare: sed tantum in Sabbatis & Dominica pro commemoratione eorum oblationes offerre. Quòd hic soli Martyres nominantur, hoc ideo, quia nondum apud antiquos memoria Confessorum adeo celebris fuit. *Sancti quoque Patres vt dicit Micrologus cap. 48. in Toletano Concilio constituerunt vt Annunciatio sancta Mariæ, de Quadragesima in 15. Calendas Ianuarii transferretur, vbi annuatim solenniter & conuenienter ante Natale Domini posset celebrari. Vt puta cum omnia illius temporis officia de eadem resonent Annunciatione vt in Ambrosiana seruatur eccelia. In qua, eadem Annunciatio solennissimè agitur in Dominica ante Natiuitatem Domini. Et præterea in Ambrosiano officio nullum festum in Quadragesima seruatur, prout dicta Concilia statuerunt. Et propterea antiquitus festa Gregorii & Ambrosii, ad dies Ordinationis eorum transferebantur. Gregorius scilicet ad diem tertium Septembris. & Ambrosius ad Octauam Andreæ, & Benedictus ad diem Translationis suæ in Julio. Sed postea Annunciatione in Romana ecclesia ad locum suum redeunte, similiter alii apud nos redierunt. Et exinde retenta est Translatio Benedicti, Ambrosius tamen apud Romanos & Mediolanenses remanet in octaua. Si igitur in istis quatuor festis, memoratis Conciliis est generaliter derogatum: ergo & in reliquis*

quis obſeruari deberet, nec admitti in Quadrageſima quodcunque aliud feſtum nouem lectionum.

Decimò, Tempore Quadrageſimæ Inter altare & chorum in quo ſunt clerici, ſuſpenditur magnum velum. Deinde quibus locis chorus non habet altos muros vel lapideos vel ligneos quo liber exiſtat à conſpectu populi, ſuſpendi quoque conſueuit velum, quo clerus exiſtens in choro ſeparetur à populo. Præterea Cruces & cæteræ imagines, quæ ſunt toto templo teguntur linteo, illæ item cruces quæ præferuntur Euangelio, caterisq; vel actionibus vel perſonis eccleſiaſticis, non niſi obuolutæ, ſic geſtantur. Cauſa huius conſuetudinis eſt ſummè legitima. Eccleſiæ & Baſilicæ noſtræ, quæ ædificantur ad formam crucis, interiore ornatu conformantur cœlo, non modo fornicum altitudine & rotunditate, quæ res habet formam iſtius creati cœli, quem quotidie intuemur ſed multo etiam verius erectione altarium, ſigni crucis quod eſt ſignum triumphale noſtri Imperatoris, imaginibus Angelorum, & Beatorum qui ſunt in cœlo, & quod eſt caput, vera & reali præſentia Domini & Dei noſtri Jeſu Chriſti, quomodo ſe nobis reliquit ſub ſpecie terrena. Habuit eandem rationem & vetus templum, quod ſibi Dominus ædificauerat in Hieruſalem. Verum quia ijs temporibus ſolus Deus erat in cœlo, & ſancti Angeli, idcirco nihil ibi inueniebatur quam gloria & maieſtas Dei, quæ conſiſtebat in Arca fœderis, & picturis Angelorum: qui & arte fabrili bini erant ſuper ipſam Arcam: & præterea forma iuuenilis capitis inter duas alas picti conſpiciebantur, ab imo vſque ad ſummum verticem parietum. Hominum vero ſanctorum imagines nullæ ibi exiſtebant: eo quod in cœlo nullus adhuc mortalium peruenisſet. Cum itaque ea ſit ratio noſtrorum

strorum templorum, equissima ratione tempore istius luctus seponenda fuit cogitatio cœlestis gaudij, quomodo omittimus Alleluia, gloria in Excelsis, Te Deum, & cetera eius generis multa. Quin & eandē habet rationem, quod velo auferatur nobis patens & liber aspectus in sancta sanctorum, in altare, quod refert Christum in quo solo offeruntur Deo omnes nostræ actiones, omnes preces, omnia vota nostra, & vt denuo illud velum tollatur à primis vesperis, vsq; ad completorium Dominicæ.

Undecimò. Quadragesima habet & alios ritus peculiares postrema hebdomoda: quæ dicitur, Sancta, vel etiam alia voce hebdomada Maior, qui idcirco hic omittuntur quod eo tempore rectius id summus explicaturi.

EXPLICATIO OFFICII.

HOdiernum officium cohortatur nos ad spem in Dominum & idcirco statim ipso initio officij Dominus inuitans ad se omnes. Salus populi ego sum dicit Dominus, de quacunque tribulatione clamauerint ad me exaudiam eos. Quin etiam Psalmus 77. qui nobis proponitur in introitu, quo iubemur attendere legem Dei & inclinare aurem in verba oris eius, idcirco hoc imperat: Vt ponant, inquit, in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Summa enim & scopus diuinæ legis est, vt Deum cognoscamus, cognitū vereamur, timeamus, colamus, culto confidamus & pareamus. Collecta est de sanctis Cosma & Damiano, ad quos etiam pertinet Secreta & Post cōmunio, quod idcirco sic arbitror accidisse,

quod

quod olim hæ feriæ quintæ carerent peculiari officio, & quod ea ratione visum fuerit oportunum vt de istis sanctis fieret commemoratio, vtpote in quorum basilica esset hodierni diei conuentus. Lectio est ex Propheta Ieremia contra eos qui non ponunt spem suam in Deo, sed fallentes seipsos confidunt in verbis mendacij, & dicunt: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, quomodo dicimus multi, Ecclesia Catholica Ecclesia Catholica Ecclesia Catholica, & ita nobis blandimur, quia hæretici non sumus, vt inde nobis certam spem salutis constituamus, cum non sufficiat esse in templo Dei, sed præterea necesse sit, vt ibi simus quomodo decet filios tanti patris, ne similes simus illi qui intrauerat ad nuptias sine veste nuptiali. Graduale clarissime pertinet ad Spem. Introitus est vox Dei inuitantis & exhortantis nos per professionem, quod ipse non modo sit medicus sed ipsa salus, & quod saluet non de vno aliquo genere mali, sed de quacunque tribulatione. Graduale est responsio inuitati, qui inclinauit aurem suam in verba oris eius. Verè ita est Domine, tanta est bonitas tua vt saluos omne quod viuit, & idcirco omnis creatura oculos suos, id est desiderium & spem suam iactauit in te salutem suam. Tu enim omni creaturæ præbes escam in tempore oportuno, tu aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione, & sic es salus non solum populo tuo; sed etiam omni creaturæ, speramus igitur in te, quia si non das aliquando dilatamen in oportunitate, differs non aufers; & hoc in oportunitate. Respondet quoque Introitus Offertorio, & maiore confidentia, & dere quæ proprie pertinet ad populum Dei, cuius se, dixerat Dominus salutem: si inquit, ambulauero in medio tribulationis viuificabis me

Domine,

Domine, & super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & salvum me fecit dextera tua. Psal 137
Ad quæ verba hæc scribit B. Augu. Non sic ait tanquam diceret. Si forte evenerit mihi tribulatio aliqua, liberabis inde me. Sed quomodo? Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis me: id est, aliter non vivificabis me, nisi in medio tribulationis ambulavero. Væ ridentibus, beati lugentes. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me. Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuã, & salvum me fecit dextera tua. Saviant inimici, quid possunt facere inimici? Pecuniam tollere, expoliare, proscribere, in exilium mittere, doloribus tormentisq; cruciare: ad postremum si permissi fuerint, & occidere. Nunquid amplius? Tu autem Domine super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, super id quod mihi possunt facere inimici tu extendisti manum tuam. Non enim inimici possunt me separare à te. Tu autem amplius vindicas, quia adhuc differs me. Super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam. Saviat quantum potest inimicus, non me separat à Deo. Tu autem Domine adhuc me non recipis, adhuc me in peregrinatione conteris, adhuc gaudium dulcedinemq; tuam non præbes. Nondum inebriasti me ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ nondum potasti. Apud te enim est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Sed ecce dedisti primitias spiritus, & credidi in te, & servio mente legi Luc. 6. Psal 35. Rom. 8.
Dei: tamen in nobis ipsis adhuc ingemiscimus, adoptionem filiorum exspectantes redemptionem corporis nostri. Hanc autem vitam nobis peccantibus dedit Deus, ubi etiam necesse est ut conteratur Adam in sudore & labore vultus sui, cum terra ei tribulos Genes. 3.

& ſpinas parit. Nunquid aliquis inimicus plus potuit procurare? Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, ſed tamen non ad deſperationem. Sequitur enim, Et ſaluum me fecit dextera tua. Poteſt & ſic intelligi, Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam: iraſcebantur inimici, vindicaſti me de inimicis, peccator videbit &
Pſal. 111 *iraſcetur, dentibus ſuis frendet & tabeſcet. Vbi ſunt qui dicebant. Pereat nomen Chriſtianorum de terra? Certè aut moriuntur, aut conuertuntur. Ergo ſuper iram inimicorum extendiſti manum tuam,*
Pſal. 40. *quamdiu diceretur quod ſcriptum eſt: Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur & peribit nomen eius? quando delebitur nomen Chriſtianorum de terra? Cum dicunt iſta, partim crediderunt, partim perierunt, pauci timidi remanſerunt. Quanta ira inimicorum ſæuiebat, quando ſanguis Martyrum fundebatur? Quomodo ſe putabant nomen Chriſtianorum delere de terra? Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua. Ecce illi qui Martyres perſequebantur, memorias martyrum inquirunt, aut vbi adorent, aut vbi ſe inebrient: quærunt tamen. Super iram inimicorum meorum extendiſti manum tuã, & ſaluum me fecit dextera tua. Secundum deſiderium ſaluum me fecit dextera tua Eſt quædam ſalus in dextera tua: nam eſt altera ſalus in ſiniſtra. Salus temporalis & carnalis in ſiniſtra eſt, ſalus æterna cum angelis in dextera eſt. Ideo iam in ipſa immortalitate poſitus Chriſtus dicitur ſedere ad*
Marc. 16. *dexteram Dei. Non enim Deus habet in ſeipſo dexteram aut ſiniſtram, ſed dextera Dei dicitur fœlicitas illa: quæ quoniam oculis oſtendi non poteſt, tale nomen accepit. Hac dextera tua ſaluum me feciſti,*

non

non ſecundum ſalutem temporalem. Nam Coſmas & Damianus occiſi ſunt, ſed nunquid illos deſeruit, Deus? Non illos fecit ſaluos in ſiniſtra, ſed fecit in dextera. Machabæi quanta tormenta perpeſſi ſunt? Tres autem pueri in mediis ignibus deambulando laudauerunt Deum. Illorum ſalus in dextera, iſtorum etiam in ſiniſtra. Aliquando ergo non ſaluat in ſiniſtra ſanctos ſuos, ſed ſemper ſaluat eos in dextera. Impios autem plerunque ſaluat in ſiniſtra, non ſaluat in dextera. Nam illi qui perſequebantur Coſmam & Damianum ſani erant in corpore, illi occiſi ſunt, illi viuunt. Illorum ſalus in ſiniſtra eſt, illius in dextera. Et ſaluum me fecit dextera tua. Domine retribues pro me. Ego non retribuo, tu retribues pro me, Sæuiant inimici quantum libet, tu retribues quod ego non poſſum. Euangelium oſtendit quomodo Dominus ſit ſalus populi ſui, quomodo ſaluum eum faciat & dextera eius & ſiniſtra eius, ſicut ſanata eſt ſocrus Petri, quæ ſimul & liberata fuit magnis febribus, & dignationem eam accepit vt miniſtraret Domino, quomodo multi infirmi varijs languoribus curati ſunt à Domino, per manus impoſitionem. Et alijs, inquit, ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum, & erat prædicans in ſynagogis Galileæ. Communio, quia in lectione audiuit non ſufficere illas voces, Templum Domini, Templum Domini, ſed præterea audit Prophetam dicentem: quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras &c. Tu, inquit, mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas, & hoc ſanctum deſiderium humiliatione capitis iſtis verbis optamus nobis à Domino. Subiectum tibi populum, quæſumus Domine propitiatio celeſtis

2. Mat 7
Dan. 3.

amplificet, & tuis semper faciat seruire mandatis.

MISSA FERIA QVINTA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

INTROITVS.

Psal. 87. SAlus populi ego sum, dicit Dominus: de quacunque tribulatione clamauerint ad me, exaudiam eos: & ero illorum Dominus in perpetuum.

Ibidem. *Psalm.* Attendite populo meus, legem meã: inclinate aurem vestram, in verba oris mei. *Vers.* Gloria Patri & Filio.

OREMVS.

MAgnificet te Domine, sanctorum tuorum Cosmæ & Damiani beata solemnitas: qua & illis gloriam sempiternam, & opẽ nobis ineffabili prouidentia cõtulisti. Per Dominum.

DA quæsumus Domine, rex æterne cunctorum, vt sacro nos purificante ieiunio, sinceris quoque mentibus, ad tua sancta ventura facias peruenire.

Auxiliare Domine quærentibus misericordiam tuam, & da veniam confitentibus, parce supplicibus, vt qui nostris meritis flagellamur tua miseratione saluemur.

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

Cap. 7. IN diebus illis: Factum est verbum Domini ad me dicens. Sta in porta domus Domini: & prædica ibi verbum istud, & dic. Audite verbum

bum Domini, omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israël. Bonas facite vias vestras, & studia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si bene direxeritis vias vestras, & studia vestra: si feceritis iudicium inter virum & proximum eius: aduenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam: nec sanguinem innocentem effuderitis in loco isto: & post Deos alienos non ambulaueritis in malum vobismetipsis, habitabo vobiscum in loco isto, in terra, quam dedi patribus vestris à sæculo vsque in sæculum. Ait Dominus omnipotens.

Graduale. Oculi omnium in te sperant, Domine: & tu das illis escam in tempore opportuno. *Vers.* Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. *Psal. 144*

Sequentia sancti Euangelij secundum Lucam.

IN illo tempore: Surgens Iesus de Synagoga, introiuit in domum Simonis, Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Et rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri: & dimisit illam. Et continuò surgens, ministrabat illis. Cum sol autem occidisset: omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christũ. *Cap. 4.*

Facta autem die, egressus ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum: & venerunt vsque ad ipsum, & detinebant illum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait. Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Et erat prædicans in Synagogis Galileæ.

Offertorium. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me Domine: & super iram inimicorum meorum extendes manum tuam: & saluum me fecit dextera tua, *Vers.* I. In quacunque die inuocauero te, exaudi me Domine: multiplicabis in anima mea virtutem tuam. *Vers.* II. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine, super misericordiam tuam & veritatem tuam.

Secreta.

IN tuorum Domine, pretiosa morte iustorum sacrificium illud offerimus; de quo martyriū sumpsit omne principium. Per Dominum.

DEus, de cuius gratiæ rore descendit, vt ad mysteria tua purgatis sensibus accedamus: præsta quæsumus, vt in eorum traditione solemniter honoranda, competens deferamus obsequium. Per.

Præfatio.

AEterne Deus, Et tuam immensam clemẽtiam supplici voto deposcere, vt nos famulos tuos & ieiunij maceratione castigatos, & cæteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perseuerare illæsos, sicque præsentibus subsidijs consolemur

quatenus

quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur. Per.

Communio. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis: vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Post-Communio.

SIt nobis Domine, sacramenti tui certa salsuatio, quæ cum beatorum Martyrum tuorum Cosmæ, & Damiani meritis imploratur. Per Dominum.

SAcramenti tui Domine veneranda præceptio, & mystico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat. Per Dominum nostrum.

Super populum. ORIMVS.
Humiliate capita vestra Deo.

SVbiectum tibi populum quæsumus, Domine, propitiatio cœlestis amplificet: & tuis semper faciat seruire mandatis. Per Dominum.

DEus, qui peccatorum animas non vis perire, sed culpas: cóntine quam meremur iram: & quam precamur, super nos infundo clementiam, vt de mœrore gaudium misericordiæ tuæ consequi mereamur. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

DEt nobis Dominus munus suæ benedictionis, & repleat nos spiritu veritatis & pacis, e *Amen*

Quatenus sic per viam salutis deuota mente curramus, vt subrepentium delectationum laqueos salubriter euadamus. *Amen.*

Sicque efficiamur in eius supplicatione deuoti & in mutua dilectione sinceri, vt ad cœleste regnum peruenire possimus securi. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA SEXTA POST DOMINIC. III. QVADRAG.

De Feriis & earum variis nominibus.

ABsoluta est materia quadragesima ; & hac sexta feria nullam habet peculiarem historiam. Oportunè itaque feriali officio, explicandum est . Qua origine dies septimanæ dicantur feriæ. Deinde qua occasione nominentur vocibus septem Planetarum, & aliis certis nominibus. Postremò, quæ sint singularum feriarum priuilegia, è quibus tribus capitibus duo priora hic sumus tractaturi, postremum proxima feria non impedita peculiari historia. Scaliger lib. de supputationibus temporum dicit ea occasione dies vocatos esse ferias, quod annus olim inciperet à Paschate & septem dies succedentes essent feriati atque ea ratione accidisse, vt quibus nominibus appellarentur dies primæ hebdomadæ totius anni : iisdem quoque vocarentur dies reliquarum septimanarum . Baronius idem pœne scribit quod Scaliger hoc omittit, quod ille dicit de anni initio quia Pascha inquit habebat septem dies sequentes feriatos, factum est vt sicut in prima Resurrectionis hebdomada dies singuli feriæ nomine dicebantur : ita sequentibus singulis hebdomadibus, quod

quod eadem repetita ſolemnitas videretur, eodem quoque modo cæteri hebdomadæ dies etiam feriæ dicerentur. Tertullianus in Libro contra Pſychicos loquitur de ſtationibus quartæ & ſextæ feriæ, quos dies eodem libro bis quoque vocat quartam & ſextam Sabbathi. Videtur itaque imitatione Iudæorum, qui ob dignitatem Sabbathi, dies reliquos vocarunt primam ſecundam Sabbathi: ſic Chriſtianos ob diem primum Dominicum, in quem religio Chriſtiana tranſtulit honorem, & ferias Sabbathi, voluiſſe: vt ſequentes dies dies dicerentur Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, Sexta Feria, ſimul vt eo nomine monerentur Chriſtiani, ſibi qui in Chriſtum crederent reſurgentem, continuam æternamq; eſſe feſtiuitatem. Tribuitur a ſcriptoribus origo huius nominis Sylueſtro Papæ, verum ob hanc quam citauimus Tertulliani authoritatem non probatur res ea Baronio. Eſt in eadem ſententia cum Baronio author libelli obſeruationum diuini & humani iuris, idq; ea ratione quod τῆς τετράδος πεμπτῆς, καὶ ἕκτης, καὶ παρασκευῆς nominibus in hebdomadæ diebus exprimendis illi ſint vſi qui Sylueſtrum longo interuallo anteceſſerunt. Sic Ignatius Antiochenæ eccleſiæ tertius poſt Petrum Epiſcopus, in epiſtola ad Philip. diem Mercurij quartam, ſeu τετράδα nominat. Iuſtinus in libro Reſponſionum ad orthodoxos quæſt. 65. nominat in textu Græco quartam, & quintam dicens: non quarta ſed quinta Dominum fuiſſe proditum. Clemens Alexandrinus qui vixit temporibus Seueri & Antonini filij, diem Mercurij vocat quartam. Eſt igitur iſta compellatio antiquior Sylueſtro & poſt Sylueſtrum vbique occurrit. Quod Socrates lib. 7. cap. 21. dicit de Theodoſio iuniore, eum ieiunare ſolitum diebus quarta & paraſceue,

Tertul. li. contra Pſychicos cap. 2.

Ignat in epiſt. ad Philip.

Clemens Alex lib. Strom. 7.

Socrat. li. 7. cap. 21

raſceue, id Caſſiodorus ſic vertit. Plerumq; ieiunabat, & maxime quarta feria, & ſexta ſtudio Chriſtianitatis. Idem Socrates dicit in vrbe Alexandrina, legi & interpretari conſueuiſſe ſcripturas, quarta, & illa quæ dicitur paraſceue. Qui etiam diem Iouis appellat quintam, quomodo etiam beatus Auguſtinus diem Iouis vocat quintam Sabbathi, & Beatus Hieronymus diem Martis tertiam Sabbathi. Euſebius libro octauo hiſtoriæ eccleſiaſticæ nominat quartum diem Sabbathi. Quibus locis vox Sabbathi ſumpta ex religione Iudæorum idem eſt quod Feria, vt quarta Sabbathi ſit quarta feria. Quod erat proximum de planetis, quibus dies ſeptimanæ vulgo nominantur, non eſt equidem res ea ſatis expedita, nec illud hic quærimus, quæ nam fuerit ratio Aſtronomica vt ſic ſingulis diebus ſingulis planetis tribuerentur. Sed qui in re eccleſiaſtica verſamur, hoc ſolum quærimus, ex quorum populorum conſuetudine res ea in populi Chriſtiani morem tranſierit. Neque enim res ea a Chriſtianis potuit oriri, cum ab eorum religione toto quod dicitur cœlo diſſideat. Euſebius Emiſſenus homilia vndecima de Paſcha. Mortifera ait Idololatriæ conſuetudo in tantum homines occæcauerat vt Solis, Lunæ, Martis atque Mercurij, Iouis, Veneris, Saturni & diuerſis elementorum, ac damonum appellationibus dies vocitarent, & luci tenebrarum nomen imponerent. Nec item a Iudais a quorum religione & libris res ea abhorret oriri res ea potuit. Nec ſufficit quod res ea profecta dicatur a Paganis, nulla enim inuenitur Pagana reſpublica ante religionem Chriſtianam, qua vel dies continue in ſe redeunte ſeptenario numerauerit, vel Planetarum

Epiſt 118 ad Ian. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad finem.

eos

eos nominibus appellauerit. Tot sunt Graci & Romani scriptores, tot qui nominatim scripserunt de annis, mensibus, diebus, tot agriculiura, tot iuris, tot historiæ scriptores, & qui dies sic nominant non equidem inueniri vllum existimo. Sunt qui dicunt veteres Romanos numerasse dies octonario, fastosq; sic literis alphabeticis distinctos inueniri. Verum ea res non id probat, quod quærimus, & quo magis mireris, tantus est omnium populorum consensus in nominandis diebus, vocibus planetarum; vt hoc etiam habeant ea lingua, quæ origine sunt sui iuris, cuiusmodi est lingua Teutonum. Qua diem Dominicum vocat Sondach, composita voce ex dach qua diem significat & Son qua solem. Diem Lunæ Maendach, quod enim est Latinis Luna, hoc est Teutonibus Maen. Diem Martis Dingdach, significat autem dingen litigare, qua ratione sic eum vocant diem litis, Diem Mercurij VVoensdach VVinnen vero vel ghevvonnen significat lucrari vnde dies Mercurij est ijs dies lucri. Diem Iouis Donderdach, est autem Donder tonitru atque ea ratione, Dies Iouis est nobis dies tonantis. Dies Veneris vocatur à nobis Vrydach, Vryen vero est procari. Dies Sabbathi Saterdach id est dies Saturni. Neque illud concesserim rem istam profectam esse, è Religione Pagana: quin imo origo huius rei meo iudicio tribuenda est damnatæ, legibus Mathematicorum Genethliacorum, seu Chaldæorum disciplinæ, quæ res distincta est a Religione pagana. Futurum est enim alioqui, vt qui sunt è Christianis dediti superstitiosæ Matheſi, illi quoque

quoque à nobis pagani iudicentur. Qua ratione adducor vt credam toto Consulum imperio proximorumq; Imperatorum temporibus ignotam fuisse vulgo hanc istam Planetariam septenariamq; dierum supputationem. Verum cum breui post innotescerent toto orbe Iudæorum ac Christianorum religio, atque in ea inueniretur hæc ista numeratio septenarii, viderent quoque Pagani Iudæos septimum Christianos & hunc septimum, & eum præterea diem summa religione colere qui septimum proximè sequeretur, tum illud euenisse vt quod de septem Planetarum numeratione, eorumq; in singulos dies dominatu priuatis Mathematicorum scholis, atque libris tradebatur vti id in hominum communem vsum facile reciperetur. Nam & ad Paganam superstitionem res ea proximè accedebat, & ad nouarum vt ferebatur Religionum vel contemptum, vel admirationem plurimum valebat. Quin illud præterea suspicor Christianos cum docerent, cum serio loquerentur omnino improbasse nomina Planetarum, placuisse ijs nihilominus & numerum septenarium, & quod Religionis suæ princeps dies, etiam vulgi sermone Solis tribueretur. Qua ratione maximus Episcopus, diem Solis ea ratione sic dicit appellari, quod eam Sol iustitiæ Christus illuminet. Primi quoque Christiani Imperatores, suis legibus atque edictis diem Dominicum vocant diem Solis. Et quidem vt hac de re sic iudicem facit initio Dio lib. 37. Quòd verò inquit ex stellis septem, quæ Græcis Planetæ Latinis errantes dicuntur, dies dispositi sint, primum est ab Ægyptijs constitutum. Deinde ad reliquas gentes manauit, Nec olim id quidem (vt ego arbitror) cum id nullo modo fuerit, quod sciam, à veteribus Græcis intellectum. Sed quoniam

l. omnes C. de feriis li. de feriis in Cod. Th.

Dio li. 37

his

his temporibus, & caterarum gentium & ciuium Romanorum, ita proprium est, vt in cuiusque patria quodam modo natum esse videatur, placet de hac re quemadmodum acciderit paucis disserere. Ex quibus verbis Dionis constat nec veteribus Græcis notam fuisse istam Planetariam numerationem & eam quo modo Religio Christiana, sic vno impetu totum orbem penetrasse, vt non Ægypto profecta: sed in singulorum patria nata videretur. In quibus etiam verbis Dionis notandum est quod dicit de Ægyptijs apud quos in summo semper cultu atque dignitate fuit illa quam dicebamus Mathematica disciplina. Verba quoque Dionis quæ sequuntur, quibus explicat originem huius moris, non certè alia sunt quam Mathematica. Duas enim adfert rationes Priorem Proportionem seu harmoniam τετράχορδων, qua totius Musicæ fundamentum contineri veteres crediderunt, quam in eò ponit Dio quod à prima Planeta transeatur ad quartam proximè inferiorem, & ab infima Luna redeundo ad primum Planetam, continuò obseruetur ista quartana proportio. Est enim iste ordo naturalis Planetarū, Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Mercurius, Venus, Luna. Incipiendo igitur a Saturno si illi tribuatur dies princeps, nempe Sabbathum, sequetur vt dies proximus tribuatur Soli qui est quartus in ordine Planetarum. Deinde incipiendo a Sole sequetur quarto loco Luna atque huic tribuetur dies tertius. Postea incipiendo à Luna si post Lunam redeamus ad Saturnum & post hunc ad Iouem sequetur quartus dies Martis atque ita deinceps. Secunda ratio Dionis quam etiam tradit Sacroboſco est ista. Vult diem constare horis viginti quatuor, & primam diei horam dari Saturno, secundam Ioui, tertiam Martis,

quar-

quartam Mercurio, quintam Veneri, sextam Lunæ. Inde rursum septimam Saturno, & sic deinceps: fieriq; ea computatione, vt hora vigesima quinta, quæ est prima diei sequentis, cedat Soli. Prima hora diei tertiæ, Lunæ & sic ordine continuo. Atque hinc fieri, vt cui Planetæ cedit prima hora, vt eidem tribuatur totus dies. Atque hæc Dio, qui illud etiam debebat explicare cur Sabbathum tributum sit Saturno, & cur ab eo potissimum die cœptum sit numerari. Nam si spectata fuit hac in re Religio Iudæorum, certum est Sabbathum fuisse eum diem, qui secutus est antecedentes sex dies diuinæ operationis, atque ea ratione non posse eum dici primum, sed forsan quia eo die ab omni opere vacabant Iudæi placuit Ægyptijs ignauæ diei, dari ignauum Deum Saturni tardum sidus. Altera quoque me mouet ratio, cur sic indicem de origine istius planetariæ numerationis, quod prima quæ inuenitur apud prophanos scriptores huius rei mentio, fiat occasione Christianæ, Iudaicæq; religionis. Sic enim à Dione ea quæ citauimus idcirco commemorantur quod narrasset Iudæos consecrasse diem qui

Hist. l. 5. *Saturni nomen habet: cui diei inquit cum alia multa ab illis proprie sint attributa, tum id potissimum, quod eo die negotia nulla modo tractant. Tacitus agens de Iudæis. Septimo die otium placuisse ferunt: quia is finem laborum tulerit. Alii honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis Idæis, quos cum Saturno pulsos & conditores gentis accepimus, seu quod è septem sideribus queis mortales reguntur altissimo orbe & præcipua potentia stella Saturni feratur, ac pleraq; cœlestium vim suam & rursum septenos per numeros conficiant. Atque hæc Tacitus. Apud*

primos

primos quoque antiquiſſimoſq; ſcriptores eccleſiaſticos, res iſta inuenitur. Iuſtinus Martyr ſecunda pro Chriſtianis Apologia die qui Solis dicitur, omnium qui & in oppidis, & qui ruri habitant in vnum conuentus fit. Et paulo poſt idem Iuſtinus meminit dierum Solis & Saturni. Solis autem die communes cœtus & concurſus facimus, quandoquidem primus hic eſt dies, quo Deus caligine diſſulſa orbem condidit. Et Ieſus Chriſtus ſeruator noſter eodem die à mortuis excitatus eſt. Nam eo die qui Saturni diem antecedit in crucem eum ſuſtulerunt. Et eo die qui Saturni diem ſequitur, qui quidem Solis eſt dies, Apoſtolos ſuos & diſcipulos, quibus conſpicuum ſe præbuit hæc docuit. Vtriuſque pariter diei meminit Tertullianus. Æquè, inquiens, ſi diem Soli lætitiæ indulgemus alia longe ratione quam religione Solis, ſecundo loco ab eis ſumus qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipſi a Iudaico more, quem ignorant. Clemens Alexandrinus nouit ipſe & ieiunii enigmata illorum dico dierum quartæ & Paraſceues. Appellantur vero illa Mercurii, iſta Veneris. Atque hæc de planetaria compellatione. Sunt præterea & aliæ dierum compellationes dicitur enim prima feria ſeu dies Solis dies Dominicus, feria ſexta Proſabbathum & Paraſceue & dies Saturni Sabbathum. De dominica ſcripſimus alibi. Paraſceue eſt vox græca qua vſi ſunt græci ſcriptores rerum Iudaicarum in nominatione eius diei qui Sabbathum præcedebat, ea ratione nominis quod eo die ante veſperum parari ea vniuerſa oporteret quibus Sabbatho opus eſſet. Chriſtiani retinuerunt eam

Apolog. cap. 16.

In explic. Dom. ſec. Aduent.

eam vocem: Graci omnibus ferijs sextis, Latini illæ sola feria sexta quæ precedit Pascha. De Sabbatho nullus ambigit quin ea vox e religione vetere Iudæorum sit accepta: qui sua lingua sic nominarunt diem quietis. Hoc enim significat Sabbathum, feciſſe Christianos vt eam vocem retinerent non equidem mirari nos oportet. Tanta enim fuit huius vocis celebritas, vt ea Pagani passim vterentur. Suetonius in Tiberio cap. 32. Diogenes Grammaticus disputare sabbathis solitus. Seneca lib. 15. Epist. Accendere aliquem lucernas Sabbathis prohibeamus. In tota enim religione Iudæorum nihil æque hominum oculis patebat, sermonibus volucbatur atque otium Sabbathi. Ouidius lib. 1. amorum. Nec pluuias epta nec te peregrina morentur Sabbatha. Idem lib. 1. de arte amandi. Quaque die redeunt rebus minus apta gerendis Culta Paleſtino septima festa viro, Iuuenalis Satyra 6. Obseruant vbi festa mero pede Sabbatha Reges. Suetonius in Augusto nec Iudæus quidem mi Tiberi tam diligenter Sabbathis ieiunium seruauit atque ego hodie. Meminit quoque Sabbathi Iustinus lib. 36. Plutarchus lib. 4. Sympoſia. cap. vltimo. Cum enim Iudæi in Romanorum poteſtatem conceſſerunt latiſſime ſe eorum religio per omnes Romani Imperij prouincias diffudit. Qua de re multæ sunt Paganorum querimoniæ Rutilius Claudius.

Suet. in Tiberio cap 32. Seneca li. 15 epist.

Iuuenalis Satyr. 6.

Atq; vtinam nunquã Iudæa ſubacta fuiſſet,
Pompæi bellis, imperioque Titi.
Latius exciſæ peſtis contagia ſerpunt
Victoreſq; ſuos natio victa premit.

Et Dio dicit gentem Iudaicam à Romanis ſæpenumero imminutam, ita ſemper tamen creuiſſe vt ſua libertate vicerit legem id eſt vt ego intelligo ita

creuit

ereuit vt libertate viuendi in ſua religione Iudaica vicerit legem quæ eſt contra peregrinas religiones. Auxit inuidiam religio Chriſtiana origine & ipſa Iudea. Vnde Suetonius narrat, Claudium eieciſſe Roma Iudæos tumultuantes, authore Chriſto. Et Suidas dicit Fœlicem miſſum procuratorem in Iudæam ob tumultus ibi exortos occaſione Chriſtianorum. Tacitus quoque quod res erat, originem Chriſtianorum tribuit Iudeæ. Cum itaque religionis Iudæorum Sabbathiq; tanta eſſet notitia penes Paganos, in magna quoque veneratione eſſet Sabbathum apud Chriſtianos facile fuit effectum vt ſeptimæ diei vox Sabbathi remaneret, Saturni minus frequentaretur. Quod erat proximum de ſingularum feriarum, priuilegijs id alio quo die videbimus.

EXPLICATIO OFFICII.

Dies hodierna eſt dies crucis, quod eſt omnis feria ſexta, propius omnes feriæ quadrageſimales, proxime dies Paraſceue in hebdomada maiore. Recte igitur nobis proponit eccleſia Pſalmum 85. & ex illo Pſalmo primum & vltimum verſum. Beatus Auguſtinus in hunc Pſalmum ita præfatur: Nullum maius donum præſtare Deus poſſet hominibus, quam vt verbum ſuum, per quod condidit omnia faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret, vt eſſet filius Dei & filius hominis, & & vnus Deus cum patre, vnus homo cum hominibus: vt & quando loquimur ad Deum deprecantes, non inde filium ſeparemus, & quando precatur corpus filij, non a ſe ſeparet caput ſuum, ſitq; vnus ipſe

ſalua-

ſaluator corporis ſui, Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis vt ſacerdos noſter, orat in nobis vt caput noſtrum: oratur à nobis, vt Deus noſter. Agnoſcamus ergo & in illo voces noſtras, & voces eius in nobis. Neque cum aliquid dicitur de Domino noſtro Ieſu Chriſto, maxime in prophetia, quod pertineat velut ad quandam humilitatem indignam Deo, dubitemus illi eam tribuere, qui non dubitauit ſe nobis adiungere. Ei quippe ſeruit vniuerſa creatura, quia per ipſum facta eſt vniuerſa creatura. Et propterea tunc eius ſublimitatem diuinitatemq; intuemur, quando audimus, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: intuentes hãc excelſam & ſupereminentiſſimam, & excedentem omnia creaturarum ſublimia, diuinitatem filij Dei: audimus etiam in aliqua parte ſcripturarum, velut gementem, orantem, confitentem, vt dubitemus ei tribuere verba hæc, ex eo quòd cogitatio noſtra de recenti eius contemplatione, quæ erat in diuinitate, pigreſcit deſcendere ad eius humilitatem: & tanquam faciat illi iniuriam, ſi eius verba in homine agnoſcat, ad quem verba dirigebat, cum Deum deprecaretur, hæret plerumq; & conatur mutare ſententiam, & non ei occurrit in ſcriptura, niſi quod ad ipſum recurrat, & ab illo deuiare non ſinat. Expergiſcatur ergo, & euigilet in fide ſua, & videat quia ille quem contemplabatur paulo ante in forma Dei, formam ſerui accepit, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſe factus obediens vſque ad mortem. Et verba Pſalmi voluit eſſe ſua, in

cruce

cruce pendens & dicens: Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti ? Oratur ergo in forma Dei, orat in forma serui; ibi creator, hic creatus; creaturam mutandam non mutatus assumens; & secum nos faciens vnum hominem, caput & corpus. Oramus ergo ad illum, per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiscum. Cum dicimus in illo dicit in nobis Psalmi huius orationem, qui intitulatur. Oratio Dauid, quia Dominus noster secundum carnem filius Dauid, secundum vero diuinitatem Dominus Dauid, & creator Dauid. Et non solum ante Dauid, sed ante Abraham, ex quo Dauid, sed ante Adam ex quo omnes homines, sed & ante cœlum & terram, in quo omnis creatura est. Nemo ergo cum audit hæc verba, dicat, non Christus dicit: aut rursus dicat, non ego dico: imo si se in Christi corpore agnoscit, vtrunque dicat, & Christus dicit, & ego dico. Non potes aliquid dicere sine illo, & dicit aliquid sine te. Nonne habemus in Euangelio, vbi certè scriptum est, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, omnia per ipsum facta sunt? Ibi certe habemus, Et contristatus est Iesus, & fatigatus est Iesus, & dormiuit Iesus, & esurinit & sitiuit Iesus, & orauit & pernoctauit in orando Iesus. Pernoctabat inquit Iesus & perstabat in orando, & globi sanguinis decurrebant per corpus eius. *Quid ostendebat quando per corpus orantis, globi sanguinis distillabant? nisi quia corpus eius, quod est ecclesia, martyrum iam sanguine defluebat. Deinde idem Beatus Augustinus primum versum huius Psalmi quem habemus in hodierno Introitu Inclina Domine aurem tuam sic interpretatur.* Luca 22.

Inclina Domine aurem tuam & exaudi me. Ille

ex forma serui dicit, tu serue in forma Domini tui, Inclina Domine aurem tuam inclinat aurem, si tu non erigis ceruicem. Humiliato enim appropinquat, ab exaltato longe discedit; nisi quem ipse humiliatum exaltauerit. Inclinet ergo Dominus aurem suam ad nos. Ille enim sursum est, nos deorsum. Ille in altitudine nos in humilitate, sed non relicti. Ostendit enim dilectionem suam Deus in nobis: etenim cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Vix enim inquit, pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Dominus autem noster pro impijs mortuus est. Neque enim merita nostra præcesserant: pro quibus filius Dei moreretur: sed magis quia nulla erant merita, magna erat misericordia. Quam certa ergo quam firma promissione seruat iustus vitam suam: qui donauit iniustis mortem suam. Inclina Domine aurem tuam & exaudi me.

Rom. 5.

Quoniam egenus & inops sum ego. Ergo non inclinat aurem ad diuitem sed ad inopem & egenum inclinat aurem, id est ad humilem & ad confitentē, ad indigentem misericordia, non ad saturatum, & extollentem se & iactantem, quasi nihil ei desit, & dicentem: Gratias tibi quia non sum sicut publicanus iste. Diues enim Pharisæus iactabat merita sua: inops publicanus confitebatur peccata sua. Nec sic accipiatis fratres, quod dixi, ad diuitem non inclinat aurem suam, tanquam non exaudiat Deus eos, qui habent aurum & argentum, & familiam & fundos: si sic forte nati sunt, aut cum lucrum rerum humanarum tenent, tantum meminerint quod ait Apostolus, Præcipe diuitibus huius mundi non superbe sapere. Qui enim non superbe sapiunt, in Deo pauperes sunt. Et pauperibus atque inopibus & egenis

inclinat

inclinat aurem ſuam Norunt enim ſpem ſuam non eſſe in auro & argento, neque in illis rebus quibus ad tempus circumfluere videntur. Sufficit vt diuitiæ non illos perdant, vt non obſint ſatis eſt, nam prodeſſe nihil poſſunt. Plane prodeſt opus miſericordiæ & in diuite & in paupere, in diuite ex voluntate & opere, in paupere ex ſola voluntate. Cum ergo talis eſt contemnens in ſe quicquid eſt vnde ſuperbia ſolet inflare, pauper Dei eſt, inclinat illi aurem ſuam, nouit enim contribulatum cor eius. Certe fratres, ille pauper ante ianuam diuitis vlceroſus, qui iacebat, ab angelis ſublatus eſt in ſinum Abrahæ, ſic legimus, ſic credimus. Dines autem ille qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, ablatus eſt ad inferos ad tormenta. Nunquid vere ille pauper merito illius inopiæ ablatus eſt ab angelis, dines autem ille peccato diuitiarum ſuarum ad tormenta miſſus eſt? In illo paupere humilitas intelligitur honorificata, in illo diuite ſuperbia damnata. Breuiter probo, quia non diuitiæ, ſed ſuperbia in illo diuite cruciabatur Certe ille pauper in ſinũ Abrahæ ſublatus eſt. De ipſo Abraham dicit ſcriptura, quia habebat hic plurimum auri & argenti, & dines fuit in terra. Si qui dines eſt, ad tormenta rapitur, quomodo Abraham praceſſerat pauperem, vt ablatum in ſinum ſuum ſuſciperet? Sed Abraham erat in diuitijs pauper, humilis, tremens omnia præcepta & obaudiens. Vſque adeo autem pro nihilo habebat illas diuitias, vt iuſſu a Domino filium ſuum immolaret, cui ſeruabat diuitias. Diſcite ergo eſſe inopes & paupere, ſiue qui habetis aliquid in iſto ſeculo, ſiue qui non habetis. Nam & hominem mendicum inuenitis ſuperbientem, & hominem ſuperabundantem diuitiis inuenitis confitentem. Reſiſtit Deus

ſuperbis & holoſericatis & pannoſis, humilibus autem dat gratiam: & habentibus aliquam ſubſtantiã huius ſeculi & non habentibus, interior inſpector eſt Deus. Ibi appendit, ibi examinat: ſtateram Dei non vides, cogitatio tua in illam leuatur. Videte quia meritum exauditionis ſuæ, id eſt quo exaudiretur in eo poſuit, vt diceret: Quoniam egenus & inops ego ſum. Obſerua ne non ſis egenus & inops: ſi non fueris, non exaudieris. Quicquid eſt circa te vel in te vnde poſſis præſumere: abijce à te, & tota præſumptio tua Deus ſit: illius indigens eſto, vt ipſo implearis. Quicquid enim aliud habueris ſine ipſo, latius inanis eris. Ad reliqua vero verba huius noſtri Introitus: Fac mecum Domine ſignum in bonum, ſic ſcribit idem beatus Auguſtinus. Quod ſignum niſi reſurrectionis? Dominus dicit: Generatio hæc praua & amaricans ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit & filius hominis in corde terræ. Fac mecum ſignum in bono. Ergo cum capite noſtro iam factum eſt ſignum in bono. Dicat & vnuſquiſque noſtrum, fac mecum ſignum in bono: quia in nouiſſima tuba, in aduentu Domini, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur, erit hoc ſignum in bono. Fac mecum ſignum in bono. Vt videant qui oderunt me & confundantur. In iudicio confundentur pernicioſè qui modò nolunt confundi ſalubriter. Modò ergo confundantur, accuſent vias ſuas malas, teneãt viam bonam, quia nemo noſtrum viuit ſine confuſione, niſi prius confuſus reuiuiſcat. Prebet illis Deus modo aditum ſalubris confuſionis, ſi non contemnãt medicinam confeſſionis. Si autem modo nolunt confundi, tunc confundentur quando deducent eos ex

aduerſo

aduerſo iniquitates eorum quando confundentur? Quando dicent. Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorũ æſtimabamus inſaniam. Quomodo computati ſunt inter filios Dei? Quid nobis profuit ſuperbia? tunc dicent, modo dicant & ſalubriter dicant. Conuertatur enim vnuſquiſque humilis ad Dominum, & modo dicat. Quid mihi profuit ſuperbia? & audiat ab Apoſtolo: Quam enim gloriam habuiſtis in his, in quibus nunc erubeſcitis? Videtis eſſe & modo ſalubrem confeſſionem in loco Rom. 6.
pœnitentiæ, tunc autem ſeram, inutilem infructuoſam. Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactantia contulit nobis? Tranſierunt omnia tanquam vmbra. Quid enim? Quando hic viuebas, non videbas, quia tranſierunt iſta omnia tanquam vmbra? Tu ne relinqueres vmbram vt eſſes in luce? non poſtea diceres, tranſierunt omnia velut vmbra, quando ab vmbra in tenebras iturus es? Fac mecum ſignum in bono, vt videant qui me oderunt & confundantur. Quoniam tu Domine adiuuiſti me & conſolatus es me. Adiuuiſti me in certamine, & conſolatus es me in triſtitia. Nemo enim conſolationem quærit, niſi qui eſt in miſeria. Non vultis conſolari, dicite quia fœlices eſtis, & auditis populus meus. Iam reſpondetis & audio murmur bene tenentium ſcripturas. 'Deus qui hoc ſcripſit in cordibus veſtris, confirmet & in factis veſtris. Videtis fratres, quia qui vobis dicunt, fœlices eſtis, ſeducunt vos. Populus meus qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & turbant ſemitas pedum veſtrorum. Sicut & de epiſtola Iacobi Apoſtoli, Iacobi. 4. Miſeri Iacob 4.
eſtote inquit, & lugete, riſus, veſter in luctum conuertatur. Videtis quæ audiſtis, quando nobis hæc di-

cerentur in regione ſecuritatis. Vtique regio iſta ſcandalorum, eſt & tentationum, & omnium malorum, vt gemamus hic & mereamur gaudere ibi. Hic
Pſal. 55. tribulari, & conſolari ibi & dicere. Quoniam exemiſti oculos meos a lachrymis, pedes meos a ruina, quoniam placebo Domino in regione viuorum. Iſta regio mortuorum eſt. Tranſit regio mortuorum, venit regio viuorum in regione mortuorum, labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, ſuſpirium. Hic falſi fœlices, veri infœlices, quia falſa fœlicitas vera miſeria eſt. Qui vero ſe agnoſcit in vera eſſe
Matt. 5. miſeria, erit etiam in vera fœlicitate. Et tamen nunc quia miſer es, Dominum audi dicentem, Beati lugentes. O beati lugentes. Nihil tam coniunctum miſeriæ quam luctus. Nihil tam remotum & contrarium miſeriæ quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? Intelligite inquam quod dico. Beatos dico lugentes. Quare beati? In ſpe. Quare lugentes? In re. Etenim lugent in morte iſta, in tribulationibus iſtis, in peregrinatione ſua. Et quia agnoſcunt ſe eſſe in iſta miſeria, & gemunt, beati ſunt. Quare lugent? Contriſtatus eſt beatus Cyprianus in paſſione, modo conſolatus eſt in corona. Modo & conſolatus adhuc triſtis eſt. Dominus enim noſter Jeſus Chriſtus adhuc interpellat pro nobis. Omnes martyres qui cum illo ſunt interpellant pro nobis. Non tranſeunt interpellationes ipſorum, niſi cum tranſierit gemitus noſter. Cum autem tranſierit gemitus noſter, omnes una voce, in uno populo, in una patria conſolabimur, millia millium coniuncta pſallentibus angelis, choris cœleſtium poteſtatum, in una ciuitate viuentium. Quis ibi gemit? Quis ibi ſuſpirat? Quis ibi laborat? Quis ibi eget? Quis ibi moritur? Quis ibi miſericordiam præbet? Quis ibi frangit panem eſu-

rienti,

rienti, vbi omnes pæne iustitiæ saginantur? Nemo tibi dicet Hospitem suscipe. Peregrinus ibi nullus erit, omnes in patria sua viuent. Nemo tibi dicet: Concorda amicos tuos litigantes; in pace sempiterna Dei vultu perfruuntur. Nemo tibi dicet: Visita agrotum; sanitas immortalitasq; permanet. Nemo tibi dicet: Sepeli mortuum; omnes in vita æterna erunt. Cessant opera misericordiæ, quia miseria ibi non inuenitur. Et quid ibi faciemus? Dormiemus fortasse. Si modo pugnamus contra nos, quamuis gerimus domum somni carnem istam, & euigilamus in his luminaribus, & solemnitas ista dat nobis animum vigilandi dies illa quales vigilias nobis dabit? Ergo vigilabimus non dormiemus. Quid agemus? Opera misericordiæ? Ista non erunt quia nulla miseria erit. Forte opera necessitatis erunt ista quæ hic sunt modo, seminandi, arandi, coquendi, molendi, texendi? nihil horum quia necessitas non erit. Sic non erunt opera misericordiæ, quia transit miseria. Vbi necessitas non erit, nec miseria, opera necessitatis & misericordiæ non erunt. Quid ibi erit? Quod negocium nostrum? Quæ actio nostra: Nulla actio quia quies. Sedebimus ergo, & torpebimus & nihil agemus? Si refrigescit amor noster, refrigescit & actio nostra. Amor ergo quietus in vultu Dei, quem modo desideramus, cui suspiramus, cum ad eum venerimus, quomodo nos accendet, in quem, nondum visum sic suspiramus? Cum ad eum venerimus, quomodo nos illuminabit? Quomodo nos mutabit? Quid de nobis faciet? Quid ergo agemus fratres? Psalmus nobis indicat Beati qui habitant in domo tua, Vnde. In secula seculorum laudabunt te. Hæc erit actio nostra, laus Dei. Amas & laudas. Desinis laudare, si desinis amare. Non autem desines amare, quia talis

est, quem vides, qui nullo te offendat fastidio, & satiat te, & non te satiat. Mirum est quod dico. Si dicam quia satiat te, timeo ne quasi satiatus velis abscedere, quomodo de prandio, quomodo de cœna. Ergo quod dico, non te satiat timeo rursus ne si dixero non te satiat, indigens videaris, & quasi inanior existas, & minus in te sit aliquid, quod debeat impleri. Quid ergo dicam, nisi quod dici potest, cogitari vix potest: Et satiat te, & non te satiat, quia utrumq; inueniq in scriptura. Nam cum diceret: Matt. 5. *Beati esurientes, quia ipsi saturabuntur. Et rursum,* Eccle. 24. *de sapientia dictum est: Qui te manducant, iterum esurient: & qui te bibunt, iterum sitient. Imo vero nõ dixit iterum, sed dixit adhuc. Nam iterum sitiet quasi primo saginatus discesserit, & digesserit, & redierit bibere. Tale est: Qui te edunt adhuc esurient, sic cum edunt esurient, & qui te bibunt, sic bibendo sitient. Quid est bibẽdo sitire? Nunquã fastidire. Si ergo ista ineffabilis & sempiterna dulcedo erit, modo quid a nobis petit fratres nisi fidẽ non fictã, spẽ firmã charitatem puram; vt ambulet homo in via quam Dominus dedit? Atque hæc B. August. De duarum lectionum concordia, illa quæ est desumpta ex libro Numerorum, & altera ex Euangelio de Samaritana, sic scribit Rupertus: Feria sexta legitur in Euangelio Dominus Iesus, fatigatus ex itinere, hora sexta sedisse super puteum, loquensq; cum muliere Samaritana, quæ venerat haurire aquam: si scires inquit donum Dei, & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam &c. Notum atque celebre est fidei sanctæ ecclesiæ lectionis huius mysterium, videlicet Dominum nostrum Christum, ex itinere, quo ad nostram salutem venit, fatigatum vsq; ad mortẽ, mortẽ autem*

crucis,

crucis ſedisſe ſuper puteum, id eſt mundanæ ſapientiæ exuperaſſe profundum, mulieremq; Samaritanam, id eſt, Eccleſiam alienigenam, quæ de profundis, imo obſcuris philoſophorum doctrinis, mortuam aquam hauſrire conſueuerat, de qua ſitientẽ animam, vt non ſitiret iterum, ſatiare non poterat, didiciſſe: quia qui biberit ex aqua hac ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quã ipſe dederit ei, id eſt de ſpiritu ſancto, nõ ſitiet vnquã, ſed fiet in eo fons aquæ ſaliẽtis in vitam æternã. Huic Euangelio valde congruit præmiſſa lectio, in qua cõgregatis filijs Iſraël aduerſus Moyſen, Num. 20. atq; dicẽtibus: Da nobis aquã, iubẽte Domino, ducit eos ad aquã, ad petrã Oreb: & quanquã diffidẽs, percutit virga bis ſilicẽ, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumẽta. Moyſes namq; ſignificat hac in re, Iudaicũ populũ incredulũ, populus ſitiẽs, humani generis expectationem, petra Chriſtũ. Percuſſit bis ſilicẽ virgâ Moyſes, id eſt Iudaicus populus, duobus lignis crucis appẽdit Chriſtũ, & egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ aquæ viuæ quas in Euangelio ſupradicto, ſe habere indicat Dominus mulieri Samaritanæ. Aqua hæc ſpiritus ſanctus eſt: qui tunc datus eſt, quando petra Chriſtus virga crucis percuſſus, imo poſt percuſſionem reſurrectione atque aſcenſione glorificatus eſt. Graduale quod ſequitur lectionem Numerorum in deteſtationem incredulitatis, ob quam Moyſes & Aaron non ſunt introducti in terram promiſſionis & murmurationis populi Iſraël, dicit: In Deo ſperauit cor meum & ad te Domine clamaui. Offertorium ad vltima verba Euangelij: Et ſcimus quia hic eſt verè ſaluator mundi, hunc ſaluatorem mundi vocat, Regem & Deum ſuum, quoniam inquit ad te orabo Domine, intende voci orationis meæ. Communio

accom-

accommodatè ad ſuam actionem, proponit nobis aquam, quam dedit ſaluator mundi de qua Dominus loquitur in Euangelio.

MISSA FERIÆ VI. POST DOMINIC. III. QVADRAG.

INTROITVS.

Pſal. 85. FAc mecum ſignum in bono, vt videant qui me oderunt, & confundantur, quoniam tu Domine adiuuiſti me, & conſolatus es me.

Ibidem. *Verſ.* Inclina Domine aurem tuam & exaudi me quoniam inops & pauper ſum ego. Gloria Patri, & Filio.

OREMVS.

IEiunia noſtra quæſumus Domine benigno fauore proſequere, vt ſicut ab alimentis abſtinemus in corpore, ita vitijs ieiunemus in mente. Per Dominum.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui iram tuæ indignationis agnouimus, miſericordiæ tuæ indulgentiam conſequamur. Per Dominum.

Lectio libri Numeri.

Cap. 20. IN diebus illis. Conuenerunt filij Iſraël aduerſus Moyſen & Aaron, & verſi in ſeditionem dixerunt: Date nobis aquam, vt bibamus. Ingreſſíque Moyſes & Aaron, dimiſſa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram: clamauerunt́que ad Dominũ, atque dixerunt. Domine Deus exaudi clamorem populi huius, & aperi eis theſaurum tuũ fontem aquæ viuæ: vt ſatiati ceſſet murmura-

tio

tio eorum. Et apparuit gloria Domini ſuper eos: Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Tolle virgam & congrega populum, tu, & Aaron frater tuus: & loquimini ad Petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de Petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. Tulit igitur Moyſes virgam, quæ erat in conſpectu Domini, ſicut præceperat ei, congregata multitudine ante Petram, dixitque eis: Audite rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eijcere. Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens bis ſilicem, egreſſe ſunt aquæ largiſſimæ ita vt populus biberet & iumenta. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſti mihi, vt ſanctificaretis me coram filijs Iſraël: non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis: Hæc eſt aqua contradictionis vbi iurgati ſunt filij Iſraël contra Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.

Graduale. In Deo ſperauit cor meum & adiutus ſum, & refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor illi. *Pſal. 27.* *Verſ.* Ad te Domine clamaui Deus meus ne ſileas, ne diſcedas à me.

Tractus Domine non ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius

propitius esto pecc. nostris propter nomẽ tuũ.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

Cap. 4. IN illo tempore venit Iesus in ciuitatem Samarię quę dicitur Sichar, iuxta prædiũ, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autẽ ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus. Da mihi bibere. Discipuli autem eius abierant in ciuitatẽ, vt cibos emerent. Dixit ergo ei mulier illa Samaritana. Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana? Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. Respondit Iesus & dixit ei. Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquã viuam. Dicit ei mulier Domine, neq; in quo haurias habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum istũ, & ipse ex eo bibit, & filij eius & pecora eius? Respõdit Iesus & dixit ei: Omnis qui biberit ex aqua hac sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ, sed aqua quã ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitã æternã. Dicit ad eum mulier: Domine da mihi hanc aquam vt non sitiam, neq; veniã huc haurire. Dicit ei Iesus. Vade voca virum tuũ & veni huc: Respondit mulier & dixit. Non habeo virum. Dicit ei Iesus. Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti & hunc quem habes non est tuus vir. Hoc verè dixisti. Dicit ei mulier. Domine vt video propheta es tu.

tu. Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet. Dicit ei Ieſus. Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis patrẽ. Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus ꝙ ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores, adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorãt eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier. Scio quia Meſſias venit qui dicitur Chriſtus. Cum ergo venerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Ieſus. Ego ſum qui loquor tecum. Et continuò venerunt diſcipuli eius, & mirabantur, quia cũ muliere loquebatur. Nemo tamen dixit, quid quęris aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abijt in ciuitatẽ, & dicit illis hominibus. Venite & videte hominẽ, qui dixit mihi omnia quæcũq; feci. Nũquid ipſe eſt Chriſtus? Exierũt ergo de ciuitate, & veniebãt ad eũ. Interea rogabãt eũ diſcipuli dicẽtes. Rabbi manduca. Ille autẽ dixit eis. Ego cibũ habeo mãducare, quẽ vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli eius ad inuicẽ. Nunquid aliquis attulit ei mãducare? Dicit eis Ieſus: Meus cibus eſt, vt faciã voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt & meſſis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos veſtros, & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem, Et qui metit mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui ſeminat ſimul gaudeat,

deat,& qui metit. In hoc enim est verbum vē rum:quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi vos metere, quod vos nón laborastis,alij laborauerunt,& vos in labores eorum introistis.Ex ciuitate autem illa,multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quæcunque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eū, vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies.Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia non iam propter tuam loquelam credimus: Ipsi enim audiuimus,& scimus quia hic est verè saluator mundi.

Psal. 95. *Offertorium.* Intende voci orationis meæ rex meus:& Deus meus,quoniam ad te orabo Domine. *Vers.* Verba mea auribus percipe Domine intellige clamorem meum, & exaudi me. *Vers.* Dirige in conspectu tuo viam meam, & lætentur omnes qui sperant in te Domine in æternum gloriabuntur,qui diligunt nomē tuū Domine,

Secreta.

RE spice quæsumus Domine, propitius ad munera quæ sacramus, vt tibi grata sint, & nobis salutaria semper existant. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus. Per Christum Dominum nostrum, Qui ad insinuandum humilitatis suæ mysterium, fatigatus resedit ad puteū. Qui à muliere Samaritana, aquæ sibi petijt porrigi potum, qui in ea creauerat fidei donū, & ita

& ita eius sitire dignatus est fidem, vt dum ab ea aquam peteret, in ea ignem diuini amoris accenderet Imploramus itaque, tuam immensam clementiam, vt contemnentes tenebrosam profunditatem vitiorum & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum, & te qui fons vitæ & origo es bonitatis, semper sitiamus & ieiuniorum nostrorum obseruatione tibi placeamus. Per quem.

Communio. Qui biberit aquam quã ego dabo ei, dicit Dominus, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ioan. 4.*

Post. Communio.

HVius nos Domine perceptio sacramenti mundet à crimine, & ad cœlestia regna perducat. Per Dominum.

Humiliate capita vestra Deo.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis aduersantia, te adiuuãte vincamus. Per Dominum.

ADesto quæsumus omnipotens Deus, & in ieiunio corporali mentem nostram operibus tuorum refice mandatorum.

Ad Benedictionem.

CONcedat nobis Deus omnipotens munus suæ benedictionis, qui nostræ est conscius infirmitatis. *Amen.*

Et qui nobis supplicandi tribuit affectũ, tribuat consolationis auxilium. *Amen.*

Vt ab eo & præsentis, & futuræ vitæ subsidia capiamus, cuius nos bonitate creatos esse credimus. *Amen.*

Quod ipse &c.

SABBATHO POST DOMINIC. III. QVADRAG.

De Secundo Scrutinio.

ISto Sabbatho fiebat olim ſecundum ſcrutinium electorum, eadem ratione atque ordine, quo primum oportuit. Igitur hoc loco explicanda eſt ratio illius ordinis, nam licet non vtamur ſcrutinijs ea ratione, quòd rarò adulti baptizentur, vtimur tamen in baptiſmo infantium: iiſdem pœne ritibus quibus olim haberi ſcrutinia conſueuerunt. Deinde res iſta tota reprehenditur ab hæreticis, poſtremo iſtius rei cognitio & iucunda exiſtit, & ad alias multas res pertinet. Ordo Scrutinij quem explicauimus is erat, vt quædam fierent circa Scrutandos ante miſſam: Deinde vt poſt inchoatam Miſſam & poſt collectam fierent Exorciſmi, ante Euangelium dimitterentur Scrutandi, communicarent poſtremo ſuſceptores. Primum igitur erat in iſto negotio vt Catechumeni darent nomina ſua, neque hoc ſolum, ſed vt eos etiã offerrent eccleſiæ fideles, iam baptizati qui vocantur ſuſceptores ſeu Patrini. Et quidem dare nomen nihil erat aliud, quam profiteri apud eum, qui huic rei eſt præpoſitus, velle ſe baptizari. Et hæc profeſſio diſtinguebat Catechumenos, vt qui hanc profeſſionem nondum feciſſent, baptiſmum nihilominus cogitarent, vt illi generaliter Catechumeni, illi vero qui nomina dediſſent, Competentes, & alijs nominibus electi, illuminandi dicerentur. Scribit hæc de re ſic

De fide & operibus cap. 6 *B. Auguſtinus.* An vſque adeo diſſimulamus à ſenſibus, vt vel nos ipſos non recordemur, quam

quam fuerimus attenti atque ſolliciti, quid nobis præciperét à quibus catechizabamur, cum fontis illius ſacramenta peteremus, atque hoc competétes etiam vocaremur, vel non intueamur alios, qui per annos ſingulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales ſint ipſis diebus quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur quanta vigilia conueniant quo ſtudio ferueant, qua cura pendeant. *Et paulo poſt.* Quod autem fit per omne tempus, quod in eccleſia ſalubriter conſtitutum eſt, vt ad nomen Chriſti accedentes, catechumenorum grádus accipiãt, hoc fit multo diligentius, & inſtantius his diebus, quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptiſmum ſua nomina iam dederunt. *Idem libro vnico de tura pro mortuis gerenda. Poſt iſta conualuit, perrexit Hipponem, Paſcha iam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes. Verum quando catechumeni darent nomina ſua, huic equidem negocio non exiſtimo certum aliquod tempus fuiſſe definitum: & ſi quod fuit legitimum atque ordinarium, quod plurimi ſequerentur, hoc certe fuit dierum quadraginta ante Paſcha, quod vt credam facit authoritas Cyrilli, qui dicit competentibus aſſignari pœnitentiam 40. dierum, vt ante à nobis eſt annotatum. B. Hieronymus ad Pammanchium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani:* Conſuetudo inquit apud nos huiuſmodi eſt, vt ijs qui baptizandi ſunt, per 40. dies publicè tradamus, ſanctam & adorandam Trinitatem. *In qua etiam ſententia me confirmat B. Auguſtinus, qui eodem capite de fide & operibus dicit, tantam fuiſſe imperatam diſciplinam competentibus, vt quo tempore ſint competentes non*

liceat ijs vti legitimis ſuis vxoribus. Sine dubio inquit non admitterentur ad ſacramentum tantæ ſanctitatis, ſi per ipſos dies quibus eandem gratiam percepturi ſint, nominibus datis abſtinentia, ieiunijs exorciſmiſq; purgantur; cum ſuis legitimis & veris vxoribus ſe concubituros profiterentur: atque huius rei quamuis alio tempore licitæ, paucis ipſis ſolemnibus diebus, nullam continentiam ſeruaturos. Preterea ex concilio Carthaginenſi quarto, ſic refert Gratianus: Baptizandi, nomen ſuum dent & diu ſub abſtinentia vini & carnium, ac manus impoſitione crebra examinatione baptiſmum percipiant, quæ duo teſtimonia optimè conueniunt diſciplinæ 40. dierum. Iſidorus dicit diem Palmarum vocari capitolauiũ, & eo die lauari capita baptizandorum, ſordidata obſeruatione quadrageſimæ, quo tempore vſus erat cinerum. Verum fuiſſe hoc tempus ita legitimum, vt neceſſario tanto tempore ante profiteri fuerit neceſſe, non facile crediderim: in tanta enim baptiſmi neceſſitate non videtur potuiſſe ita ſtrictè arctari tantæ rei votum. Deinde ex conſilio Martini Papæ refert Gratianus non licere ſuſcipere aliquem ad baptiſmum ante duas ſeptimanas Paſchæ, ſed licitè ante tres. Quæ res oſtendit non fuiſſe numerum quadragenarium exactè obſeruatum, occurrit hac in re difficultas: Si in Competentibus ea requirebatur diſciplina ieiunii & abſtinentiæ, quo pacto ea obſeruabatur ab iis qui baptizabantur in Pentecoſte, cui quæſtioni quamuis nulla ſuccurrat ſolutio, quæ mihi ſatisfaciat, ſuſpicari tamen libet, etiam iſtos baptizandos, in Pentecoſte ieiunaſſe ordinariam quadrageſimam: & idcirco in iis fuiſſe dilatum baptiſmum, quòd minus eſſent inſtructi in Paſchate. Nam vt credam Competentes ieiunaſſe illa quinquageſima,

C. Bapt. de conſec. diſt. 4.

C non liceat de conſ. di. 4.

quæ

que inter Paſcha eſt & Pentecoſte: non equidem adduci facile poſſum, relaxatio enim ieiunii, eo tempore, antiquis legibus ita ſumme erat ſolẽnis, vt ea fruerentur etiam pœnitentes.

Sequitur de ſuſceptoribus, ſeu iis, qui offerunt baptizandos, qui vocantur Patrini, & Matrinæ: alio etiam nomine compatres & commatres. Quæ conſuetudo licet non ſit imperata in Euangelio; neceſſaria tamen eſt in paruulis, & frequentata fuit ſemper etiam in baptiſmo adultorum: paruuli enim niſi offerantur eccleſiæ à fidelibus ad baptiſmum, offerre ſe ipſi nõn poſſunt. B. Auguſtin. Nouimus etiam paruulos quibus vſus liberi arbitrij non eſt, vt de bonis aut malis eorum meritis iudicemus, parentum manibus ad gratiam ſacri baptiſmatis deportatos, & cum in vno eorum per manus ſacerdotis myſterium fidei adimpleretur, alterum in parentum manibus factum examinem. *Item alibi, ſic enim ſcribens, dicis vt ſicut parentes fuerunt auctores ad eorum pœnam per fidem parentum identidem iuſtificentur, tum videas multos non offerri a parentibus, ſed etiam à quibuslibet extraneis, ſicut à Dominis ſeruuli, aliquando offeruntur, & nonnunquam mortuis parentibus ſuis, paruuli baptizantur ab eis oblati, qui illis huiuſmodi miſericordiam prabere potuerunt, aliquando etiã quos crudeliter parentes expoſuerunt nutriendos, à quibuslibet: nonnunquam à ſacris virginibus colliguntur & ab eis offeruntur ad baptiſmum, quæ certe proprios filios non habuerunt vllos, nec habere diſponunt. Et hi ſunt illi, quos Tertullianus vocat ſponſores: quia ſpondent pro paruulo, quos Pamelius eo loco diſtinguit à ſuſceptoribus: vt ſponſores ſint infantiũ; ſuſceptores, adultorum, qui eos ſuſcipiant egredien-*

l. Hypog. 6.

Epiſt. 25. ad Bonif.

De Bapt. cap. 18.

tes de fonte, qui etiam dicuntur leuare baptizatos de fonte, de istis sponsoribus parvulorum, tractat Areopagita de Eccles. hierarchia cap. vltimo sub finem. De susceptoribus quoque adultorum, tractat copiose idem Areopagita cap. 2. de Eccles. hierarchia, & Beatus Augustinus de susceptoribus seu exceptoribus adultorum, in sermone de tempore 116. Et ideo non solum exemplis, sed etiam verbis eos ad omne opus bonum admonere debetis. Præcipue tamen qui filios; aut filias excipere religioso amore desiderant, & antequam baptizentur, & postea quam baptizati fuerint, de castitate & humilitate, de sobrietate vel pace, eos admonere, vel docere non desinant; & agnoscant se fideiiussores esse ipsorum: pro ipsis enim respondent, quod abrenuncient diabolo, pompis & operibus eius, & ideo tã illi qui excipiũt, quam qui excipiuntur, idest tam Patres quam filij, pactum quod cum Christo in Baptismi Sacramento conscribunt, custodire contendant nec vnquam de diaboli pompis, vel mundi istius luxuriosis oblectationibus concupiscant; vt Deo adiuuante, & illi qui filios suscipiunt si caste & iuste vixerint, & illi qui excipiuntur, si eos imitari voluerint, sicut credimus pariter ad præmia æterna perueniant. Isti igitur adultorum susceptores erant necessarij vt adducerent baptizandos, credi enim pagano aut Iudæo postulanti Baptismum sine testimonio Christiani non oportuit. Deinde, vt curam agerent baptizati, tertio vt essent veluti cooperatores illius actionis. Quæ postrema ratio in multis sacris negotiis adferri cõsueuit, de sponsoribus parvulorum, idem Augustinus sic alibi. Quid de ipsa forma sacramenti loquar? vellem aliquis istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum adferret, quid in illo agit exor-

De pecc. meritis & remiss. cap. 34.

exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur, ipse certe mihi fuerit responsurus, pro eodem parvulo quem gestaret &c. Quod vero sequitur in ordine Scrutinij, describi initio nomina baptizandorum & susceptorum: hoc etiã disertis verbis tradit Areopagita: mandat (scilicet Pontifex) vt virum susceptoremq; describãt; quem etiam susceptorem vocat ducem accessus illius qui baptizatur.

Descripti Competentes nominibus suis citantur ab Acolytho in Ecclesiam, & collocantur masculi ad dextram, fœminæ ad sinistram. Et super sic collocatos sparguntur cineres, per exorcismum benedicti, ea ni fallor ratione, quod sine pœnitentia non reciperetur Competentes ad baptismum, qua de re sic Tertullianus: Ingressuros baptismum, orationibus crebris, ieiunijs & genicvlationibus, & per vigilijs orare oportet, & cum confessione omnium retro delictorum, vt exponant etiam baptismum Ioannis: tingebantur inquit confitentes delicta sua, nobis gratulandum est, si non publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras: Simul enim & de pristinis satisfacimus conflictatione carnis & spiritus; & subsecuturis tentationibus, munimenta præstruimus. Vigilate & orate inquit ne intretis in tentationem. Leo Papa. Qui inquit electi secundum Apostolicam regulam & exorcismis scrutandi, & ieiunijs sanctificandi, & frequentibus prædicationibus imbuendi sunt: Beatus Augustinus. Omnia sacramenta quæ acta sunt, & aguntur in vobis per ministerium seruorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pauor ipse omni securitate appetendus, hæc omnia escæ sunt quæ vos reficiunt in vtero, vt renatos ex.

In lib. de bapt. c. 20

De symb. l. 1. cap. 2

Baptiſmo, hilares vos exhibeat mater Chriſto. Cum itaque in officio Competentium primum ſit pœnitentia, recte ſuper eos ſparguntur cineres, quod eſt ſignum pœnitentiæ: vt monuimus feria quarta cinerum. Sequitur tactus aurium & nariũm, quem facit baptizans ſputo oris ſui, adiunctis verbis ſolemnibus, quæ ſupra commemorauimus, cuius tactus ſine ſalivæ mentione meminit Ambroſius lib. 10. de Sacramentis cap. 1. Ergo ait, quid egimus ſabbatho? nempe apertionem. Quæ myſteria celebrata ſunt apertionis, quando aures tibi tetigit Sacerdos & nares, quod & ſignificat Dominus noſter, Ieſus Chriſtus in Euangelio cui cum oblatus eſſet ſurdus & mutus tetigit aures eius & os eius. Aures quia ſurdus erat, os quia mutus, & ait epheta quod Hebraicum verbum eſt, quod latine Adaperire. Ideo ergo ſacerdos, aures tibi tetigit vt aperiantur aures tuæ ad ſermonem & eloquium ſacerdotis. Ideo nares vt bonum odorem accipias pietatis æternæ vt dicas: Chriſti enim bonus odor ſumus Deo, quemadmodum dicit Apoſtolus ſanctus, & ſit in te fidei deuotioniſq; plena fragrantia. Adfert Ambroſius eandem rationem cap. 1. de iis qui initiantur myſteriis, quibus etiam locis reddit rationem, cur Chriſtus tetigerit os muti, nos non os, ſed tangamus aures, inter quas eam recenſet, quod indecore tangatur os mulieris baptizandæ. De ſaliua refert Iuo Carnot. ex Beda libro 1. hom. 19. morem in Eccleſia inoleuiſſe, vt ſacerdotes eius his, quos percipiendis baptiſmi Sacramentis præparent prius inter cætera conſecrationis exordia, de ſaliua oris ſui nares tangerent & aures, dicentes: Epheta, per ſaliuam quidem oris ſui guſtum, quo initiandi ſunt ſuperna ſapientiæ deſignantes: per tactum vero nariũm, vt abiectis delectationi-

bus

bus noxiis, solum Christi semper amplectantur odorem, & ante Bedam meminit B. Gregorius, tactus cum salina: vt patet ex libro sacramentorum. Probatur itaque hæc consuetudo, & tactu Christi qui Mar. 7. sputo tetigit linguam muti, & aures surdi, & dixit: epheta, & illa præterea quã cõmemorauimus ratione.

Mysterium apertionis sequitur Abrenuntiatio, rogatur baptizandus, inuocato suo nomine, Abrenuntias Sathanæ. Quæres non nupera existit, sed vna cum religione Christiana & in paruulorum, & in adultorum baptismis semper fuit ab Ecclesia Dei frequentata, Cyrillus cateches. mystagogica prima, dicit remistam, eam præterea habuisse consuetudinem: vt baptizandus constitutus in porticu baptisterij facie versus occidentem protensa, manu tanquam præsenti Satanæ renunciaret, quibus renunciationibus sepius iteratis conuertebatur baptizandus ad orientem à regione tenebrarum ad regionem lucis, & ibi dicebat: Credo in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, de quastatione ad occidentem, in abrenunciatione & reuersione ad orientem, manuum quoque impulsione, qua baptizandus obscurę militiæ renuit & eam præterea exsufflat, plura etiã in annotationibus Pamelii ad Tertullian. de Baptismo, habet idem Beatus Seuerus Alexand. habent & eandem consuetudinem Æthiopes in bibliotheca sanctorum Patrum, & quidem ista obseruatio ad occidentem, ea manuum extensio & exsufflatio, an ea fuerit olim generalis; vel solum particularis consuetudo, non ausim affirmare, de ista vero renunciatione infinita sunt omnibus locis testimonia, Tertullianus: Aquam adituri ibidem; sed & aliquanto prius in Ecclesia sub Antistitis manu conteſtamur

De corona militię cap.

teſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis eius, quæ verba Tertulliani, hoc etiam probant, hanc abrenuntiationem fieri ſolitam; non ſolum in ipſa baptiſmi ſuſceptione, ſed & aliquanto prius, nempe in ſcrutinijs, ſed ne citandis tot teſtibus & teſtimonijs immenſum creſcat liber, duo ſufficerint B. Aug. teſtimonia, vnum de infantibus; alterum de adultis.

Aug. l. 1. de nuptiis & concupiſc. c. 20

In veritate, inquit, non in falſitate poteſtas diabolica exorcizatur, in parvulis, eiq; renunciant: quia per ſua non poſſunt, per corda & ora geſtantium, vt eruti à poteſtate tenebrarum in regnum ſui Domini transferantur.

Lib. 4. de Symbo ad catech. cap 4.

Item alibi, diabolo vos renunciare profeſſi eſtis; in qua profeſſione non hominibus ſed Deo & Angelis eius conſcribentibus, dixiſtis: Renuncio: Renunciate non ſolum vocibus, ſed etiam moribus; non tantum ſono linguæ, ſed & actu vitæ; nec tantum labijs ſonantibus, ſed & operibus pronunciantibus. Scitote vos cum callido antiquo & veternoſo inimico ſuſcepiſſe certamen, non in vobis poſt renunciationem inueniat opera ſua, non iure vos attrahat in ſeruitutem ſuam: deprehēderis enim & detegeris Chriſtiano, quando aliud agis & aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demōſtrans in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem: quid tibi cum pompis diaboli, quibus renunciaſti? quid tibi cum pompis diaboli amator Chriſti? Noli te fallere, odit enim tales Deus: nec inter ſuos deputat profeſſores, quos cernit viæ ſuæ deſertores.

Pactum bonæ vitæ ſequitur, pactum fidei, quod non ſolum redditur in ipſo baptiſmo; ſed & ante ſæpius in ſcrutinijs licet omnium maxime ſolemniter in baptiſmo. Cæteræ enim Scrutiniorum redditiones, hanc vnam ſpectant redditionem, Symboli quæ fit in ipſo baptiſmo, de qua ſic Beatus Auguſtinus

Aug. in epiſt. ad Ben. 23.

loquens

loquens de paruulis: Quando ad baptiſmum offeruntur infantes pro eis parentes; tanquam fidei doctores, reſpondent, & dicunt facere, quod illa ætas cogitare non poteſt; aut ſi poteſt, occultum eſt. Interrogamus enim eos à quibus offeruntur, & dicimus: Credis in Deum? & de illa ætate, quæ vtrum Deus ſit, ignorat, reſpondent: credit & ad cætera ſic reſpondetur, ſingula quæ geruntur.

Tertull. vtramque profeſſionem & vitæ & fidei ſic deſcribit. Aquam ingreſſuri Chriſtianam fidem, in ſuæ legis verba, profitemur renunciaſſe nos Diabolo & pompis eius, & Angelis eius ore noſtro conteſtamur. De ſpectaculis cap. 1.

Sequitur trina exſufflatio ſacerdotis in faciem baptizandi. Exi, immunde Spiritus & da locum Spiritui ſancto paracleto. Et quidem in iſtis duobus ſcrutiniis, iſto modo ſit exſufflatio ſine exorciſmis; tamen quia is ritus coniunctus eſt exorciſmis & nunc vbique coniungitur, & iſto etiam modo à veteribus ſcriptoribus, res ea tractatur vbi acturi ſumus de exorciſmis, exponetur tum is quoque à nobis ſacer ritus.

Exſufflationem ſequitur ſignaculum crucis, quæ ceremonia, quia & ipſa denuo repetitur, ne res eadem dicenda ſit ſæpius, infra a nobis explicatur.

Sequitur poſtremo immiſſio benedicti ſalis in os baptizandorum, qui eſt primus ſapor, qui datur guſtandus baptizandis. Probatur conſuetudo authoritate & ratione. Beda. Sal cœleſtis ſapientiæ, quo initiantur. Catechumeni in cunctis operum noſtrorum ſacrificiis, iubemur offerre. In quibus verbis Bedæ notãdum: quod dicit eo initiari catechumenos C. Sal de conſecr. diſt. 4.

quæ

Confess. l. 1. c. 11. *quæ res pertinet ad scrutinium. Beatus Augustinus, Signabar iam signo eius, & condiebar eius sale, Concil. Carth. 3. can. 5. Item placuit vt per solemnissimos Paschales dies, Sacramentum Catechumenis nõ detur; nisi solitum sal. Citatur quoq; huius rei testis Origenes hom. 6. super Ezechielem.*

Rationes cur sale significemus sapientiam, cur sale designemus effectum baptismi, rogantes vt putrida, & fluxa peccata sapientiæ sale, per munus diuinum mundentur, ex varijs scripturæ locis facile intelliguntur: Habete in vobis Sal, & pacem habete a Marc. 9 *inter vos,* a, *Sermo vester sit sale conditus.* b, *Vos* b Col. 4. *estis sal terræ,* c, *omnis victima sale salietur; aut* c Mat. 5. *poterit comedi insulsum, quod non est sale condi-* d Iob. 6. *tum,* d, *Quidquid obtuleris sale condiatur, & non* e Leuit. 2 *auferat sal fœderis Domini tui,* e, *Pactum salis est* f Nu. 18. *sempiternum,* f, *Num ignoratis quod Dominus Deus Israël dederit Dauid regnum super Israël, In sempiternum, ipsi & filijs eius pactum salis?* g. *Quibus sententijs maxima quæque sali sunt attributa,* g 2. Paral. 13. *quæ vniuersa baptismo optime conueniunt. Quin etiam in Ecclesia antiquissima est ea formula, qua sal exorcisatur, & benedicitur, Et ego Confluentiæ memini me videre in vestibulo interiori ecclesiæ parochialis positum sal, quod à populo sumebatur, vt in nostris ecclesijs aqua benedicta.*

Atque hæc sunt illa, quæ hisce duobus scrutinijs fiebant ante introitum Missæ, quibus peractis dicebat Diaconus: Catechumeni recedant, cætera quæ sequuntur in missa explicantur à nobis infra Sabbatho Dom. 4. Quadrag.

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

IN isto Sabbatho docet ecclesia, quòd Dominus saluat per iustitiam & misericordiam, atque ita in eiusdem diei officio, quodammodo misericordia & veritas obuiant sibi paribus in personis; eodemq; præsidio pietatis: quamuis disparibus causis, epistola proponit nobis Susannam accusatam de adulterio, & liberatam per iustitiam. Euangelium proponit nobis mulierem ream adulterij, & liberatam per misericordiam, magna vtriusque historia consonantia, vtrobique idem peccatum, vtrobique accusatores in dignitate constituti, vtrobique liberator Deus. Deus per gratiam in Propheta Daniele, & Deus verus in homine Christo. Quia ergo adultera in Euangelio saluata est per misericordiam; ideo videns Ecclesia infirmitatem filiorum suorum, petit se liberari per misericordiam, in Introitu dicens: Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. Collecta petit a Domino ieiunium à culpa, & hoc per sectationem iustitiæ, affligendo carnem, & abstinendo ab alimentis, quibus iuste in se animaduertit peccator, & via regia sectatur iustitiam. Graduale pertinet ad vtramq; historiam, & Euangelij, & lectionis: sed maxime ad Susannam, quæ ambulans in medio vmbræ mortis, non timuit mala; quia Dominus erat cum illa: quæ passa est verbera virgæ & baculi, & per ipsa fuit consolata. Ista quoque adultera in Euangelio, quia erat cum ea Dominus, misericorditer liberata est a morte temporali, & aterna. Offertorium quod pletumq; continet votum offerentium & dicantium se

Deo, offerendo dicit: Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniuſtitia, iſta præcipuè quæ reprehenditur in adulteris. Secreta quoque oportune contra peccata carnis, quæ grauia proponuntur hodierno officio in libidinoſis ſenibus, & adultera muliere; orat pro fragilitate noſtra, vt muniatur, & ab omni malo purgetur per ſacrificium Chriſti. Communi. habet verba ex Euangelio. Nemo te condemnauit, & cætera verba quibus dimiſit adulteram, quæ clauſit his verbis. Iam amplius noli peccare, quod nobis in communione diligentiſſime eſt cogitandum. Et quia adulteri faciunt membra ſua membra meretricis; ideo poſt communio rogat, vt ſimus eius membra, cuius corpori communicauimus, & ſanguini.

MISSA SABBATHO POST DOMINIC. III. QVADRAG.

INTROITVS.

VErba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ rex meus, & Deus meus. *Pſal.* Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. *Verſ.* Gloria Patri & Filio.

ORATIO.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui ſe affligendo carnem ab alimentis abſtinent:

nent: sectando iustitiam à culpa ieiunent. Per Dominum.

TRibulationem nostram, quæsumus Domine propitius respice & iram tuæ indignationis, quã iustè meremur propitiatus auerte. Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis erat vir in Babylone, & nomen eius Ioachim: Et accepit vxorem nomine Susannam, filiam Helchiæ, pulchram nimis, & timentem Deum. Parentes enim illius cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Erat autem Ioachim diues valde, & erat ei pomœrium vicinum domui suæ. Et ad ipsum confluebant Iudæi, eo quod esset honorabilior omnium. Et constituti sunt duo senes iudices in anno illo, de quibus locutus est Dominus. Quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. Isti frequentabant domum Ioachim, & veniebant ad eos omnes qui habebant iudicia. Cum autem populus reuertisset, per meridiem, ingrediebatur Susanna & deambulabat in pomœrio viri sui. Et videbant eam senes quotidie ingredientem & deambulantem, & exarserunt in concupiscentiam eius. Et euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. Factum est autem cum obseruarent diem aptum, quando eam possent inuenire solam, ingressa est aliquando sicut heri & nudiustertius, *Cap. 13.*

cum

cum duabus ſolis puellis, voluitque lauari in pomœrio. Æſtus quippe erat, & non erat ibi quiſquam præter duos ſenes abſconditos & contemplantes eam. Dixit ergo puellis, Afferte mihi oleum & ſmigmata, & oſtia pomœrij claudite, vt lauer. Cum autem egreſſæ eſſent puellæ: ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce oſtia pomœrij clauſa ſunt, & nemo nos videt, & in concupiſcentia tui ſumus quamobrem aſſentire nobis, & cõmiſcere nobiſcum. Quòd ſi nolueris, dicemus teſtimonium contra te, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. Ingemuit Suſanna & ait: Anguſtiæ mihi ſunt vndique. Si enim hoc egero mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius mihi eſt abſque opere, incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Et exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt & ſenes aduerſus eam. Et cucurrit vnus & aperuit oſtia pomerij. Cum autem audiſſent clamorem in pomœrio famuli domus irruerunt per poſticum, vt viderent quidnam eſſet. Poſtquam autem ſenes locuti ſunt erubuerunt ſerui vehementer: quia nunquam dictus fuerat ſermo huiuſcemodi de Suſanna, & facta eſt dies craſtina. Cumque veniſſet populus ad virum eius Ioachim, venerunt & duo ſeniores pleni iniqua cogitatione aduerſus Suſannam, vt interficerent eam. Et dixerunt coram populo. Mittite ad Suſannam, filiam Helchiæ vxorem Ioachim. Et ſtatim miſerunt. Et venit cum parentibus, & filijs & vniuerſis cognatis ſuis. Flebant igitur ſui, & om-

nes

nes qui nouerant eam. Consurgentes autem duo seniores in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius, quæ flens suspexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Et dixerunt seniores. Cum deambularemus in pomerio soli, ingressa est cum duabus solis puellis: & clausit ostia pomerij: & dimisit à se puellas. Venitque adolescens ad eã qui erat absconditus, & concubuit cum ea. Porrò nos cum essemus in angulo pomerij, videntes iniquitatem: cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commiscери. Et illum quidem nequiuimus comprehendere, quia fortior nobis erat: & aperto ostio exsiliuit; hanc autem cum aprehendissemus, interrogauimus quisnã esset adolescens, & noluit indicare nobis. Huius rei testes sumus. Credidit eis multitudo, quasi senioribus, & iudicibus populi: & condemnauerunt eam ad mortem. Exclamauit voce magna Susanna, & dixit. Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me, & ecce morior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me. Exaudiuit autem Dominus vocem eius. Cumque duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum pueri iuniotis, cui nomen Daniel; & exclamauit voce magna. Mundus ego sum a sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum, dixit. Quis est sermo iste, quem tu locutus es? Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic, fatui filij Israël? Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. Reuersus est

ergo

ergo populus cum festinatione. Et dixit ad eos Daniel. Separate eos ab inuicem procul: & diiudicabo. Cum autem diuisi essent, alter ab altero, vocauit vnum ex eis, & dixit ad eum. Inueterate dierum malorum, nunc venerũt peccata, quæ prius operabaris iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris colloquentes sibi: Qui ait, sub schino. Dixit ergo Daniel: Recte, mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Domini, accepta sententia ab eo, scindet te medium. Et amoto eo iussit venire alium. Et dixit ei. Semen Chanaam & non Iuda. Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis. Sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo die mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait sub prino. Dixit autem ei Daniel. Rectè mentitus es & tu in caput tuum. Manet enim Angelus Domini gladium habens, vt secet te medium & interficiat vos. Exclamauit autem omnis cœtus voce magna: & benedixerunt Deum qui saluat sperantes in se. Et consurrexerunt aduersus duos Seniores. Cõuicerat enim eos Daniel ex ore suo, falsum dixisse testimonium. Feceruntque eis sicut malè egerant aduersus proximum: & interfecerunt eos. Et saluatus est sanguis innoxius in die illa.

Graduale. Si ambulem in medio vmbrę mortis non timebo mala: quoniam tu mecum es:

Domi-

Domine. *Vers.* Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore perrexit, Iesus in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templũ: Et omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. Adducunt autem scribæ & Pharisæi mulierem deprehensam in adulterio: & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister hęc mulier, modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis, huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum: vt possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum digito scribebat in terra. Cum autem perseueraret interrogantes eum: erexit se & dixit eis. Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum inclinans se scribebat in terram. Audientes autem hæc vnus post vnũ exibant incipientes à senioribus. Et remansit Iesus solus, & mulier in medio stans. Erigens autem se Iesus dixit ei mulier, vbi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit Nemo Domine. Dixit autem Iesus. Nec ego te condemnabo. Vade & iam amplius noli peccare.

Offertorium. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum: vt non dominetur mei omnis iniustitia Domine. *Vers.* I. Declaratio sermonũ tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. *Vers.* II. Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua in veritate tua humiliasti me, vt non dominetur omnis iniustitia Domine.

Secreta.

CONcede, quæsumus omnipotens Deus, vt huius sacrificij munus oblatũ, fragilitatẽ nostram, & ab omni malo purget semper, & minuat.

Prafatio.

AEterne Deus, qui ieiunij Quadragesimalis obseruationem in Moyse & Helia dedicasti, & in vnigenito filio tuo legis & Prophetarum, nostrorumque omnium Domino exornasti. Tuam igitur immensam bonitatem supplices exposcimus, vt quod ille iugi ieiuniorum compleuit continuatione, nos adimplere baleamus, illius adiuti largissima miseratione. Et adimplentes ea quæ præcepit, dona percipere mereamur quæ promisit. Per quem.

Communio. Nemo te condemnauit mulier. Nemo Domine; nec ego te condemnabo: iam amplius noli peccare.

Post-Communio.

QVæsumus omnipotens Deus: vt inter eius membra numeremur, cuius corpori cõmunicauimus & sanguini. Qui tecum.

Super populum.

PRætende Domine fidelibus tuis dexteram cęlestis auxilij: vt te toto corde perquirant, & quæ dignè postulant consequi mereantur. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus cęlesti nos protectione circundet, & suæ benedictionis dono locupletet. *Amen.*

Concedatque nobis vt qui in sola spe gratiæ

tiæ cœleſtis innitimur; cęlesti etiã protectione muniamur. *Amen.*

Quatenus & in præſenti ſęculo mortalis vitæ ſolatia capiamus, & ſempiterna gaudia cõprehendere valeamus. *Amen.*

Quod ipſe &c.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

Iſta Dominica vulgo dicitur Dominica Lætare, & hoc propter introitum Miſſæ, quam ab hac voce auſpicamur. Præterea officium huius diei totũ pertinet ad lætitiam, qua de re ſic Innocentius PP: Scitis chariſſimi quod corruptibile corpus inter anxietates continuas non poteſt ſubſiſtere; niſi quandoque recreationis remedium intercedat. Vnde veritas in Euangelio inquit: Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via. Ne ergò fidelis populus propter aſperitatem Quadrageſimalis abſtinentiæ, ſub continuo labore deficeret, in hac mediana Dominica quoddam recreationis ſolatium interponitur, vt anxietas temperata lenius ſufferatur. Hodiernum enim officium plenum eſt lætitia, totum exultatione refertum, totum gaudio cumulatum, repræſentat enim dies iſte charitatem poſt odium, gaudium poſt triſtitiam, ſatietatem poſt famem.

Præterea hanc Dominicam vocat Innocentius medianam, & hoc ſequuntur alij multi, ea nominis ratione, quod tranſacta medietate quadrageſimæ, ab hac Dominica incipiat altera eius medietas; verũ ni-

fallor antiquioribus temporibus, alia de causa Dominica Mediana erat illa, quæ proxime sequitur, & nunc dicitur. Dominica de passione, vt eo loco a nobis explicatur. Dicitur etiam ista Dominica nonnullis in locis Dominica de Rosa, cuius nominis ea est ratio, quod hoc die Pontifex, vadens & rediens à Statione sanctæ crucis in Hierusalem, gestet in manibus Auream Rosam, atque eam a se benedictam, donec alicui ex nobilioribus, tunc in vrbe existenti de quo more exstat sermo Innocentii Papæ ad hunc diem.

Dicit præterea Durũdus hoc die coronari Impp. causam vero huius lætitiæ eam adfert, quod ista Dominica sit septima à septuagesima, vt ea ratione designet reditum seu requiem a captiuitate, quæ significabatur per septuagesimam, vnde etiam septimus dies, septima hebdomada, septimus mensis septimus annus, est feriatus in lege.

EXPLICATIO OFFICII.

INtroitus, lætare Hierusalem, sumptus est ex vlt. cap. Isaiæ Prophetæ, versio latina Isaiæ, qua nunc vtimur aliis verbis est concepta, quæ res ostendit antiquitatem officii. Iubet igitur iste introitus, lætari, & lætari propter Hierusalem; sic enim alia versio: Lætamini cum Hierusalem iubet, gaudere cum lætitia, & illos iubet gaudere, qui fuerunt in tristitia, eo fine vt exultent nempe in Hierusalem, quæ sursum est. Sicut etiam iubet eos lætari, qui hic diligunt Hierusalem, & postremo iubet nos satiari. Psalmus quoque loquitur de lætitia eius, qui ibat in domum Domini. Lætatus sum inquit in his quæ

dicta

dicta sunt mihi, in eorum sermonibus, qui dixerunt nobis: In domum Domini ibimus. Totum itaque gaudium hodierni officij est illa quæ sursum est Hierusalem, quæ libera est quæ est, mater nostra, vt est in Epistola, in cuius matris vberibus est satietas plena, verissimæ & solidissimæ consolationis. Duo igitur nobis proponuntur hodierno officio: peregrinatio nostra, & locus ad quem peregrinandd ambulamus: cuius loci consolatione petimus respirare nos qui ex merito nostræ actionis hic affligimur, vel voluntarie susceptis afflictionibus carnis nostræ, vel voluntarie patiendo quæ non voluntarie aduenerunt, & hoc est quod petimus in collecta. Epistola proponit nobis Hierusalem quæ sursum est, & duo genera hominum: vnum quod non pertinet ad illam matrem, qui de Ancilla nati sunt, & persequũtur eos, qui nati sunt secundum spiritum: quorum finis est. Eijce ancillam & filium eius. Alterum genus eorũ qui nati sunt de libera, qui nati sunt per repromissionem, qui postremo sunt hæredes. Graduale repetit Psalmum Introitus, & ex eodem Psalmo subiungit: fiat pax in virtute tua. O Hierusalem! O ciuitas quæ ædificaris vt ciuitas, cuius participatio tua in idipsum! Fiat pax in virtute tua, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua dilectio tua.

Audi cantica canticorum, valida est sicut mors dilectio. Magnum verbum fratres. Valida est sicut mors dilectio. Magnificentius exprimi non potuit fortitudo charitatis, quam vt diceret: Valida est sicut mors dilectio: Quis enim resistit morti? Fratres intendat charitas vestra. Resistitur ignibus, vndis ferro, resistitur potestatibus, resistitur Regibus. Venit vna mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius. Propterea viribus eius charitas comparata est. Va-

lida est sicut mors dilectio. Et quia ipsa charitas, occidit quod fuimus, vt simus quod non eramus: facit in nobis quandam mortem dilectio. Ipsa morte mortuus erat qui dicebat. Mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Ipsa morte mortui erant, quibus dicebat Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Valida est sicut mors dilectio. Si ergo valida est, fortis est, & magnæ virtutis, & ipsa est virtus, & per ipsam reguntur infirmi, à firmis; terra a cœlo; populi à sedibus: ideo fiat pax in virtute tua fiat pax in dilectione tua. Et per istam virtutem, per istam dilectionem per istam pacem, fiat abundantia in turribus tuis. Tractus est de superna Hierusalem, in qua qui habitat, non commouebitur in æternum, ipsa est mater nostra, cui suspiramus & gemimus in ista peregrinatione: vt ad illam redeamus, erraueramus à via, & viam non habebamus. Rex ipsius venit, & via nobis factus est, vt ad illam redire possimus. Qui ergo ibi habitant non mouebuntur in æternum. Qui autem habitarunt in ista Hierusalem terrestri, moti sunt prima corde, postea exilio, quando moti sunt corde, & ceciderunt, tunc regem ipsius supernæ Hierusalem crucifixerunt: iam spiritualiter foras erant, & ipsum regem foras excludebant, eiecerunt enim illam extra ciuitatem suam, & eum foris crucifixerunt, & ipsa eiecit illos extra ciuitatem suam æternam Hierusalem, matrem omnium nostrorum, quæ est in cœlis. Qualis est ista Hierusalem? breuiter describit eam: Montes in circuitu eius. Isti montes sunt illi, qui locuti sunt nobis, de quibus cantauimus: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, qui fuerunt Angeli, Apostoli, Prophetæ, & ne putaremus fiduciam totam esse in illis montibus, subditur: Et Dominus in circuitu

populi

populi ſui, vt tua ſpes non ſit in montibus; ſed in illo, qui illuminat montes. Euangelium proponit nobis peregrinos ſequentes Deum, & ſaturatos numero quinque milia, duobus piſcibus, & quinque panibus hordeaceis. Offertorium erumpit in vocem laudis. Communio proponit nobis denuo Hieruſalem, & accommodate communioni iungit participationem in idipſum, quæ eſt in ſuperna Hieruſalem; Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas. Fratres, quando dicebat iſta Dauid perfecta erat illa ciuitas, non ædificabatur Neſcio quam ergo ciuitatem dicit, quæ modo ædificatur, ad quam currunt in fide lapides viui, de quibus dicit Petrus: Et vos tanquam lapides viui ædificamini, in domum ſpiritalem, id eſt templum Dei ſanctum. Templum Dei ſanctum eſt, dicit Apoſtolus, quod eſtis vos, ipſa ergo modo ciuitas ædificatur, præciduntur de mõtibus lapides per manus prædicantium veritatem conquadrantur vt intrent in ſtructuram ſempiternam. Quare non ciuitas ſed vt ciuitas; niſi quia iſta ſtructura parietum, quæ erat in Hieruſalem, viſibilis ciuitas erat. Sicut proprie dicitur ab omnibus ciuitas, illa autem ædificatur tanquam ciuitas, quia & illi, qui in illam intrant, tanquam viui lapides ſunt, ſicut illi vt lapides, non lapides, ſic illa vt ciuitas non ciuitas. Et quis ſit finis iſtius ciuitatis, iſtius cohabitationis, explicant quæ ſequuntur. Cuius participatio in idipſum. Quid eſt idipſum? Quod ſemper eodem modo eſt, quod non modo aliud, & modo aliud eſt, quid eſt ergo idipſum? niſi quod eſt, quod æternum eſt. Nam quod ſemper aliter atque aliter eſt, non eſt: quia non manet, non omnino non eſt, ſed non ſumme eſt, & quid eſt; quod eſt; niſi ille qui quãdo mittebat Moyſen, dixit illi: ego ſum qui ſum. Iam ergo poſt tantum

languorem, post tantos morbos, difficultates, labores, redeat anima humiliata ad idipsum, & sit in illa ciuitate cuius participatio in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini, quia qui illuc vadit, ille vtique ascendit non descendit, qui descendebat de Hierusalem in Hiericho incidit in latrones, & quæ ascendunt sunt tribus Domini. Id est quæ cognouerunt Dominum. Quare ascendunt? Ad cõfitendum nomini tuo Domine. Concludamus itaque totum istum sermonem verbis B. Augustini, qui in Psalmum Lætatus sum, sic præfatur: Sicut amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiscenda & peritura sectanda vocat, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit: sic amor sanctus ad superna eleuat, & ad superna inflammat, & ad ea quæ non transeunt, neque moriuntur, excitat animam, & de profundo inferni leuat ad cœlum. Habet tamen omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis, necesse est vt ducat. Sed, vis nosse qualis amor sit? Vide quo ducat. Non enim monemus, vt nil ametis: sed monemus, ne mundum ametis, vt eum qui fecit mundum, libere ametis. Obligata enim anima amore terreno, quasi viscum habet in pennis volare non potest. Mundata tamen ab affectibus sordidissimis seculi, tanquam extensis pennis, & duabus alis resolutis, ab omni impedimento, ideſt duobus præceptis dilectionis Dei & proximi volat. Quo nisi ad Deum ascendens volando, quia ascendit amando. Quod antequam possit gemit in terrâ, si iam inest ei volandi desiderium, & dicit: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam? Quo autem volabit? De mediis scandalis vbi gemebat etiam iste cuius hæc vox est, quam commemorauí: De mediis ergo scandalis, à cõ-

mixtione

mixtione malorum hominum, à paleis quibus grana commixta sunt, volare vult: vbi non patiatur cōiunctionem & societatem iniqui alicuius, sed viuat in sancta societate Angelorum ciuium, æterna Hierusalem. Ideo Psalmus iste quem hodie suscepimus tractandum, sanctitati vestræ ipsam Hierusalem desiderat, id est iste qui ascendit in hoc Psalmo, est enim: Canticum graduum quod sæpe diximus charitati vestræ, quia non sunt ibi gradus descendentiū; sed ascendentium. Ascendere ergo vult iste. Et quo vult ascendere, nisi in cœlum? Quid est in cœlum? Vtrum ideo vult ascendere, vt sit cum Sole & Luna & stellis? Absit. Sed est in cœlo æterna Hierusalem, vbi sunt ciues nostri angeli, ab ipsis ciuibus nostris peregrinamur in terra. In peregrinatione suspiramus, in ciuitate gaudebimus. Inuenimus autem & socios in ista peregrinatione terræ: qui iam viderunt ipsam ciuitatem, & inuitant nos, vt curramus ad illam. Ad hos gaudet & iste, qui dicit: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.

MISSA DOMINICÆ QVARTÆ QVADRAGESIMÆ.

INTROITVS.

LÆtare Hierusalem, & conuentum facite omnes qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis vt exultetis, & latiemini ab vberibus consolationis vestræ.

Psal. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Gloria.

Litania

Litania ex missa sancti Basilij.

Dicamus omnes Kyrie eleison. Kyrie eleison. Ex omni anima & ex omni mẽte dicamus omnes. Kyrie eleison, Kyrie eleison.

Domine omnipotens Deus patrem nostrorum, qui es diues in misericordia, & benignus in miserationibus, postulamus te exaudi, & miserere.

Qui non vis mortem peccatorum, sed conuersionem & vitam ac pœnitentiam: postulamus te, exaudi & miserere.

Kyrie eleison.

Pro sancta domo ista, & cum fidei reuerentia, ac timore Dei introeuntibus in eam, Dominum postulemus.

Kyrie eleison.

Pro Archiepiscopo nostro. N. honorifico sacerdotio in Christi ministerio, & omni clero & populo Dominum postulemus.

Kyrie eleison.

Pro pijssimo & à Deo conseruando Imp. nostro, omnique palatio & exercitu eius Dominum postulemus.

Kyrie eleison.

Pro quo & pugnare Dominum Deum nostrum, & subijcere sub pedibus eius omnẽ hostium, & bellatorem Dominum postulemus.

Kyrie eleison.

Pro liberatione nostra ab omni tribulatione ira, & periculo & angustia Dominum postulemus.

Kyrie eleison.

Pro circunstante populo tuo, & expectante eam quæ apud eum est, diuitem misericordiam

cordiam

cordiam Dominum poſtulemus.
Kyrie eleiſon.

Miſerere noſtri Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam; poſtulamus te exaudi & miſerere.
Kyrie eleiſon.

Quia miſericors & clementiſſimus Deus es, & tibi gloriam offerimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. *Amen.*

OREMVS.

CONcede quæſumus omnipotens Deus: vt qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus. Per Dominum.

A cunctis nos quæſumus. &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum: *vt Dom. 1. Quadrag.*

DEus qui peccantium animas non vis perire ſed culpas, contine quam meremur iram, & quam precamur ſuper nos infunde clementiam: vt de merito Chriſti gaudium tuę miſericordiæ conſequi mereamur. Per Dominum.

Lectio epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli, ad Galatas.

FRatres. Scriptum eſt quoniam Abraham duos filios habuit vnum de ancilla, & vnum de libera. Sed qui de Ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autem de libera: per repromiſſionem, quæ ſunt per allegoriam dicta. Hęc enim ſunt duo teſtamenta. Vnum quidem in monte Sina, in ſeruitutem generans: quæ eſt *Cap 4.*

Agar

Agar (Sina enim mons est in Arabia: qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem) & seruit cum filijs suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Scriptum est enim Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quam eius quæ habet virum. Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc, sed quid dicit scriptura? Eiice ancillam & filium eius. Non enim erit hæres filius Ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberauit.

Graduale Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus. *Vers.* Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.

Tractus Qui confidũt in Domino sicut mõs Sion: non commouebitur in æternum qui habitat in Hierusalem. *Vers.* Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui ex hoc nunc est & vsque in sæculum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

Cap. 6. IN illo tempore. Abiit Iesus trans mare Galilææ quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna: quia videbant quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis

pulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies feſtus Iudæorum. Cum ſubleuaſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet quia multitudo maxima venit ad eum; dicit ad Philippum: Vnde ememus panes vt manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum. Ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis: vt vnuſquiſque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer vnus hic qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos? Dicit ergo Ieſus: Facite homines diſcumbere, erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quaſi quinque millia. Accepit ergo Ieſus panes & cum gratias egiſſet, diſtribuit diſcumbentibus: ſimiliter & ex piſcibus quantum volebant. Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant. Illi ergo homines cum vidiſſent quod fecerat Ieſus ſignum, dicebant: Quia hic eſt vere Propheta, qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cum cognouiſſet, quia venturi eſſent vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.

Credo in vnum Deum Patrem.

Offertorium. Laudate Dominum quia benignus eſt. Pſallite nomini eius quoniam ſuaue

eſt:

est:omnia quæcũque voluit fecit, in cœlo & in terra. *Vers.* I. Qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri: quia ego cognoui quod magnus est Dominus,& Deus noster prę omnibus dijs.*Vers.*II. Domine nomen tuum in æternum, & memoriale tuum in secula seculorum. Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis consolabitur.*Vers.*III. Qui timetis Dominum benedicite eum; benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Hierusalem.

Secreta.

SAcrificijs præsentibus Domine, quæsumus intende placatus, vt & deuotioni nostræ proficiant & saluti. Per Dominum.

Exaudi nos Deus, Deus cui soli, vt supra fol.*400.*

Præfatio.

AEterne Deus. Et te creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare,& de futuris suppliciter exorare, vt cum de perceptis non inuenimur ingrati, de percipiendis nõ iudicemur indigni:sed exhibito toties solenni leiunio cum subsidijs corporalibus, profectum quoque capiamus animarum. Per Christum.

*Communio.*Hierusalem,quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum, illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini ad confitendum nomini tuo Domine.

Post-Communio.

DA nobis quæsumus misericors Deus: vt sancta tua quibus incessanter explemur

mur ſinceris tractemus obſequijs, & fideli ſemper mente ſumamus. Per Dominum noſtrum.

DEus qui in deſerti regione multitudinem populi tua virtute ſaturaſti, in huius quoque ſeculi tranſientis excurſu, victum nobis ſpiritalem ne deficiamus impende.

TV ſempet quæſumus Domine tuam ad tolle benignus familiam; tu diſpone correctam, tu propitius tuere ſubiectam, tu guberna perpetua benignitate ſaluandam.

Ad Benedictionem.

DEus qui nos ad præſentium quadrageſimalium dierum medietatem dignatus eſt perducere, ipſe ſua nos miſeratione dignetur benedicere. *Amen.*

Abſtinentiam noſtram præteritam accepter, futuram ita ſibi placitam reddat, vt ſicut ab illicitis cibis, ita nos etiam à vitijs omnibus abſtinere concedat. *Amen.*

Quatenus de præteritis, & de futuris ſpiritalibus chariſmatum frugibus, ei grates perſoluentes ad ſanctum Paſcha peruenire poſſimus. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA SECVNDA POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

De Priuilegijs Feriarum.

FEria ſexta precedente promiſimus de priuilegijs feriarum, præſtanda eſt igitur res ea, hodie qua in re ſimus explicaturi, non ea quæ habent aliquando ſed perpetua & generalia ſingularum feriarum priuilegia. De Feria Prima, quæ dicitur dies Dominicus, diximus alibi Feria Secunda, fecit Dominus firmamentum in medio aquarum, & diuiſit aquas ab aquis, diuiſitq; aquas quæ erant, ſub firmamento ab ijs, quæ erant ſuper firmamentum, vocauitq; firmamentum cœlum. Feria tertia congregantur aquæ, quæ ſunt ſub firmamento in vnum locum: & vocantur Maria, apparet arida ſeu terra proferens herbam virentem facientem ſemen iuxta genus ſuum: lignumq; faciens fructum, habens quoque ſementem. Verum quia religio Chriſtianorum, magis verſatur circa redemptionem, quam creationem mundi, & Chriſtus Dominus nihil ſingulare narretur feciſſe iſtis feriis, ſecunda & tertia: idcirco hæ duæ feriæ, nihil habent peculiare, Præterquam quod feria ſecunda veteres magis vterentur ad ieiunia quam feria tertia Monachi enim & pœnitentes olim Ieiunabant feria ſecunda, quænam vero ſit ratio Ieiunij feriæ ſecundæ non equidem inuenio, ſi non ea exiſtit, quod alternatim maiores noſtri ieiunarent, & Ieiunia relaxarent, quæ ratio probatur a Amalario de eccleſ. off. lib. 4. cap. 37. Feria Quarta toto orbe Chriſtiano celebris exiſtit, ob pactum

Feria prima.

Feria ſecunda.

Feria tertia.

Feria quarta.

quo

quo Iudas prodidit Dominum, atque ea ratione ab omnibus per orientem, & in occidente ab omnibus Monachis hoc die ex lege ieiunatur. Praterea ecclesia Latina & ieiunijs quatuor temporum, & omnibus alijs indictitijs ieiunijs, hunc diem ieiunat, quin multis etiam ecclesijs ea est consuetudo vt omnibus septimanis, feria quarta & sexta peculiares habeant lectiones, Epistolæ & Euangelii: quia enim Dominus hoc die a Iuda proditore venditus est, & feria sexta à Iudæis est crucifixus, placuit ecclesiæ Dei, vt quibus diebus innocens Dominus venditus & pro seruis suis passus est; seruus peccator, fleat & ieiunet, & lectionem sanctam, quæ est animæ pabulum, solemnius audiat. Probat hanc consuetudinem B. Augustinus: Cur autem inquit quarta & sexta feria maxime ieiunet ecclesia; illa ratio reddi videtur: quod considerato Euangelio, ipsa Quarta Sabbathi, quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum fecisse Iudæi. Intermisso autem vno die, cuius vespera Dominus Pascha cum discipulis manducauit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam Sabbathi. Deinde traditus est ea nocte, quæ iam ad sextam Sabbathi, qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat B. Ignatius: quartis & sextis feriis ieiunare non negligatis: ciborum reliquias pauperibus largientes. Clemens Alexandrinus: Nouit Christianus ænigmata ieiunii quoque horum dierum: quarti inquam & sexti, ille inquam Mercurii: hic vero Veneris. Canon Apost. 68. Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel lector, sanctã Paschæ Quadragesimam non ieiunat, vel quartum diem, vel parasceuen præterquam, si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si sit autem laicus

Aug. ad Casul. ep. 86 prope finem.

Ignat. ep. ad Philip.

Clem. Alex lib. 7. Strom.

segregetur. Tertull.aduersus Psichicos cap.2.meminit stationum quartæ & sextæ feriæ, quas solas dicit Psychicos obseruare,contemptis suis cherophagis. Et rursum cap.14.his verbis oppugnat Psychicos si omnem in totum deuotionem,temporum & dierum,& mensium erasit Apostolus, cur Pascha celebramus annuo circulo in mense primo ? cur quinquaginta exinde diebus,in omni exultatione decurrimus? cur stationibus quartam & sextam Sabbathi, dicamus, & ieiuniis Parasceuen ? Quanam autem ratione probetur,feria quarta Dominum fuisse venditum a Iuda, explicatur feria quarta, hebdomadæ Maioris. Rationem vero cur hoc die vulgo iam non ieiunetur,nullam puto adferri posse legitimam, neque enim vlla vnquam lege, res ea fuit abrogata: quin contra qui hoc religiose faciunt, laudari ab ecclesia consueuerunt,si non ea forsan fuit causa, quod Ecclesia Romana ieiunaret Sabbatho, atque ea ratione difficulter posset obtineri , vt contra cæterarum gentium morem, quæ nisi bis ieiunabant per hebdomadam, Romani ieiunarent ter; & hæc coniectura placet Pamelio,ad Tertull.contra Psychicos.

Feria quinta.

Feria quinta qua creauit Dominus pisces & aues, & hoc post Feriam quartam,qua creauerat luminaria in firmamento cœli:multis rationibus per omnes ecclesias,ita læta,ac pœne festiua existit , vt ea ieiunium nominatim aliquando fuerit interdictum , vt monuimus feria quinta post quinquagesimam, quæ lex licet nunc non obtineat, quotiescunque enim incidit statio,seu ordinarium ieiunium in feriam quintam, sine vlla controuersia id obseruamus, eatenus tamen huic veteri mori paretur, vt in hunc diem non fere ieiunia indicantur,pœnitentibus quoque præter dominicam hic dies potissimum ad pœnam relaxatur:

quæ

quo etiam die in hebdomada maiore reconciliantur pœnitentes. Cauſa vero huius lætitiæ ſunt multæ. Initio hunc diem poſtremum vitæ ſuæ mortalis, Dominus habuit liberum & lætum; ita lætum, vt diceret: Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum. Deinde hoc die inſtituit Dominus ſacrificium nouæ legis, & ſacramentum Euchariſtiæ. Hoc die lauit pedes Apoſtolorum, hoc die aſcendit in cœlum, iuſta itaque fuit ratio eius moris, qui hunc diem olim habuit feſtum. Verum cum in rem eam incidiſſet ſuperſtitio, forſan ea occaſione factum eſt, vt feſtus eſſe deſineret, qua de re ſic ſcribit B. Auguſtinus. Et quia audiuimus quod aliquos viros, vel mulieres ita diabolus circumueniat, vt quinta feria nec viri opera faciant, nec mulieres lanificium, coram Deo & Angelis eius conteſtamur, quia quicunque hoc obſeruare voluerint, niſi per prolixam & duram pœnitentiam, tale ſacrilegium emendauerint, vbi arſurus eſt diabolus, ibi & ipſi damnãdi ſunt. Iſti enim infelices & miſeri qui in honorem Iouis, in quinta feria, opera non faciunt non dubito, quia ipſa opera die dominica facere non erubeſcunt, nec metuunt, & ideo quoſcunque tales eſſe cognoueritis, duriſſimè caſtigate: & ſi emendari noluerint, nec ad colloquiũ, nec ad conuiuium veſtrum, eos venire permittite. Si vero ad vos pertineat, etiam flagellis cædite, vt vel plagam corporis timeant, qui de animæ ſuæ ſalute nõ cogitant, nos enim fratres chariſſimi cogitantes periculum veſtrum, paterna vos ſolicitudine admonemus. Feria ſexta creatus eſt homo à Deo, & eadem feria ſexta, redemptus eſt homo à Deo, feria ſexta creauit Deus beſtias, & ſubiecit eas homini, feria ſexta reformauit Deus beſtiale, quod eſt in terreno homine, & ſubiecit illud homini, qui ſecundum ſpi-

Aug. de temp. Ser. 215.

Feria ſexta.

ritum creatus est. Olim feria quarta & sexta erant veri nominis ieiunia; abstinebatur enim a carnibus, & nisi semel de die ad horam nonam comedebatur, ex quo more sola remansit per feriam sextam abstinentia carnium. Et quidem fuisse ijs diebus huiusmodi solemne ieiunium, probat Epiphanius: & per totum, inquit, quidem annum ieiunium hoc seruatur in eadem sancta Catholica ecclesia: quarta inquam & prosabbatho, vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste per totos 50. dies: in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium imperatum ordinatumq; est. Dicit idem de nona disertis verbis Tertullianus, in libro contra Psychicos: Non quasi respuamus nonam, cui & quarta sabbathi, & sexta plurimum fungimur. Et hinc est illa ecclesiarum consuetudo, vt officium nonæ istis diebus dicatur ante prandium. De carnium vero abstinentia, clarissimus est canon Leonis quarti, de esu carnium apud nos vetustissima, & non improbanda traditio, semper est tenenda, vt a cœnæ termino, quæ sit in principio noctis quartæ feriæ, quæ lucescit in quarta feria, vsque in diluculum quintæ feriæ, & similiter a cœna noctis sextæ feriæ, quæ lucescit in sexta feriâ, non imperite ieiunatio vsque ad Sabbathi lucem, quantum de diei parte aliquis ieiunare maluerit vel debuerit protendatur. Præterea vox Ieiunii & adiectio vocis, solemnia ieiunii, ostendunt fuisse horum dierum plenum ieiunium; cæteris omnibus ieiuniis, præterquam quadragesimæ, planè simile. Origenes, habemus inquit quadragesimæ dies consecratos Ieiuniis, habemus quartam & sextam septimanæ dies, quibus solemniter ieiunamus. Damascenus, Aërius, nulli Arrianorum secundus, adiecit quedam de suo: negat enim quicquam offerendum esse pro mortuis.

In doctr. compē de fide Cath. l. 3. cōtra hæres.

Cap. 10.

C. de esu carnium de consec dist. 3.

Hom. 10. in Leuit.

Lib. de hæres.

mortuis. Ieiunium feria quarta & sexta, & 40. diebus seruari, & pascha celebrari prohibet, stata hæc prohibet omnia. Item sanctus Apolonius ieiunia sane legitima in quarta & sexta feria non sunt soluenda: nisi grandis aliqua necessitas fuerit: quia quarta feria, Iudas traditionem Domini cogitauit, & sexta feria, crucifixus est Dominus. Videbitur ergo qui in his diebus sine necessitate soluerit statuta ieiunia, vel cum tradente, tradere saluatorem vel cum crucifigentibus crucifigere. Cassianus narrat Monachos Ægypti, ob aduentum hospitum soluere ieiunia exceptis legitimis ieiuniis quartæ & sextæ feriæ; tanta vero erat solemnitas ieiunii quartæ & sextæ feriæ, vt stationes nominarentur ea differentia stationum, & ieiunii quam sic explicat Rabanus. Discernunt autem quidem inter stationem & ieiunium; nam ieiunium indifferenter cuiuslibet diei est abstinentia: non per legem, sed secundum propriam voluntatem. Statio, obseruatio statutorum dierum, vel temporum, dierum vt quartæ & sextæ feriæ ieiuniorum, temporum autem quæ legalibus aut propheticis institutionibus, terminatis temporibus statuta sunt, vt ieiunium quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, vel sicut in Euangelio dies illi quibus ablatus est sponsus, vel sicut obseruatio quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe, institutione Apostolica obseruatur, circa confinium dominicæ Passionis; & hoc est quod iam citauimus ex Tertull. dicari stationibus quartam & sextam Sabbathi. Causa vero huius solemnis ieiunii feriæ sextæ ab omnibus vna atque eadem adfertur, mors Christi; quæ incidit in Paraſceuen Sabbathi in feriam sextam, qua in re imitamur bonos filios, qui licet intelligant se morte Patris adituros amplissimam hæreditatem, lugent

c. Ieiun. de conſ. diſt. 3.

Inſt. l. 5. cap 24.

De inſtit. Cleric. li. 2. cap. 18

nihilominus mortem patris. Quin si hæc sola ratio, quod hac victus inuitatione testamur nos retinere memoriam mortis Christi, iustissima grauissimaq; existit: cur retineri hæc vniuersalis consuetudo Christiana debeat? Quis enim tam est imperitus Christianus, vt rogatus cur abstineat à carnibus feria sexta, non adferat statim eam causam quam diximus, plus enim docent tristia, quam lata, vnde fit vt diei dominicæ, causam principalem, quæ est Domini resurrectio, non tam cogitent homines, atque otium ad frequentandas ecclesias, quam è vulgo cõplures, solam putant esse causam diei dominicæ. Sequitur dies vltimus, dies septima, dies in qua cessauit Dominus ab opere creationis, dies in qua iacens mortuus in sepulchro, cessauit ab opere redemptionis. De cuius diei sanctitate, qualis quantaq; ea exstiterit, in vetere religione Iudæorum, qua lege fuerit imperata, quibus sanctionibus stabilita, quibus exemplis firmata, quanta arctissimæ consuetudinis religiosa obseruantia culta semper fuerit, non est equidem huius instituti. Cultus quoque fuit hic dies ab Apostolis post acceptum spiritum sanctum, & Iudaica religione, & ob commoditatem quam adferebat ea dies docendi in Synagogis, sepelienda enim erat cum honore vetus illa sanctissima Dei religio, vt noua resurgeret: non enim subito sic erat reijcienda, vt pagana, adorauerunt itaque Apostoli in templo, abstinuerunt à cibis immundis, à sanguine & suffocato, circumcidi eos passi sunt, qui venerant ex gentibus, in templo sacrificia bestiarum obtulerunt Deo. Mirari itaque non oportet, si Apostoli coluerunt Sabbathum, non tam occasione docendi in Synagoga quin eadem cum ceteris Iudæis religione atque cultu. Verum postquam per vniuersum orbem

Sabbathum.

bem latissime se religio Christiana diffudit, tũ equidem varie per prouincias celebratus fuit hic iste dies septimus, fuerunt enim, atque ij multo maxima pars orbis, qui Sabbathum eodem pœnæ ritu, religioneq; obseruarent, quo dominicum, nam præterquam quod ab opere seruili per sabbathum non abstinerent cõmunione nihilominus, seu collectis ecclesiarum. & ieiunij prohibitione, parem eum faciebant Dominico: eratq; mos iste, non in Græcia modo, totoq; Oriẽte sed etiam in Africa & Occidente, locis nonnullis, vt Mediolani: authoritates quoque quibus hæc consuetudo defendebatur antiquissimæ, summorumq; hominum existebant. Contra ecclesia Romana, fundata a principe Apostolorum, cæterarumq; ecclesiarum Princeps, & aliquot alia ecclesia occidentales diuersam consuetudinem eam semper habuit, vt præter ferias quartam & Sextam, hunc quoque diem singulis septimanis ieiunaret, eratq; hoc in ista diuersitate, vt non modo singuli suos ritus, sed Romani Græcam, Græci Romanam magno animorũ consensu & laudarent & eorum authores Apostolos prædicare, & ab vtrisque suum singulis morem retinendum profiterentur. Quæ res explicanda est breuiter. Initio recitandæ sunt singulorum rituum nonnulla testimonia. Deinde videndum est quid hac de re senserit vetus ecclesia. Postremo quo statu nũc res existat: Initio inter canones qui dicuntur Apostolorum, est etiam iste: Si quis Clericus dominicũ diem, aut Sabbathum vno solo dempto, ieiunare deprehendatur, deponatur. Sin autem laicus; à communione deijciatur. Clemens Romanus: Ieiunia vestra ne sint cum Hypocritis communia: ieiunant enim secunda hebdomadis feria, & quinta, at vos aut quinque diebus ieiunate, aut quarta & sexta

Can. 55.

Const. Aposto. l. 7. c. 24.

feria. Quoniam quarta quidem iudiciũ in Dominum pronunciatum est, postquam Iudas proditionem pecunia promiserat. Sexta vero mortem in cruce sub Pontio Pilato passus est, Sabbathum tamen & Dominicum festos dies agitate, quod ille quidem dies recordatio sit fabricationis mundi. Hic vero resurrectionis. Vnum vero tantummodo Sabbathũ nobis toto anno obseruandum est, Sabbathum scilicet sepulturæ Christi, quo quidem ieiunare deceat, non autem celebrare festum: dum enim auctor mundi sub terra est, superat luctus mortis, latitiam effectionis vniuersi, quod ipse effector prestantior sit natura & dignitate, rebus à se effectis. B Ignatius ad Philippenses. Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum vno excepto ieiunarit, hic Christi interfector est. Greg. Nyssenus. Quibus oculis vides diem Dominicum qui dèspicatus es Sabbathum? an nescis quod hi dies fratres sunt: quod si alterum probro affeceris, alterum offendis. Anastasius Nicenus: Sabbathum inquit & dies Dominicus sunt dies festi & sancti, neque licet in eis ieiunare. Synodus Laodicensis cap. 29. Non oportet iudaizare Christianos, & vacare in sabbathis, sed operari in eo die, & diem Dominicum prahonorantes, vacare vt oportet. Istis igitur alijsq; testimonijs, laudant Græci suum morem, nempe vt dies Sabbathi sit dies festus eo ritu, quo sunt nobis multi dies festi, in officio ecclesiastico, quibus nihilominus manibus licitè operamur. Deinde vt eo die non liceat ieiunare, in contumeliam præcepti vno excepto Sabbatho magno, postremo vt ne per quadragesimam ieiunetur sabbatho, licet eo die tum abstineatur, à carnibus, ouis, & lacticinijs, quem morem probant canone 55. sextæ synodi. Et hunc

Ignat. epist. 8.

In orat. aduersus eos qui agre ferũt reprehens. Lib qu. 2. 77.

istum

istum Græcorum morem, ecclesia Latina nunquam reprehendit: quinimo hunc istum canonem Apostolicum sic accepit, vt ab Apostolis quidem sit traditus, sed non in commune, sunt enim quædam ieiunio in commune tradita, quædam non ita generaliter, vt notat Synodus Gangrensis can. 18. Latinam vero consuetudinem ab antiquitate laudant etiam illi, qui eam non obseruabant, sic Cassianus instit. lib. 3. cap 10. originem huius moris in quibusdam occidentalibus ciuitatibus, & maxime in vrbe, dicit tribui B. Petro Apostolo, qui eodem die conflicturus contra Simonem asseritur ieiunasse. B. Augustinus qui prandebat Sabbathis, scribens ex professo hac de re ad Casulanum, respondens cuidam imperito scriptori Romano, quem ad vrbe, Vrbicum appellat; refert idem de Simone mago: Est quidem, inquit, & hæc opinio plurimorum, quamuis perhibeant esse falsam, plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone mago die Dominico certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculũ pridie cum eiusdem vrbis ecclesia ieiunauerit, & consecuto tam prospero ac glorioso successu eundem morem tenuerit eumq; imitatæ sunt nonnullæ occidentales ecclesiæ. Ambrosius & ipse prænsor Sabbathi, Mediolani prãdebat, Romæ sabbathis ieiunabat, & hoc suũ factum iussit imitari Monicam matrẽ B. Augustini. Posterioribus temporibus laudata est cõsuetudo Romana omniũ planissime ab Innocẽtio Papa, his verbis: Sabbatho, inquit ieiunandum, ratio euidẽtissima demonstrat: Nam diem Dominicum ob venerabilẽ resurrectionem D. N. Iesu Christi, non solum in Pascha celebramus; verum etiam per singulos circulos hebdomadariũ, ipsius diei imaginem repræsentamus. Epist. 1. cap. 4.

At si

At si sexta feria propter passionem Domini ieiunamus, Sabbathum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius, videtur inclusum. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse, quod vtique non dubium est, in tantum eos ieiunasse biduo memorato, vt traditio ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari, quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius est semper celebranda. Atque hæc Innocentius, qui pluribus etiam verbis premit Græcos, eo argumento, quod Sabbatho magno arctissime ieiunent. Quod si putant inquit semel, atque vno Sabbatho ieiunandum, ergo & dominica, & sexta feria, semel in Paschæ erunt vtique celebranda. Si autem Dominici diei & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est, cur non etiam & sabbathi? De causis vero legitimis, cur Græci non ieiunarent Sabbathis, præter authoritates, quas recitauimus, alias quoque adferunt Baronius & Turrianus, nimirum primorum temporum hæreses, quæ in Oriente frequentes, Romæ minus inueniebantur, erant enim qui negarent Christi resurrectionem, erant qui omnem corporum resurrectionem inficiarentur, ad istos conuincendos valebat lætitia Sabbathi coniuncta diei Dominicæ, atque ea de causa putat Turrianus dici ab Ignatio: interfectores Christi ieiunatores Sabbathi & Dominicæ, qui alioqui nõ tribueret idem violatori sabbathi, quod diei dominicæ, si non etiam in vtroque die, rem eandem spectasset, certum vero est in Dominica præcipuè spectari Domini resurrectionem. Probat quoque hanc suam sententiam Turrianus valde appositè ex Damasceno. Præterea erant hære-

Annaliũ tomo 1. ad annũ Chri. 57. Tur. in annot. ad Clem.

hæretici, qui Deum Hebræorum factorem orbis, malum profiterentur; & eius dicerent esse destructorem Christum: qui etiam odio Dei Hebræorum ieiunabant Sabbatho. Qua de re sic scribit Epiphanius, loquens de Marcione hæretico, Sabbathum vero ieiunant ob hanc causam, quoniam Dei inquiunt Iudæorum est requies, qui mundum fecit, & in septima die, quieuit: nos ieiunamus hanc, vt ne officium Dei Iudæorum faciamus, Cassianus adfert aliam rationem de relaxatione Ieiunij Sabbathi, nempe vt vigilias sextæ Sabbathi, sequeretur relaxatio ieiunii. B. Augustinus multa commemorat, de hac obseruatione ieiunii in ea quam citauimus Epistola 86. ad Casulanum. Ista enim ibi inueniuntur, consuetudinem non ieiunandi Sabbathis ita fuisse generalem, vt eam obseruaret toto orbe diffusa ecclesia, totus oriens & multæ ecclesiæ occidentales, soli non obseruarent Romani, & pauci occidentales. Præterea Romanos ita ieiunasse Sabbathum, vt simul obseruarent quartam & sextas ferias, nam iste vrbicus, ea ratione damnat prandentes Sabbathis, quod isto ritu imitarentur Pharisæum ieiunantem bis in Sabbatho quod illius argumentum non poterat valere sublato ieiunio feriæ quartæ: quin etiam id disertis verbis dicit Augustinus: frequenter inquit plebs Romana facit, vt quarta sexta & ipso Sabbatho ieiunet. Tertio temporibus B. Augustini, multi tota vita, & maxime in monasteriis constituti ieiunabant omni die exceptis Sabbatho & Dominica. Quarto dicit Augustini eum esse morem Romanorum, vt ibi putent non ieiunandum feria quinta. Sextò, sicut inter se vixerunt concorditer Petrus & condiscipuli eius, sic inter se concorditer viuant Sabbatho ieiunantes, quos plantauit Petrus, & Sabba-

Epiph. hær. 42.

Instit. li. 3. cap. 9.

thoprandentes quos plantauerunt condiſcipuli eius. Septimo. Quod ſi reſpondetur inquit B. Auguſtinus, hoc docuiſſe Iacobum Hieroſolymis, Epheſi Ioannem, ceteroſq; alijs locis, quod docuit Romæ Petrus, id eſt, vt Sabbatho ieiunetur, ſed ab hac doctrina terras deuiaſſe, atque in ea Romam ſtetiſſe: & econtrario refertur occidentis potius aliqua loca in quibus Roma eſt, non ſeruaſſe, quod Apoſtoli tradiderunt: orientis vero terras, vnde cœpit ipſam Euangelium prædicari, in eo quod ab omnibus ſimul, cum ipſo Petro Apoſtolo traditum eſt, ne Sabbatho ieiunetur, ſine aliqua varietate manſiſſe. Interminabilis eſt iſta contentio, generans lites, non finiens quæſtiones, ſit ergo vna fides vniuerſa, quæ vbiq; dilatatur eccleſiæ, tanquam intus in membris, etiam ſi ipſa fidei vnitas quibuſdam diuerſis obſeruationibus celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur. Omnis enim pulchritudo filiæ regis, intrinſecus: illæ autem obſeruationes, quæ variè celebrantur in eius veſte intelliguntur, vnde ibi dicitur: In fimbrijs aureis circumamicta varietate. Sed ea quoque veſtis ita diuerſis celebrationibus varietur, vt non aduerſis contentionibus diſſipetur. Octauo docet Chriſtianos non colere ſabbathum intentione Iudaica. B. Auguſtino magis probatur mos orientalium, quam Romanorum: Ego inquit in Euangelicis & Apoſtolicis liberis, totoq; inſtrumento quod appellatur nouum, animo id reuoluens, video præceptum eſſe ieiunium, quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non ieiunio definitum. Ac per hoc ſentio, non quidem ad obtinendam

quam

quam fides obtinet æque iustitiam in qua est pulchritudo filiæ regis intrinsecus, sed tamen ad significandam requiem sempiternam, vbi est verum Sabbathum relaxationem, quam constrictionem ieiunij, aptius conuenire. Verum in huius Sabbathi ieiunio sine prandio, nihil mihi videtur tutius patatiusq; seruari, quam vt qui manducat non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet: custodita scilicet eorum inter quos viuimus, in his rebus inoffensa societate. Preterea viramq; consuetudinem sic laudat idem Beatus. Sexta recte ieiunio deputatur: ieiunia quippe humilitatem significant, vnde dictum est humiliabam in ieiunio animam meam. Sequitur Sabbathum, quo die caro Christi in monumento requieuit, sicut in primis operibus mundi requieuit Deus, die illo ab omnibus operibus suis. Hinc exorta est ista in regina illius veste varietas, vt alij sicut maxime populi orientis propter requiem significandam, mallent relaxare ieiunium, alij propter humilitatem mortis Domini, ieiunare, sicut Romana & nonnulla occidentis ecclesiæ, quod quidem vno die quo Pascha celebratur, propter renouandam rei gestæ memoriam, qua discipuli humanitus mortem Domini doluerunt; sic ab omnibus ieiunatur, vt etiam illi Sabbathi ieiunium deuotissime celebrent, qui cæteris per totum annum Sabbathis prandent. Virumq; videlicet significantes, & in vno anniuersario die, luctum discipulorum & cæteris sabbathis quietis bonum. Postremo in Africa varie etiam res ista seruabatur, dicit enim B. Augustinus in sua ciuitate fuisse ieiunium. Preterea hoc addit: sed quoniam contingit

maxime

maxime in Africa, vt vna ecclesia, vel vnius regionis ecclesiæ, alios habeant sabbatho prandentes, alios ieiunantes, mos eorum mihi sequendus videtur, quibus eorum populorum congregatio, regenda commissa est, totumq; suum sermonem sic concludit, Episcopo tuo in hac re nolire sistere, & quod facit ipse sine vllo scrupulo vel disceptatione sectare. Atque hac nos idcirco paulo prolixius, quod istius varietatis ratio, toto officio ecclesiastico sæpius occurrit, quod vero dicit B. Augustinus de diuersitate huius consuetudinis per Africam; probatur idem ex Tertulliano, qui in libro contra Psychicos dicit Parasceuen (sic enim eo loco vocat Sabbathum, quod sit parasceuæ Dominicæ) dicari non stationibus, sed ieiuniis, quanquam vos (idest Romani) etiam Sabbathum stationibus dicatis, si quando continuatis, quod tamen nunquam nisi in Pascha est ieiunandum. Restat caput postremum, quonam statu res nunc existat. Sabbathis obseruamus ieiunium portionale vt feria sexta ea nihilominus hominum sententia, vt minus peccare vulgo existimetur manducans carnem sabbathis, quam feria sexta: feria enim sexta nostris moribus, nisi vno casu carnes non admittit, nempe cum in eam incidit dies Natalis Domini. Sabbatha vero non eandem habent disciplinã, habet enim eum morem Gallia, vt Sabbathis quæ sunt inter natale Domini & Purificationem vtamur carnibus, & hoc ob lætitiam virginei partus. In Hispanijs extra quadrageſimã omnia sabbatha admittunt esum extorum ea larga significatione, vt pedes, vt capita animalium cum adhærente cervice inter exta numerentur. Est quoque in Belgio vbi Sabbathis est vsus adipis, quæ consuetudines vel pertinent ad morem orientis, quem recitanimus,

mus, vel ad eam populorum deuotionem, quæ diem Sabbathum dicauit memoriæ B. Mariæ Virginis.

EXPLICATIO OFFICII.

QVadrageſima eſt iudicium quo nos ipſos iudicamus, vt non iudicemur a Domino. Rectè igitur hodiernus dies nobis proponit iudicium, & illud Dei quod timemus, & illud noſtrum quo ipſi nos iudicamus, ipſi pœnas de nobis ſumimus: vt non ab illo iudicemur in die vltionis, neceſſario punitur peccatum, & iſta neceſſitas eſt ineuitabilis, punitur vero vel a Deo, vel a nobis; ſi nos punimus non punit Deus, quia Deus iuſtus non iudicat bis in idipſum ſi nos non punimus, facit hoc Deus. Videamus itaque quid dicat nobis officium de iſta tãta neceſſitate. De hoc duplici iudicio. Introitus noſter dicit: Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua libera me. Deus exaudi orationem meam. Noſtra vero verſio, qua nunc vtimur, & quam etiam lectionem ſecutus eſt B. Auguſtinus, non dicit libera, ſed iudica: tale igitur Dei iudicium petitur, quo liberemur non etiam iudicium retributionis vel vltionis. Quis enim tam temerarius optauerit, vt dicat Iudica me? reſpondet B. Auguſtinus. Verum quem Dominus ſaluum fecerit in nomine ſuo, quod prædicatum eſt in humilitate, per infirmitatem enim crucis glorificatum eſt nomen Domini. Qui igitur in illo nomine fuerit ſaluus, ille intrepide iudicabitur in virtute eius, venit enim vt moreretur ex infirmitate; venturus eſt, vt iudicet in virtute Dei, quiſquis non crediderit in nomen clarificatum per infirmitatem,

expa-

expaneſcet ad iudicem cum venerit in virtute. Iſtud igitur; Saluum me fac in nomine tuo, & in veritate tua iudica me, ſic accipitur: vt petamus nos hic ſaluari per paſſionem Domini, quomodo illam debemus transformare in nobis, vt ea ratione ſecuri iudicemur, cum hoc facturus eſt in virtute ſua. Qua ſententia eadem eſt cum illa Apoſtoli: Si compatimur & conglorificabimur: vere enim nullum eſt iudicium noſtrum, quo certius euadimus iudicium vltionis, atque paſſio Domini, quod diſertis verbis expoſuit Dominus filiabus Hieruſalem cum fletu deducentibus eum ad crucifixionem: Si hæc in viridi, in arido quid faciunt? & idcirco inquit plorate ſuper vos & ſuper filios veſtros. Lectio narrat iudicium Salomonis inter duas mulieres litigantes de re magna, nulla facti probatione, & quomodo naturali iudicio, Rex ille inuenerit ſecretum: vt hoc exemplo diſcamus metuere iudicem, quem nullum latet ſecretum: qui ſine teſtibus, ſine teſtimoniis, ſine argumentis, ex hoc vel illo loco dialectico deductis, omnia ſcit, omnia videt, cuius accuſationi nullus etiam occultiſſimus reus poteſt reſpondere vnum verbum. In graduali optime iudicat homo non eſſe ſibi refugium & protectionem niſi in Deo. Deinde Tractus per confeſſionem peccati, aperit pectus, & oſtendit Domino vulnera ſua: vt ſic detecta ab illo ſanentur, quod eſt verum iudicium, quo nos iudicamus, vt non iudicemur à Domino, Euangelium exponit nobis ſeuerum & rigidum Dei iudicium, quo pacto flagello eiiecerit de templo vendentes, oues & boues, & columbas, & nummularios ſedentes: nec ſolum homines; ſed præterea eorum merces, & quo pacto effuderit æs nummulariorum ſubuertendo menſas eorum: & hoc ea ratione quod feciſſent domum

mum Patris sui, domum negotiatoris. Quæres pertinet ad omnes falsos Christianos, non pure quærentes Deum in ecclesia Dei. Deinde hoc Euangelium ostendit etiam, quo pacto Dominus maior sit Salomone, qui argumento naturæ, inuenerat secretum illius litis, quod multo excellentius facit Dominus, multi propter signa quæ fecerat, credebant ei; ipse tamen non credebat se illis, eo quod ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine, non indiget itaque Dominus literis testimonialibus, quibus quotidie & fallimus & fallimur. Recte itaque dicit Domino communio huius diei Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.

MISSA FERIÆ II. POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

INTROITVS.

DEus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me. Deus exaudi orationem meam. *Psal. 53.*

Psal. Auribus percipe verba oris mei. *Vers.* Gloria.

OREMVS.

PRæsta quæsumus omnipotens Deus, vt obseruationes sacras annua deuotione recolentes: & corpore tibi placeamus & mente. Per Dominum.

QVæsumus omnipotens Deus afflicti populi lachrymas respice, & iram tuæ indignationis auerte: vt qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

3. cap. 3. IN diebus illis venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem Salomonem, steteruntque coram eo: Quarum vna ait, Obsecro mi Domine, ego & mulier hæc habitamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo. Tertia vero die postquam ego peperi, peperit & hæc, & eramus simul, nullusque alius in domo nobiscum, exceptis nobis duabus. Mortuus est filius mulieris huius nocte: dormiens quippe oppressit eum. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum, de latere meo, ancillæ tuæ dormientis; & collocauit in sinu suo, suum autem filium qui erat mortuus, posuit in sinu meo. Cumque surrexissem mane vt darem lac filio meo, apparuit mortuus. Quem diligẽtius intuens clara luce deprehendi non esse meum, quem genueram. Respondit que altera mulier. Non est ita, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. E contrario illa dicebat. Mentiris: filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. Tunc Rex ait: Hæc dicit, Filius meus viuit, & filius tuus mortuus est. Et ista respondet non, sed filius tuus mortuus est & filius meus viuit. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attulissent gladium coram rege: Diuidite inquit infantem viuum in duas partes: & date dimidiam partem vni & dimidiam

midiam partem alteri. Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus, ad Regē: (Commota sunt quippe viscera eius super filio suo.) Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. Econtrario illa dicebat. Nec mihi nec tibi: sed diuidatur. Respondit rex & ait: Date huic infantem viuum, & non occidatur: Hęc est enim mater eius. Audiuit itaq; omnis Israël iudicium quod iudicasset rex: & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo, ad faciendum iudicium.

Gradnale. Esto mihi in Deū protectorem, & in locum refugij, vt saluum me facias. *Vers.* Deus in te speraui Domine non confundar in æternum. *Psal. 30. & 70.*

Tract. Domine non secundum peccata nostra quæ fecimus nos: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Vers.* Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. *Vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster! & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos; & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Psal. 102. Psal. 78.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore. Prope erat Pascha Iudæorum & ascendit Iesus Hierosolymam; & inuenit in templo vendentes oues & boues, & Columbas, & numularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit *Cap. 2.*

cit de templo, oues quoque & boues & nummulariorum effudit ęs, & mensas subuertit: & his qui columbas vendebant dixit: Auferte ista hinc; & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Recordati vero sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei. Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus & dixit eis. Soluite templũ hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi. Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui: Cum ergo resurrexisset à mortuis recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat de corpore suo. Et crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixit Iesus. Cum autem esset Hierosolymis in Pascha die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes eius signa quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis: eo quod ipse nosset omnes: & quia opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.

Offertorium. Iubilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia intrate in conspectu eius in exultatione: quia Dominus ipse est Deus.

Secreta.

OBlatum tibi Domine sacrificium viuificet nos semper & muniat. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus: Et tuam suppliciter misericordiam implorare vt exercitatio venerande

randa ieiunij ſalutaris, nos à peccatorum noſtrorum maculis purgatos reddat, & ad ſupernorum ciuium ſocietatem perducat. Et vt hic deuotorum actuum ſumamus augmentum, & illic æternę beatitudinis percipiamus emolumentum. Per Chriſtum.

Communio. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Poſt-Communio.

SVmptis Domine ſalutaribus ſacramentis, ad redemptionis æternę quæſumus proficiamus augmentum. Per Dominum.

Super populum.

DEprecationem noſtram quæſumus Domine benignus exaudi, & quibus ſupplicãdi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium Per Dominum.

TVeatur quæſumus Domine dextera tua populum tuum deprecantem & purificatum dignanter exaudiat; vt conſolatione præſenti, ad futura bona proficiat. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus, dexteræ ſuæ perpetuo nos circundet auxilio, & benedictionum ſuarum repleat dono. ℟. *Amen.*

Ab omni nos prauitate defendat, & donis cæleſtibus exuberare concedat. ℟. *Amen.*

Quo corpore mundati ac mente, talem ei exhibeamus ſeruitutem, per quam ſuá cõſequi mereamur propitiationem. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA TERTIA POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

CAput istud primum per omnes missas destinatum est à nobis explicationi historicæ, quæ si nulla requiratur, tum id sumimus quod ad materiam officij proxime pertinet, qua ratione initio diu versati sumus in explicatione ieiunij quadragesimalis, Deinde, quia non fere extra quadragesimam occurrunt feriæ quæ habeant officium proprium, explicauimus duobus capitibus omnem rationem feriarum. Nunc hoc videtur oportunum, vt ex ijs quæ pertinent ad explicationem passionis Dominicæ, nonnulla quoque describamus, Passio enim Domini præcipuum est pœne argumentum Quadragesimæ, libet ita breuiores Catholicas formulas explicare, quibus se homines deuoti in meditanda Domini passione exercere consueuerunt, inter quas principem locum tenet meditatio quinque vulnerum, qua in re hunc ordinem seruabimus. Primo videbimus historiam horum quinque vulnerum, deinde eius mysteria, quæ pertinent ad fidem, tertio, ea, quæ pertinent ad doctrinam & emendationem vitæ, Postremo, subiiciemus orationes ad singula vulnera. Christus Dominus toto corpore à vertice capitis vsq; ad plãtam pedis vnum fuit continuum vulnus. Corona spinea supremam partem capitis grauissime afflixerat, colaphi faciem contuderant, vincula manus, & brachia torserant, crudelissima flagellatio totum corpus fœdissime lacerauerat, nam siue de eius morte Pilatus cogitauerit, siue ea flagellatione exsaturari solum voluit odia Iudæorum, non potest nisi acerbis-

sima

ſima flagellatio, tanta, vt Pilato cum producenti in publicum ſufficerent iſta verba: Ecce homo, quod vt maximè ita exiſtat, nos tamen in vulneribus Chriſti recenſendis, ea potiſſimum ſpectamus, quæ & cæteris grauiora exſtiterunt, & ad mortem procurandam potiſſimum ſunt adhibita, quæ quinque à catholicis numerantur. Vulnus manus dextræ, alterum; manus ſiniſtræ. Vulnus plantæ pedis dexteri; alterum pedis ſiniſtri, quæ vulnera accepit Dominus magnis clauis ferreis, quibus per eas partes corporis affixus eſt cruci. Quintũ poſtremo vulnus lateris, quod accepit iam mortuus, quo creditur fuiſſe vulneratum cor Domini, & dicitur vulnus cordis, quod vulnus licet nullum attulerit dolorem corpori Domini, tamen quia à milite videtur hoc factum, quomodo ſicarii ad perfectam certitudinem mortis, & vt ſuæ crudelitati ſatisfaciant infigunt pugiones in cor etiam eius, quem putant iam mortuum. Præterea quia corpus Domini etiam mortuum erat ſanctiſſimum, cui debebatur diuinus honor, vtpote vnitum naturæ diuinæ, poſtremo qui à iſtius vulneris ſunt maxima myſteria, recte hoc vulnus præcipuum ſemper fuit habitum. De vulneribus clauorum non illud ſic nominatim ſcribunt Euangeliſtæ, in narratione paſſionis, ſed qui dicunt eum eſſe crucifixum, hoc certe dicunt, quod profitemur; ea ratione qua neceſſario intelligitur laqueus & occluſum guttur in eo quem dicimus ſententia iudicis ſuſpenſum. Fuiſſe vero Dominum affixum clauis per manus atque pedes nullus mortalium, ne ſuſpicando quidem vllo vnquam tempore dubitauit Tertullianus de veteri vaticinio: Foderunt manus meas, & pedes meos quæ propria inquit atrocitas crucis. *Hilarius de Trinitate lib. 10.* Penduli in cruce corporis *Aduerſus Iudæos cap. 10.*

pœnæ & colligantium funum violenta vincula & adactorum clauorum cruda vulnera. *Quin clauorum vſus ita vſitatus in crucifixione, vt inde Graeci hoc ſuppliciũ* proſeloosin *quaſi clauifixionem nominare conſueuerint. Adfert Lipſius ex quo haec deſcripſimus alia quoque nonnulla diuerſorum authorum teſtimonia, quibus oſtendit in omni pœne crucifixione fuiſſe ordinarium, vt Rei ſic clauis figerentur ligno, ſed nobis omnem eam quaſtionem in crucifixione Chriſti ſuſtulit dubitatio Thomæ Apoſtoli:* Niſi videro *inquit* in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum & mittam manum meam in latus eius non credam, *& illud quod ſequitur. Deinde Dominus dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc & vide manus meas, & affer manum tuã, & mitte in latus meum & noli eſſe incredulus, ſed fidelis, & quidem licet hoc ſit certiſſimæ ac ſumme teſtatæ fidei, quod diximus de vulneribus manuum atq; pedum; ſic non æque omnes conſentiũt quot clauis fuerit Dominus affixus cruci: communis enim opinio Chriſtianorum eſt, vtrumq; pedem vno clauo fuiſſe perfoſſum, ſunt nihilominus qui ſingulis membris ſingulos tribuunt clauos, quæ res ad vulnerum rationem nõ pertinet. Erat igitur principalis finis iſtius affixionis, vt ſic ibi fixus Dominus, dolore illorũ vulnerum, quem faciebat per clauos crudelis affixio, totius quoque corporis præcedente flagellatione, inedia, lento pendentis extenſiq; corporis grauiſſimo cruciatu, crudeliſſimo hoc genere ſupplicij morerentur, quo niſi in maximorum turpiſſimorumq; criminum Reos, & abiectiſſimæ ſortis homines, conſueuerat animaduerti, quod argutas manus, tot oſſibus & neruis compactas plantas pedum, duro ferro per foraret,*

foraret, quod totius corporis neruos contra motum naturalem extenderet, distenderetq́, quod omnium membrorũ iuncturas sic conuulsas dissolueret, quod omnes partes corporis vno atque eodem tempore grauissime sic affligeret; vt caput, nec ante, nec retrorsum reclinaret; humeri ipsi sibi oneri existerent, brachia grauissimis doloribus, & a corpore deorsum, & à clauis sursum traherentur; Spina dorsi ad lignum erecta, nec flecti ad quietem, nec moueri ad tollendã lassitudinem posset; costa ita tensa vt diceret Prophetа: Dinumerauerũt omnia ossa mea, vires totius corporis, nec ad sustinendam, nec ad deserendam vitam idoneа. Deniq́, tot mortes, quot sunt dilatа mortis momenta. Ista itaque vulnerũ meditatione aliquid etiam maius, quam mortis Dominica cogitatione continetur: nam licet eadem pœne sint, vulnus lethale, & ipsum quod vulnus subsequitur lethum, est tamen aliqua etiam maior indignitas vulneris, quam mortis: vulnera enim varie astimantur, & ex inferentium iniuria, & ex accipientis dignitate, & ex vulneris modo, qualitate, grauitate, mors contra eadem atque vna est omnibus, animа e corpore abscessio. Omnia itaque quа de morte, eadem, & multo etiam plura de vulneribus Domini & possunt & debent cogitari, neque enim mors Domini, tam fuisset grauis, tam meritoria, si non etiam per ista vulnera vitam profudisset, & prater mortem, meditatio vulnerum trahit secum meditationem de genere mortis: nempe quod cruci affixus, per hoc genus supplicij mori voluerit bonus Dominus. Atque hac de bistoria quinque vulnerum.

EXPLI

EXPLICATIO OFFICII.

IEiunator Quadrageſimæ, hodierno die ſuæ introitu officii dicit, ſe contriſtari & conturbari in exercitatione ſua, & hoc à voce inimici, & à tribulatione peccatoris, infirmum ſe agnoſcit, non contriſtatur propter peccatum tribulantium, quod eſt perfectorum hominum, ſed propter ſuam afflictionem, amiſſa mentis, & quietis ſpiritus tranquilitate dicit ſe effectum amaro animo iracundum, & cogitationum diſceptationibus tumultuoſum, antequam ſe exerceret non audiebat iſtas voces inimici, neq; iſtas tribulationes peccatoris neque ab hominibus, neque à conſcientia accuſante, neque à damone infeſtante neque à carne, & mundo repugnante, ob hanc itaque ſuam contriſtationem, & conturbationem, antequã eam exponat Domino, Exaudi, inquit, Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam. Poſt expoſitam Domino ſuam triſtitiam & conturbationem, ne deficiat animo, & reſiliat à bona exercitatione, duo petit in collecta; nempe vt exercitatio ieiunij ſit augmentum pia conſeruationis, & vt Dominus præſtet continuum auxilium ſuæ propitiationis. Lectio ad conſolationem iſtius contriſtati & conturbati, proponit exemplum Moyſis, qui ſuſtinuit magnam tribulationem peccatorum populi, qui receſſerat cito de via quam oſtenderat ei, quitam non voluit vindicari, vt etiam Domino pia & humili deuotione reſiſteret, licet illi Moyſi diceret Dominus, ſe hoc facturum magna ſua gloria faciamq; te inquit, in gentem magnam. Graduale proſequitur petitionem continui auxilij diuinæ propitiationis.

petitionis : & hoc exemplo Moysis qui orabat Deum, vt placaretur populo propter nomen suum. Versus quoq; istius gradualis, inter duo exempla lectionis & Euangelij excitat attentionem nostram: Deus inquit auribus nostris audiuimus &c. In Euangelio B. Ioannes narrat nobis opus, quod operatus est Dominus in diebus Apostolorum, & in diebus antiquis, & quidem ad dies antiquos pertinet, quod dicit Dominus de Moyse, de illius lege & circuncisione; ad dies vero Apostolorum, quomodo vox inimici, & tribulatio peccatoris, voluit interficere Dominum. Offertorium & Communio continent consolationem istius contristati & contribulati, dicit offertorium: Immisit in os meum canticum nouum, id est resignationem mei ipsius, & oblationem mei in manus Domini, canticum nouum, vita noua, quæ vtique est hymnus Deo nostro. Communio assurgit etiam altius, propter fiduciam quam accipit ex participatione mysteriorum. Postremo quo sensu cœpit eodem finit officium: Miserere Domine populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem propitius respirare concede: Scit nullum esse finem tribulationum in hoc seculo ; idcirco solam petit respirationem, donec impleatur in futuro vera & perfecta liberatio.

MISSA FERIÆ III. POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

INTROITVS.

EXaudi Deus orationem meam & ne despexeris deprecationem meam: intende in me

me & exaudi me. *Pſal.* Contriſtatus ſum in exercitatione mea, & conturbatus ſum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. *Verſ.* Gloria Patri.

OREMVS.

SAcræ nobis quæſumus Domine obſeruationis ieiunia, & pię conſeruationis augmẽtum, & tuæ conſeruationis continuum præſtẽt auxilium. Per Dominum.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi ſupplicantis propitius reſpice & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur auerte. Per Dominum,

Lectio libri Exodi.

Cap. 32. IN diebus illis locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: deſcende de monte, quia peccauit populus tuus, quem eduxiſti de terra Ægypti: Receſſerunt cito de via quam oſtendiſti eis, feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hoſtias, dixerunt: Iſti ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rurſumque ait Dominus ad Moyſen: Cerno quod populus iſte duræ ceruicis ſit: dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos: faciamque te in gentem magnã. Moyſes autem orabat ad Dominũ Deũ ſuũ, dicẽs: Cur Dñe iraſcitur furor tuus cõtra populũ tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robuſta? ne quæſo dicant Ægyptij: callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret de terra: quieſcat ira

tua,

tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro: & possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum: & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

Graduale. Exurge Domine fer opem nobis, & libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri anunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, Iam die festo mediante, ascēdit Iesus in templum, & docebat, & mirabātur Iudæi dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, si quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere, respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interfi- Cap. 7.

me & exaudi me. *Psal.* Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. *Vers.* Gloria Patri.

ORemvs.

SAcræ nobis quæsumus Domine obseruationis ieiunia, & pię conseruationis augmẽtum, & tuæ conseruationis continuum præstẽt auxilium. Per Dominum.

DEus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi supplicantis propitius respice & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur auerte. Per Dominum,

Lectio libri Exodi.

Cap. 32. IN diebus illis locutus est Dominus ad Moysen, dicens: descende de monte, quia peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti: Recesserunt cito de via quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos: faciamque te in gentem magnã. Moyses autem orabat ad Dominũ Deũ suũ, dicẽs: Cur Dñe irascitur furor tuus cõtra populũ tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta? ne quæso dicant Ægyptij: callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus & deleret de terra: quiescat ira

tua,

tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro: & possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum: & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

Graduale. Exurge Domine fer opem nobis, & libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri anunciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore, Iam die festo mediante, ascē- *Cap. 7.*
dit Iesus in templum, & docebat, & mirabātur Iudæi dicentes: quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, si quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Qui à semetipso loquitur gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius, qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere, respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interfi-

interficere. Respondit Iesus, & dixit eis, vnum opus feci & omnes miramini: Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem; non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Et in Sabbatho circunciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbatho, vt nō soluatur lex Moysi; mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbatho? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis. Nonne hic est quem quærunt interficere? Ecce palam loquitur: & nihil ei dicunt: Nunquid verè cognouerunt Principes quia hic est Christus? sed hunc scimus vnde sit, Christus autem cum venerit, nemo scit vnde sit: Clamabat ergo docés in templo Iesus, & dicens. Et me scitis & vnde sim scitis: & à me ipso non veni: sed est verus qui misit me, quem vos nescitis: ego scio eum: & si dixero, quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus: quia nondū venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum.

Offertorium. Expectans expectaui Dominū & respexit me, & exaudiuit deprecationem meam: & immisit in os meum canticorum nouum hymnum Deo nostro. *Vers.* I. Statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. *Vers.* II. Multa fecisti tu Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non est qui similis tibi, bene nunciaui iustitiam in ecclesia magna. *Vers.* III. Domine Deus tu cognouisti iustitiam meam non abscondi in corde meo veri-

tatem

tatem tuam,& salutare tuũ dixi. Adiutor meus Domine & protector meus.

Secreta.

Hæc hostia quæsumus Domine emundet nostra delicta,& ad sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum.

Præfatio.

Aeterne Deus,per mediatorem Dei & hominum Iesum Christum Dominum nostrum,qui mediante die festo ascendit in templum docere,qui de cœlo descendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare. Cuius descensus genus humanũ doctrina salutari instituit: mors à perpetua morte redemit, ascensio ad cœlestia regna produxit: per quem te summe pater poscimus,vt eius institutione edocti, salutaris par simonię deuotione purificati,ad tua perueniamus promissa securi. Per quem maiestatem.

Communio. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.

Post-Communio.

Hvius nos Domine præceptio sacramenti mundet à crimine,& ad cœlestia regna perducat. Per Dominum.

Super populum.

Miserere Domine populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem propitius respirare concede. Per Dominum nostrum.

Da nostræ summe conditionis reparator Omnipotens Deus, vt & semper declinemus

mus à malis, & omne quod bonum est prompta voluntate sectemur. Per Dominum nostrum.

Ad Benedictionem.

PVrificet omnipotens Deus nostrorum cordium arcana; & benedictionis suæ nobis tribuat incrementa. *Amen.*

Ab omnibus vitæ præsentis periculis exuamur, & virtutum spiritalium ornamentis induamur. *Amen.*

Quo illius adiutorio fulti, sic ei seruiamus in terris, vt ei coniungi valeamus in cœlis. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA QVARTA POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

De tertio Scrutinio, quod vocatur in apertione aurium.

HOc die fit tertium scrutinium, quod est omniũ maxime solemne: & vocatur in apertione aurium, cuius ordinem totum idcirco descripsimus, quod res ea pulcherrima existat, & omnibus etiam fidelibus, eius rei lectio summopere conueniat.

Initio omnia fiunt vt duobus scrutinijs præcedentibus vsque ad: signate illos, state cum disciplina & silentio, quod fit post collectam Missæ, ea enim denuntiatione facta & electis signatis signaculo fidei, tunc leguntur duæ lectiones in aurium apertionem.

Lecti

Lectio Hesaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: Audite audientes me: & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite & viuet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem & præceptorem gẽtibus. Ecce gentem quam nesciebas, vocabis & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & sanctum Israël, quia glorificauit te. Quærite Dominum, dum inueniri potest, inuocate eum dũ prope est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. *Sequitur Resp. Gra. Venite filij. Item alia lectio. Ad Coloss. cap. 3.*

Fratres expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & inducentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit eum, vbi non est gentilis, & Iudæus circuncisio & præputium, Barbarus & Schyta, seruus & liber: sed omnia, & in omnibus Christus. Induite vos sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam supportantes inuicem, & donantes vobismetipsis, si quis habet aduersus aliquem querelam. Sicut Dominus donauit vobis ita & vos. Super omnia autem hæc charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis: & pax Christi exultet in cordibus vestris: in qua vocati estis in

vno corpore; Et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia: docentes & commonentes vosmetipsos, psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu, gratias agentes Deo & Patri per ipsum. Sequitur Resp. Graduale Beata gens, cuius est Dominus. *Inde vero procedunt quatuor diaconi de sacrario, cum quatuor libris Euangeliorum, precedentibus eos duobus candelabris cum thuribulo & incenso, & ponũt ipsa Euangelia super quatuor angulos altaris, & ante quam aliquis eorum legat, tractet presbyter his verbis: Aperturi vobis filij charissimi euangelia, id est gesta diuina, prius ordinem insinuare debemus, quid sit Euangelium, & vnde descendat, & cuius in eo verba ponantur, & quare quatuor sint, qui hæc scripserunt, vel qui sint ipsi quatuor, qui diuino spiritu annunciante, a Propheta signati sunt? ne forte sine hac ordinis ratione vel causa, stuporem vobis in mentibus relinquamus. Et quia ad hoc venistis vt aures vobis aperiantur, ne incipiat vobis sensus vester obtundi. Euangelium dicitur proprie bona annunciatio, quæ vtique annunciatio est Iesu Christi Domini nostri Descendit autem euangelium ab eo quod annunciet & ostendat, quod is qui per prophetas suos loquebatur, venit in carne sicut scriptum est Qui loquebar, ecce ad sum. Explicantes autem breuiter, quid sit Euangelium; vel qui sint hi quatuor, qui per Prophetam ante monstrati sunt, nunc sua quæque nomina singulis assignemus indicijs. Ait enim Propheta Ezechiel, & similitudo vultus eorum vt facies hominis, & facies leonis a dextris illius,*

illius, & facies vituli, & facies aquilæ a ſiniſtris illius. Hos quatuor, has figuras habentes Euangeliſtas eſſe non dubium eſt: Sed nomina eorum qui euangelia ſcripſerunt hæc ſunt: Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes. His expletis annunciat Diaconus, dicens: State cum ſilentio audientes intente. Et tunc accipiens vnus diaconus deſuper angulo primo altaris ſiniſtro, librum euangeliorum præcedentibus ante eum duobus candelabris, cum thuribulis; aſcendit ad legendum, & dicit. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo.

Initium ſancti Euangelij ſecundum Matthæum.

Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham; &c. *vſque ad,* ipſe enim ſaluũ faciet populũ à peccatis eorũ. *Et poſtquam legerit ſubdiaconus, ſuſcipit de eo ipſum euangelium ſuper linteum, & portat in ſacrarium: & tractet iterum presbyter his verbis.*

Filij chariſſimi ne diutius vos teneamus, exponemus, vobis quam rationem, & quam figuram vnuſquiſque in ſe teneat: & quare Matthæus in ſe figuram hominis habeat, quia in initio ſuo nihil aliud egit, niſi natiuitatem ſaluatoris pleno ordine generationis enarrat ſic enim cœpit: Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid. Videtis quia non immerito huic, hominis aſſignata eſt perſona: quoniam ab hominis natiuitate initium comprehendit, nec immerito, vt diximus huic myſterio deſignata eſt Matthæi perſona. His expletis dicit diaconus, vt ſupra: State cum diſciplina, & ſilentio audientes intentè. Iterum accipit alter diaconus deſuper ſiniſtro angulo altaris, alium librum Euangelij, præcedentibus ſimiliter duobus candelabris & legit.

Initium ſancti Euangelij ſecundum Marcum.

Initium Euangelii Ieſu Chriſti filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Heſaia Propheta: Ecce mitto angelũ meum ante faciem tuam, &c. vſque ad: Ego baptizo vos in aqua, ille vero baptizabit vos ſpiritu ſancto. Poſtmodum proſequitur presbyter iſtis verbis: Marcus Euangeliſta, Leonis gerens figuram, à ſolitudine incipit, dicens: vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, ſiue quia regnat inuictus. Huius leonis multifaria inuenietis exempla, vt non vacet dictum illud. Iuda filius meus, catulus leonis, de germine mihi aſcendiſti, recumbens, dormiuit vt leo, & ſicut catulus leonis, quis excitabit eum? Iſtis expletis, dicit diaconus vt ſupra: State cum ſilentio audientes intente. Et accipit diaconus tertium deſuper tertio angulo dexiro altaris, tertium librum & legit.

Initium ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Fuit in diebus Herodis Regis ſacerdos quidam nomine Zacharias, &c. vſque adparare Domino plebem perfectam, & tractet Presbyter his verbis.

Lucas Euangeliſta vituli ſpeciem geſtat, ad cuius inſtar ſaluator noſter eſt immolatus. Hic enim Chriſti Euangelium locuturus, ſic cœpit de Zacharia & Elizabeth: de quibus Ioannes Baptiſta in ſumma natus eſt ſenectute. Et ideo Lucas vitulo comparatur, quia duo cornua, duo teſtamenta, & quatuor pedum vngulæ, quatuor Euangelia, quaſi tenera firmitate naſcentia, in ſe plenissime contineant. Iſtis expletis iterum annun-

ciat

ciat Diaconus vt supra : State cum silentio audientes intente,& accipit Diaconus desuper quarto angulo dextro altaris , quartum librum , & legit.

Initium sancti Euangelij secundum Ioannem.

In principio erat verbum & verbum erat apud Deum &c. vsq; ad plenum gratia & veritatis. Iterum prosequitur Presbyter his verbis.

Ioannes Euangelista habet similitudinem aquilæ, eo quod nimis alta petierit, ait enim. In principio erat verbum & verbum erat apud Deum , hoc erat in principio apud Deum. Et Dauid dicit de persona Christi: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua , id est Iesu Christi Domini nostri, qui resurgens à mortuis ascendit in cœlos vnde iam vobis cõceptis pragloriatur Ecclesia, omnes festiuitates veterum, ad noua tẽdere Christianæ legis exordia vt adueniente die venerabilis Paschæ, lauacro baptismatis renascentes, sicut omnis sancti mereamini fidele munus infantiæ à Christo Domino nostro percipere, qui venit & regnat Deus: & dicit præfationem symboli.

Dilectissimi nobis, accepturi sacramẽta baptismatis, & in nouam creaturam sancti spiritus procreãdi, fidem, qua credentes iustificandi estis, toto corde cõcipite, & animis vestris vera conuersatione mittatis ad Deum , qui mentium vestrarum illuminator est: accedite suscipientes Euangelici symboli sacramentum, à Domino inspiratum, ab Apostolis institutum. Cuius panca quidem verba sunt, sed magna mysteria . Sanctus etenim spiritus qui magistris ecclesiæ ista dictauit , tali eloquio , taliq; breuitate salutiferam condidit fidem, vt quod credendum vobis est , semperq; profi-

tendum, nec intelligentiam possit latere, nec memoriam fatigare. Intentis itaque animis symbolum discite, & quod vobis, sicut accepimus tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi potest, sed paginis vestri cordis adscribite. Confessio itaque fidei quam suscepistis hoc inchoatur exordio. Ipsa expleta accipiens acolythus vnum ex ipsis infantibus masculum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum super caput eius dexteram: & interrogat eum presbyter Græce dicens: πῶς γλώττῃ ὁμολογεῖσιν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν; & respondet acolythus: Ἑλληνιστί. Iterum dicit presbyter: ἀνάγγειλι τὴν πίστιν αὐτῶ πῶς πιστεύωσιν, & dicit Acolythus Symbolum Græce decantanda: πιστεύω εἰς θεὸν πατέρα &c. vsque ad τὸ μέλλοντος αἰῶνος. Hoc expleto vertit se ad fœminas, & facit similiter. Iterum acolythus aliter, accipiẽs ex ipsis infantibus, masculum vnum, & tenens in sinistro brachio, ponit manum suam super caput ipsius, & interrogat eum presbyter latine: qua lingua confiteatur Dominum nostrum Iesum Christum. Et respondet acolythus latine iterum dicit presbyter: annũcia fidem ipsorum qualiter credant. Et ponẽs manum acolythus super caput infantis, dicit Symbolum latine, decantando his verbis.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem &c. vsque ad & vitam venturi sæculi. Amen.

Hoc finito accipit iterum aliter acolythus ex ipsis infantibus fœminam, sicut supra. Et interrogat presbyter sicut antea: & ipse acolythus cantat symbolum sicut supra scriptum est. Hoc expleto loquitur presbyter his verbis: hæc summa est dilectissimi nobis fidei nostræ; hæc verba sunt symboli, non sapientiæ humanæ sermone facta, sed veræ diuinitatis ratione dispositæ:

dispositæ: Quibus comprehendendis atque seruandis nemo non idoneus, nemo non aptus. Hic Dei Patris, & filij una æqualitas pronunciatur atque potestas. Hic vnigenitus Dei de Maria virgine & spiritu sancto, secundum carnem natus ostenditur. Hic eiusdem crucifixio & sepultura, ac die tertia resurrectio prædicatur. Hic ascensio ipsius super cœlos, & confessio in dextera paterna maiestatis agnoscitur, venturusq; ad iudicandos viuos, & mortuos declaratur. Hic spiritus sanctus in eadem, qua pater, & filius deitate indiscretus accipitur. Hic postremo ecclesiæ vocatio, peccatorum remissio, & carnis resurrectio perdocetur. Quæ breuissima plenitudo ita debet vestris cordibus inhærere, vt omni tempore præsidio huius confessionis vtamini. Inuicta est enim talium armorum potestas, & contra omnes vobis insidias diaboli, tamquam bonis Christi militibus profutura. Diabolus qui hominem tentare non desistit, munitos vos hoc symbolo semper inueniat: vt deuicto aduersario cui renunciastis, gratiam Domini incorruptam & immaculatam, vsque in finem ipso quem confitemini protegente seruetis: vt in quo peccatorum remissionem accipitis, in eo gloriam resurrectionis habeatis. Ergo dilectissimi præfatum symbolum fidei catholicæ in præsenti cognouistis, nunc euntes edocemini nullo mutato sermone. Potens est enim Dei misericordia, quo & vos ad baptismi fidē currentes perducat, & nos qui vobis mysteria tradimus, vna vobiscum ad regna cœlestia faciat peruenire. Per eundem.

His expletis, annunciat diaconus dicens: state cū silentio & reuerentia, audientes intente. Deinde subsequitur sacerdos, hanc præfationem dominicæ orationis.

Dominus & saluator noster Iesus Christus inter cetera sacra præcepta, discipulis suis petentibus, quemadmodum orare deberent, non solum formam orationis concessit: verum etiam qua mente & puritate precarentur, ostendit: vt in præsenti sacra hæc lectio demonstrabit: Tu autem cum orabis intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Cubiculum, quod nominat non occultam domum ostendit, sed cordis nostri secretum, id est vt à mala cogitatione, pectus nostrum mystica fidei claue claudamus, ac labijs clausis incorrupta mente loquamur. Deus enim noster fidei, non vocis, auditor est. Ergo vnde sermo est, id est sapientia Christus Dominus noster, hanc orationem nos docuit, vt ita oremus.

Pater noster qui es in cœlis.

Hæc libertatis vox est, & plena fiducia. Ergo nobis his moribus est viuendum, vt & filij Dei, & fratres Christi esse possimus. Nam patrem suum Dominum qua temeritate dicere præsumit, qui ab eius voluntate degenerat? Vnde vos dilectissimi dignos exhibete adoptione diuina: quoniam scriptũ. Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri.

Sanctificetur nomen tuum.

Non quod Deus nostris sanctificetur orationibus, qui semper est sanctus: sed petimus, vt nomen eius sanctificetur in nobis, vt qui in baptismate eius sanctificamur, in eo quod esse cepimus, perseueremus.

Adueniat regnum tuum.

Deus namq; noster quando non regnat maxime cuius regnum est immortale? Sed cum dicimus, adueniat regnũ tuũ, regnũ petimus aduenire à Deo nobis

nobis promissum, Christi sanguine & passione quasitum.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.

Id est, in eo fiat voluntas tua, vt quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra positi irreprehensibiliter faciamus.

Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie.

Hic spiritalem cibum intelligere debemus. Christus enim panis est noster, qui dixit: Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. Quem quotidianum dicens, ita nos semper immunes præcipit esse peccati, vt digni simus cœlestibus alimentis.

Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Hoc pactum est, significans nos non aliter peccatorum posse veniam promereri, nisi prius nos, in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus, sicut in Euangelio Dominus noster dicit. Nisi dimiseritis peccata hominibus, nec vobis pater vester dimittet peccata vestra.

Et ne nos inducas in tentationem.

Id est, ne nos patiaris, induci ab eo qui nos tentat, prauitatis authore: nam dicit Scriptura: Deus enim intentator est malorum; Diabolus vero est tentator, ad quem euincendum Dominus dicit: Vigilate & orate ne intretis in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Hoc ideo ait, quia dixit Apostolus: Nescitis quid vobis oporteat orare. Vnde Deus omnipotens ita à nobis orandus est, vt quidquid humana fragilitas cauere non præualet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur Iesus Christus Dominus noster, qui viuit & regnat cum Deo patre & spiritu sancto. Per omnia secula seculorum. Amen.

Istis

Istis expletis admoneantur a diacono: State cum silentio audientes intente. Statimq; prosequitur presbyter his verbis.

Audistis dilectissimi orationis dominicæ sacra mysteria, nunc euntes, ea vestris cordibus innouate, vt ad exorandam ac percipiendam Dei misericordiam perfecti in Christo esse possitis.

Potens est Dominus Deus noster, vt & vos, qui ad fidem curritis ad lauacrum regenerationis perducat, & nos qui vobis mysterium fidei catholicæ tradidimus, vna vobiscum ad cœlestia regna faciat peruenire. Qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate spiritus sancti. Per omnia secula seculorum. Amen.

Ipsis expletis annunciat Diaconus: Catechumeni recedant Si quis catechumenus est recedat. Omnes catechumeni exeant foras Egressi vero parentes, cũ infantibus eorum foris, relinquunt ipsos infantes in custodia, & iterum ingrediuntur in ecclesiam tam parentes, quam & illi qui ipsos infantes susceperi sunt, cum oblationibus eorum, & offerunt eas, pro ipsis.

Secreta.

Exaudi nos omnipotens Deus, & famulos tuos, quos fidei Christiana primitijs imbuisti, huius sacrificij tribuas operatione mundari. Per.

Ipsi vero infantes præ foribus exspectent donec consummentur Missarum solemnia. Expleta vero Missa, communicant omnes, præter ipsos infantes.

Post Communio.

Concurrat Domine quæsumus populus tuus & toto tibi corde subiectus obtineat, vt ab omni perturbatione securus, & saluationis suæ gaudia prom-

ptius

ptus exerceat, & pro regenerandis benignus exoret Dominum.

Super populum.

Deus qui cum ſalutem hominum ſemper operaris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore multiplicas; reſpice propitius ad electionem tuam, vt paterna protectionis auxilio regenerandos, munias & renatos. Per.

EXPLICATIO OFFICII.

TOtum officium hodiernum pertinet ad Scrutinium electorum & præter duas collectas, quæ ſunt de ieiunio, & tractum qui eſt ordinarius omni feriæ quartæ quadrageſimæ; reliqua vniuerſa pertinent ad baptiſmum. Introitus & prima lectio Ezechielis eadem ſunt, quæ erant in vetere Miſſa Scrutiniorum. Explicatur hodiernum officium à Ruperto Tuitienſi, iſtis verbis.

Iam vero de hac feria, quam ſanctum, quam piũ, quam myſticum, ſecundum ea, quæ dicta ſunt ſequitur Miſſæ officium: Primum in Euangelio, quod vt ſæpe dictum eſt, totius officij principale eſt, catechiſmi ſimul atque baptiſmi ſacramentum, ſpecioſe, à ſpecioſo noſtræ ſalutis opifice Dei filio, præfiguratum eſt. Homo enim cæcus, à natiuitate genus ſignificat humanum, magnum vtiq; cæcum, & valde cæcum, qui pulchros oculos ad videndum creatorem, mentis (vbi fulget imago factoris) inditos, in primo parente, principem tenebrarum reſpiciente, perdidit: atque ideo per hominem à natiuitate cæcum, congrue ſignificatur. Cui reuocato ad veritatis lumẽ, dum prædicatur à miniſtris Chriſti incarnatio ipſius filij

Dei,

Dei, cateraq́ mysteria, quæ in carne pro nostra salute gessit, lutum ipse facit ex ipso sputo, & linit super oculos cæci. Sputum enim oris & labiorum eius,
Psal. 44. *in quibus gratia diffusa est, sputum inquam quod à capite descendit, significat diuinitatem Christi filii Dei, verbum bonum, quod eructauit cor patris qui*
1. Cor. 11 *(vt ait Apostolus) Christi caput est expuit: namq́ caput Deus in terram, & sputum suum pulueri, quē omnis ventus agitabat, & circunferebat vniuit, quando verbum suum eructauit cor eius in terrenū vterum virginis, & pulueri nostræ naturæ in vnam personam coniunxit, vt à tali, tantoq́ sputo tantillus puluis formam stabilem, speciemq́ atque decorem accipiens, conseruaretur. Igitur dum huius incarnationis fides humano generi prædicatur, magni cæci (vt dictum est) oculi luto, quod fecit Dominus liniuntur. Cum autem ita catechizatus idem cæcus, ad sacros fontes peruenit, & lauatur fonte visibili, purificaturq́ virtute inuisibili, hoc vtiq́ agit, quod*
Ioan 9. *Dominus imperauit: Vade ad natatoriam Siloe & laua. Fons namq́ visibilis, inuocata virtute spiritus sancti, factus est natatoria Siloë id est, missi, quem ascendens, ad Patrem, missurum se esse dixit & misit discipulis suis, filius Dei. Ille inquam missus in natatoriam suam descendit, & illitos oculos fide Christi, sua remissione lauat à peccatis, illuminat agnitione Dei. Ab hoc quasi capite vniuersa membra pendent officii. Primum in Introitu vox prophetica: dum sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris & effundam super vos*
Ezec 36. *aquam mundam &c. Sanctificatur enim Dominus in catechumenis, dum audiunt, & credunt, quia*
Leui. 20. & 21. *sanctus est: & ideo effusa superse aqua munda, id est spiritu sancto, per quem hæc visibilis aqua mundatur*

datur & mundificat, emundati ab omnibus inquinamentis suis, sic deinceps viuunt, vt testimonio sint ei, quod sanctus sit, cuius precepto & ipsi sancti sunt. Hoc in vtraq; lectione diuersis verbis, sed eodem sensu reperitur. Nam in prima, qua est Ezechielis Prophetæ, idem quod in introitu cantatum est, legitur, & additur: Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum &c. Cor namq; carneum id est, molle ac tenerum, & facile cedens nouam legem scribenti digito Dei, habent catechumeni nostri, dum inscriptam sibi capiunt doctrinam fidei, quam non capiunt quæ confringuntur lapidea corda Iudæorum, quorum in typum confracta sunt priores tabulæ quas præciderat Moyses, & alia præcise in typum gentium. In secunda, dum dicit Hesaias: Lauamini, mundi estote, & si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi verniculus velut lana alba erunt: nihilominus remissio peccatorum, qua accipitur in baptismate commendatur. Ezech 36. Exod 38. Esa. 1.

Gradualia quoque pulchre atque consone ad eundem sensum concinunt. Cuius enim nisi catechizantis nouam sobolem ecclesiæ vox est: Venite filij audite me, accedite ad eum & illuminamini. Nam vt iuxta Euangelium paucis immutetur verbis, idem est ac si dicat. Venite cæci vt luto quod fecit Dominus ex sputo vestri liniantur oculi, accedite ad natatoriam Siloe, & illuminamini. Hoc autem quod duas lectiones totidemq; gradualia præsens accumulat officium, sacramenti celebritas poposcit; videlicet vt propter augmentum filiorum habeat quoque spiritualium augmenta ciborum. Lecto autem Euangelio, in quo sæpe dictus cæcus illuminatus, & extra synagogã eiectus, filiũ Dei Psal. 33.

foris inuenit, immo a filio Dei inuentus est, & prosidens adorauit, conueniens huic significationi sequitur offerenda: Benedicite gẽtes Deum nostrum. Nã
Psal. 65 in Psalmo illo, de quo sumpta est, iuxta sacram expositionem venerabilium doctorum, loquuntur Apostoli exhortando gentiles, in laude inenarrabili &
Rom. 11. opere, & voce, Deum laudare, & de occulto, & terribili iudicio eius, quo illos assumpsit, & populum sibi ante peculiarem & electum repudiauit intra se expauescere & timere: ne forte si naturalibus ramis non pepercit quia inobedientes fuerunt, immo quia cæcum illuminatum extra synagogam eiecerunt, id est gentibus credentibus communicare noluerunt, nec ipsis parcat, si superbiant. Bene ergo de Psalmo illo, vtpote de voce Apostolorum, qui magnum cæcum, id est, omnes gentes catechizauerunt, offerenda hæc sumpta cum versibus suis, ad rem concinit
Psal 65 maxime in eo quod dicimus: In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. &c. Mentiti
Mat. 10. sunt enim inimici eius dicentes: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia, cum ipse in digito Dei eiecerit. Hoc autem illud præibat agendum, quod in catechismo Christianæ fidei, spiritus immũdus eijceretur de hominibus per idolatriam possessis, quos ipse fortis armatus male pacato custodiebat atrio, bene ergo & venerabiliter cantamus hac die, qua de hac eiectione muti dæmonii mentiuntur vsque nunc, inimici eius Iudæi, quod non fiat in spiritu Dei. Sed frustra. Nam illis blasphemantibus hoc fit quod sequitur: Omnis terra adoret te. Venite & videte opera Dei, quam terribilis in consiliis super filios hominum: videlicet in illius prioris populi abiectione, & gentium assumptione. Communio quoque canora, ac suaui modulatione acutas voces efferens,

grauis-

gratulabunda prædicatio ſine teſtificatio eſt humani generis; incarnationem filii Dei confitentis, iuxta illud: Credidi propter quod locutus ſum; & ſicut indignantibus & maledicentibus Phariſæis, & extra ſynagogam eicientibus non tacebat dicens; Ille homo qui dicitur Ieſus lutum fecit, ex ſputo & linuit oculos meos, & modo video: ſic beati illi, quibus ait Dominus: Beati eritis cum oderint vos homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filiũ hominis: quanto magis maledicunt eis inimici Chriſti, & os eorum opprimunt, tanto magis prædicant, ſcientes & intelligentes lutum illud, ideſt incarnationem Chriſti, illuminationem omnium eſſe videntium.

MISSA FERIÆ IIII. POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

INTROITVS.

CVm ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuerſis terris: & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum nouum. *Ezech. 36.*

Pſal. Benedicam Dominum in omni tẽpore: ſemper laus eius in ore meo. *Verſ.* Gloria.

Poſt. Kyrie eleiſon, dicitur.

OREMVS. Flectamus genua. *Reſp.* Leuate.

ORATIO.

DEus, qui & iuſtis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium veniam præbes;

bes: miſerere ſupplicibus tuis: vt reatus noſtri confeſſio, indulgentiam valeat percipere delictorum Per Dominum.

PROPHETIA.

Lectio Ezechielis Prophetæ.

Cap. 36. HÆc dicit Dominus Deus : Sanctificabo nomen meum magnum: vt ſciant gentes quia ego Dominus. Cum ſanctificatus fuero in vobis coram eis, tollam quippe vos de gentibus: & congregabo vos de vniuerſis terris & adducam vos in terram veſtram. Et effundam ſuper vos aquam mundam , & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris: & ab vniuerſis idolis veſtris mundabo vos, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri. Et auferam cor lapideum de carne veſtra; & dabo vobis cor carneum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis & iudicia mea cuſtodiatis & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus veſtris: & eritis mihi in populum & ego ero vobis in Deum dicit Dominus omnipotens.

Pſal. 33. *Graduale.* Venite filij , audite me, timorem Domini docebo vos. *Verſ.* Accedite ad eum, & illuminamini : & facies veſtræ non confundentur.

Hic dicitur: Dominus vobiſcum, ſine Flectamus genua.

OREMVS.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus : vt quos ieiunia votiua caſtigant, ipſa quoque deuotio

deuotio ſancta lætificet: vt terrenis affectibus mitigatis facilius cœleſtia capiamus. Per Dominum.

Parce Domine parce populo tuo vt dignis flagellationibus caſtigatus in tua miſeratione reſpiret. Per.

Lectio Iſaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: Lauamini mundi eſtote auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Et venite & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur. Et ſi fuerint rubra quaſi vermiculus: velut lana alba erunt. Si volueritis, & audieritis me: bona terræ comedetis dicit Dominus omnipotens. *Cap. 1.*

Graduale. Beata gens cuius Dominus eſt Deus eorum: populus quem elegit Dominus in hæreditatem ſibi. *Verſ.* Verbo Domini cœli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *Pſal. 32.*

Tractus Domine non ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. *Verſ.* Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius eſto peccatis noſtris propter nomẽ tuum. *Pſal. 101* *Pſal. 78.* *Ibid.*

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore: Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli eius, Rabbi: quis peccauit, hic aut parentes eius vt cæcus naſceretur? reſpondit Ieſus. Neque hic peccauit neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo, me oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox quando nemo poteſt operari. Quamdiu in mundo ſum lux ſum mundi. Hæc cum dixiſſet: expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo; & liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, lana in natatoria Siloe, quod interpretatur miſſus. Abijt ergo & lauit & venit videns. Itaque vicini & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant. Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebant, quia hic eſt: alij autem nequaquam, ſed ſimilis eius eſt, ille vero dicebat, quia ego ſum. Dicebant ergo ei, quomodo aperti ſunt tibi oculi? Reſpondit, ille homo, qui dicitur Ieſus, lutum fecit: & vnxit oculos meos, & dixit mihi. Vade ad natatoriam Siloe & laua. Et abij, & laui, & vidi. Dixerunt ergo ei. Vbi eſt ille? Ait, Neſcio. Adducunt eum ad Phariſæos, qui cæcus fuerat. Erat autem Sabbathum quando lutum fecit Ieſus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi, quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis. Lutum poſuit mihi ſuper oculos, & laui, & video. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam. Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum nõ cuſtodit. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator,

cator, hæc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de eo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: quia Propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quia cæcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui viderat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est. Quomodo ergo nunc videt? Respondērūt eis parentes eius, & dixerunt. Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est, quomodo autem nūc videat, nescimus? aut quis eius aperuit oculos, nos nescimus? Ipsum interrogate? ætatem habet: Ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quia timebant Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, vt si quis eum cōfiteretur Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: quia ætatem habet, ipsum interrogate. Vocauerunt ergo iursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerūt ei: Da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Dixit ergo ille. Si peccator est, nescio: vnum scio, quia cum cęcus essem modo video, dixerunt ergo illi, quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis. Dixi vobis iam & audistis, quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? maledixerunt ergo ei, & dixerunt. Tu discipulus eius sis, nos? autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit. Respondet ille homo & dixit eis. In hoc enim mirabile est quia vos nēscitis vnde sit: & aperuit oculos meos: Scimus autem quia peccatores Deus non audit:

dit:sed si quis cultor Dei est & voluntatem eius facit,hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati . Nisi esset hic à Deo non poterat facere quicquam. Responderunt & dixerunt ei. In peccatis natus es totus:& tu doces nos, & eiecerunt eum foras. Audiuit autem Iesus,quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei. Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit. Quis est Domine,vt credam in eum?Dixit eis Ietus. Et vidisti eum,& qui loquitur tecum ipse est. At ille ait,Credo Domine. Et procidens adorauit eum.

Psal. 65. *Offertorium.* Benedicite gentes Dominum Deum nostrum, & obaudite vocem laudis eius:qui posuit animam meam ad vitam & non dedit commoueri pedes meos : Benedictus Dominus , qui non amouit deprecationem meã,& misericordiam suam à me. *Vers.*I. Iubibilate Deo omnis terra psalmum dicite nomini eius:date gloriam laudi eius. *Vers.*II. In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui:Omnis terra adoret te,& psallat tibi altissime. *Vers.*III. Venite & videte opera Domini, quam terribilis in consilijs super filios hominum . Ad ipsum ore meo clamaui & exultaui sub lingua mea , propterea exaudiuit me Dominus,& intendit voci orationis meæ.

Secreta.

SVpplices te rogamus omnipotens Deus,vt his sacrificijs peccata nostra mundentur , quia tunc veram nobis tribuis, & mentis & corporis sanitatem . Per Dominum nostrum.

Pre-

Præfatio.

AEterne Deus per Christum Dominũ nostrum, qui illuminatione suæ fidei tenebras expulit mundi, & genus humanum quod primæ matris vterus profuderat cœcum, incarnationis suæ mysterio reddidit illuminatum, fecitque filios adoptionis, qui tenebantur vinculis iustæ damnationis, per ipsum te petimus; vt tales in eius inueniamur iustissima examinatione, quales facti sumus in lauacro salutari feliciſſimæ regenerationis, vt ejus incarnationis medicamine imbuti, sacrosancti lauacri ablutione loti, parsimoniæ deuotione ornati, ad æterna gaudia perueniamus illæsi. Per quem maiestatem.

Communio. Lutum fecit ex sputo Dominus, & liniuit oculos meos, & abij, & laui, & credidi Deo.

Post-Communio.

SAcramenta quæ sumpsimus Domine Deus noster, & spiritualibus nos repleant alimẽtis, & corporalibus tueantur auxilijs. Per Dominum.

Super populum. OREMVS.

PAteant aures misericordiæ tuæ Domine, precibus supplicantium, & vt petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per.

DA plebi tuæ Domine piæ semper deuotionis affectum, vt quæ praua sunt respuens, sancta conseruatione firmetur, & à peccatis libera, nullis aduersitatibus atteratur. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus vniuersa à nobis aduersa excludat, & suæ super nos benedictionis dona propitiatus infundat. *Amen.*

Corda nostra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficijs sempiternis. *Amen.*

Quatenus exsequẽda intelligentes, & intellecta exsequentes, & inter aduersa mundi inueniamur indemnes, & beatorum spirituum efficiantur cohæredes.

Quod ipse &c.

FERIA QVINTA POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

De mysterijs quinque vulnerum Christi.

FEria tertia præcedente explicauimus historiam quinque vulnerum Domini nostri Iesu Christi: sequitur vt videamus quæ sint horum vulnerum mysteria, quæ certe maxima sint oportet, ea ratione quod eorum cicatrices voluerit Dominus remanere in superbenedicto glorioso corpore suo, quod eas in cœlum transtulerit, quod sic stigmatizatus venturus sit cum gloria, iudicare viuos & mortuos, quod earum cicatricum conspectus, sanauerit incredulitatem Thomæ Apostoli, quod ad earum conspectum eruperit Thomas in hanc vocem exultationis: Dominus meus & Deus meus. Scio cicatrices non esse vulnera, verum qui gloriatur in cicatricibus, is vtiq; idcirco hoc facit, vt cogitentur vulnera. Ratio

vero

vero huius rei ea existit, quod hæc vulnera propriſſime verissimeq; ac pœne sola ea sint in quibus consistit, quibusq; perficitur Domini crucifixio, nam quemadmodum in suspendio nihil tam est supplicium, quam occlusi meatus spirationis & laquei vestigium, & hoc verius, quam vel ipse laqueus, vel furca ex qua laqueus dependet, quæ & aliis damnatis conueniunt, & res sunt inanimatæ, sic in Domini supplicio clauis affigi Dominum ligno, hoc multo verius est ipsum supplicium quam vel claui, vel crux, quæ solum fuerunt instrumenta. Diuine itaq; dixit Propheta. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, per ista enim vulnera mortuus est Dominus, qua ratione vt monuimus, quæcunque dicũtur in vniuersum de toto supplicio crucis, illa verissime tribuuntur vulneribus Domini, videamus itaque singula suo ordine. Initio extenduntur brachia Domini. Aspiciamus itaque oculis cordis saluatorem nostrum, in cruce expansis manibus extensum, quasi paratum nos recipere ad amorosum amplexum, vnde Auguſt. Christus extendit brachia sua in cruce & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia saluatoris mei & viuere volo, & mori cupio: ibi securus decantabo, Exaltabo te Domine, quoniã suscepisti me. *Præterea primus homo ad lignum prænaricationis manus extendendo & pedibus accedendo chirographum damnationis nostræ diabolo confecerat. Ideo saluator noster vt chirographum illud deleret, manibus & pedibus ligno salutiferæ crucis affigi voluit, clauis inuictissimæ charitatis, delens per hoc chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci. Secundo magnum est mysterium in grauitate istorum vul-*

Ludolph. carth in vita Christi.

nerum, qua probatur magnitudo & debiti & pretij nostri, quo enim pignus in maiorem summam est obligatum, eo plus est soluendum creditori : magno itaque debito, eramus obligati iustitiæ Dei, cui sic solui pro nobis oportuit, deinde qui recipit pignus, hac etiam ratione magis obligatur illi, qui sua pecunia sic liberat pignus, vnde intelligitur maximam esse obligationem, qua tenemur Christo, qui tantum exsoluit pro nobis, & ideirco per omnes scripturas & prophetias veteris testamenti, nihil tam expresse legimus prædictum de Domini passione, atque ista vulnera: Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea, ex istis itaque mortiferis vulneribus, intelligimus tanto esse copiosiorem satisfactionem & propitiationem, nostriq; obligationem, quo illa ad pœnam & dolorem grauiora exstiterunt. Tertio per ista vulnera fit potissimum effusio sanguinis, sanguis enim qui flagellis & spinis fuit eductus de corpore Domini, non ex interioribus & præcipuis venis corporis, sed ex parte corporis exteriore profluxit. Claui vero ferrei, qui toti transierunt manus & pedes, & lancea quæ aperuit latus, illa totum profuderunt interiorem sanguinem Domini. Cum itaque & per fusionem sanguinis facienda esset propitiatio, nec esset conueniens Dominici corporis in partes dissectio, qualis fuit mors Ioannis Baptistæ & Isaiæ Prophetæ, hæc Domini vulnera, huic magno mysterio de redemptione per sanguinem præclare conueniunt. Quarto maximum quoque mysterium ponit B. Bernardus in fossis, quas fecerunt claui, explicans verba cantici: Columba mea in foraminibus petræ in cauernis maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: *qui ista foramina petræ interpretatur*

tatur vulnera Christi rectè *inquit* omnino nam petra Christus. *Quinto vulnus lateris, quod vt diximus non pertinet ad mortem Domini, magnum continet sacramentum: istud enim ostendit fructum caterorum vulnerum pertinere ad vitam aternam, & idcirco per istud vulnus, ex monimo corpore fluit aqua, qua regeneramur in vitæ nouitatem, & in resurrectionem vitæ æternæ: & istæ aquæ iunctus est sanguis: per sanguinem enim valet aqua baptismi, & sanguine potamur, & nutrimur ad illam æternam vitam. Qui effectus Dominicæ passionis, quia procedunt de suprema Domini charitate, idcirco vulneratum est cor Domini, idcirco apertum est latus eius, sicut itaque de latere Adami facta est Eua; sic de isto vulnere lateris, facta est Domino sponsa Ecclesia. Istud est ostium in latere arcæ, quo intrarent animalia non peritura diluuio: ista est petra, quæ percussa baculo seu virga, effudit aquam de qua biberunt & saturati sunt omnes. Iste est fons, de quo dicebat Isaias:* Haurietis aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris. *Et Zacharias.* In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. *Quos fontes in hanc etiam sententiam interpretatur beatus Bernardus. Et hæc breuiter de mysterio istorum vulnerum, quatenus pertinent ad fidem. Proximum est vt vitam ipsi nostram his vulneribus instruamus, vt quæ in ijs vulneribus per fidem credidimus, per charitatem diligamus, & opere charitatem præstemus. Qua de re sic scribit deuotus Ludolphus Carthusianus.* Ex Dominii in *Isaiæ 12.*

cruce

cruce extenſione, ſumitur documentum: quod nos omnia membra & organa corporis noſtri, extendere debemus in obſequium Chriſti, manus videlicet & brachia ad operationem, pedes ad ambulationem, genua ad orationem, omnes quoque ſenſus ad ſuorum actuum ſanctam & caſtam exercitationem, vt poſſimus dicere cum Pſalmiſta. *Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? Vnde Caſſianus in collat Patrum docet, quod religioſæ & deuotæ perſonæ, debent omnium membrorum ſuorum primitias Domino offerre, mox enim vt a ſomno excitati, de lectulo ſurrexerint debent primo oris & linguæ motu, orando laudes Deo offerre, & priuſquam membra aliquo ſuo fungantur officio, circa curam rei familiaris, debent ea ad diuina obſequia extendere, caput & faciem cum omnibus ſenſibus ad cœlum leuando, manus ad Deum in oratione leuando, brachia in modum crucis expandendo, genua ad orationem curuando, totum corpus nunc ſtando nunc in terram ad veniam proſternendo, cum reuerenti, & honeſta omnium membrorum, & virium totius corporis extenſione & ſpiritualium virium intentione, in ſacrificium iuſtitiæ Deo offerendo: & ſic compoſitus bene poterit orare. Ieſu qui in cruce extendi voluiſti ita atrociter, vt omnia oſſa tua poſſent numerari, fac me omnia membra vireſq; corporis & animæ meæ ad laudem tuam extendere, & ad amoroſos amplexus tuos dulciter aſpirare. Ipſe autem Dominus noſter non ſolum dignatus eſt in cruce extendi, ſed & voluit cruci affigi, vt commendaret nobis indiſſolubilem charitatem ſuam, qua ſalutem noſtram firmauit. Extenſis enim neruis & venis ac protenſis oſſibus & vincturis, violenta extenſione af-*

fixus

fixus est cruci, in manibus & pedibus durissime perforatus & sauciatus, cum clauis grossis & durissimis, cutem & carnem neruos & venas & compages ossium dissipantibus quorum stimulis excita, & tu manus & pedes tuos ad omne opus bonum. Crucifigamus carnem nostram cum vitijs & concupiscentiis, vt simus fixi clauis, ideſt præceptis iustitiæ, sicut Christus clauis confixus fuit in cruce. Sic fecit ipse Apostolus, qui dicebat: Christo confixus sum cruci; id est crux Christi extinxit in me ardorem peccati, timore Dei, quasi clauis affixus habens carnes, & hoc est quod orat Propheta: Confige clauis a timore tuo carnes meas, dicamus igitur Domino. Iesu, qui durissimis clauis cruci affigi voluisti, & per hoc chirographum peccatorum nostrorum, & mortis, eidem cruci affixisti: confige quæso timore tuo carnes meas, vt præceptis tuis firmiter inhærens, semper tibi confixus sim cruci. Quis mihi det, vt totaliter carne & spiritu transfigari cruciq; affigar patibulo cum dilecto, vt nec aliquid sentiam nisi Iesum, & hunc crucifixum, & clamabo toto corde, quis mihi det, vt ego pro te moriar Deus meus: dulcis mihi lectus sit illud lignum crucis tuæ Domine, vt ego pro te moriar, in quo dulciter requiescam, manus tuæ quæ me fecerunt perfossæ sunt clauorum aculeis, placeat tibi, vt non extendam vltra ad iniquitatem manus meus, sed per sanguinem, qui de manuum tuarum plagis exiuit, purifica manus & opera mea, vt sine ira & immunditia leuem eas ad te, & ad opera pietatis. Sana Domine vulnera conscientiæ meæ, quæ inflixi mihi manibus propriis, in operibus voluptatum. Beatos pedes tuos, quorum scabellum terra est, ligno crucis passus es clauis affigi durissimis, per hoc te obsecro Domine, errata pedum meorum, &

perfice

perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea; sed semper sint stabiles in opere sancto. Ex articulo quoque lanceationis lateris habentur tria documenta. Primum est, quod nos cum mortui fuerimus cum Christo, scilicet mundo & peccatis, tunc debemus etiam lanceari cum Christo, cuspide videlicet charitatis, sic anima illa lanceatã se gloriabatur, quæ dicebat: vulnerata charitate ego sum. *Hac etiã amoris lancea cor suũ perforari Augustin. petiit:* Rogo te Domine per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es pro salute nostra in cruce, ex quibus emanauit ille precioſus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo, & potentiſſimo telo, tuæ potentiſſimæ charitatis. Confige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea: charitate tua vulnerata sum; ita vt ex ipso vulnere amoris tui, vberrimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Percute obsecro Domine hanc duriſſimam mentem meam, valida cuspide dilectionis, vt altius ad intima penetret virtute potenti. *Secundum documentum est, secundum Chrysostomum, quod nos percipere debemus sacramenta Ecclesiæ ea intentione ac deuotione, ac si nobis de latere Christi profluerent, vulnus enim lateris Christi, fuit ostium sacramentorum. Et nota, quia, hoc quod dicitur, sacramenta manasse de latere Christi, spiritualiter intelligendum est, de duobus præcipuis sacramentis, sine quibus non intratur ad vitam: videlicet de sacramento redemptionis, & sacramento ablutionis: quorum primum pertinet ad sacramentum Eucharistiæ; & significatur per sanguinem, imo*

est

est ipse idem sanguis, quem quotidie sumimus, & qui fluxit de latere Christi. Secundum vero pertinet ad sacramentum Baptismatis, quod significatur per aquam. Vnde Augustin. Ille *inquit* sanguis in remissionem fulus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum, hoc lauacrum præstat & potum. *Tertium documentum est, quod nos omnem voluntatem nostram conformare debemus voluntati diuinæ; & quod voluntas Dei in omnibus & super omnia, sit nobis accepta: eo quod cor Christi vulneratum est, amoris vulnere erga nos, & idcirco nos per amorem reciprocum, intrare debemus per ostium lateris ad cor eius, & ibi omnem amorem nostrum, ad suum diuinum amorem counire, vt sicut ferrum candens cum igne in vnum redigatur amorem. Homo enim omnia desideria sua debet fundare & ordinare in Deum, amore Christi: qui pedibus (per quos affectus accipiũtur) est crucifixus. Debet quoque homo in omnibus bonis operibus se exercere, & cuncta mala opera deuitare amore Christi: qui manibus (per quas opera accipiuntur) est crucifixus. Omnem vero voluntatem suam conformare volũtati diuinæ, pro illo amoris vulnere, quod in cruce pro homine accepit, cum inuincibilis amoris sagitta, cor suum mellifluũ perforauit. Per istud vulnus quasi per ostium amoris, Aug. intrauerat, cum dicebat:* Longinus *inquit* aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, vbi requiesco securus, claui & lancea clamant mihi, quia vere recõciliatus sum Christo, si eũ amauero. *Ad conformãdũ se huic articulo, rememoretur homo, quã super excellẽtissimũ amorẽ Christus in apertione lateris sui, nobis ostenderit: in quo nobis aditũ patulum ad cor eius dedit. Festinet ergo homo*

intrare

intrare ad cor Christi, ac recolligat omnem amorem suum, & couniat amori diuino: reuoluendo in mente sua documenta præmissa. Recogitet etiam homo, quanta charitate Christus ex latere suo nobis profuderit sacramenta, quibus intremus ad vitam æternam; vel alias sicut Dominus meditanti & oranti deuotionem ministrabit. Iesu qui latus corporis tui mortui, lancea aperiri, & exinde sanguinem & aquam exire voluisti: vulnera quæso cor meum lancea charitatis: vt tuis dignus efficiar sacramentis, quæ de eodem sacratissimo latere profluxerunt. Tu apertura lateris tui Domine aperuisti electis tuis ianuam vitæ. Hæc porta tua Domine, iusti intrabunt in eam. Noli Domine quæso iniquitatum mearum recordari, vt propter eas, mihi claudas aditum istū, quem peccatoribus & pœnitentibus prouidisti: & licet istud vulnus lateris non senserit Christus: quia mortuus, beata tamē virgo mater eius bene sensit, cuius felicissimam animam, crudelis illa lancea tunc transfixit. Vides quotics hodie mortua est; Toties certe, quoties videbat contra filium fieri nouitatem. Vnde nunc perfecte verificata est in ea Simeonis Prophetia, qua sibi dixerat: Tuam inquit ipsius animam gladius pertransibit. Ex hac cordis Christi scissione, à cuius arcano (tanquam à fonte) precium nostræ salutis copiose est effusum: merito etiam ad compatiendum, & amandum, vulneratur cor nostrū: quia hic maxime apparuit quam copiosa apud eum redemptio fuerit. Vnde Bernardus. Ad cumulum postremo pietatis tradidit in mortem animā suā, & de proprio latere protulit pretium satisfactionis, quo placaret patrem: per quod illū plane ad se vel ficulum traxit apud Dominum misericordia & copiosa apud cū redemptio: Prorsus

Luc 2.

Bernard serm 22. in cantic.

Psal. 129

ſus copioſa: quia non gutta, ſed vnda ſanguinis largiter per quinque partes corporis emanauit. *Vnde & Anſelmus:* Adhuc autem attentius eundem intuere, quam grandi & tenerrima compaſſione dignus appareat, vide nudum, & verberibus laceratum, in medio latronum crucí ignominioſe ferreis clauis affixum: aceto & felle potatum: & poſt mortem lancea in latere vulneratum: & copioſos ſanguinis riuos, ex quinque vulneribus manuum, pedumque & lateris effundentē. Fletum deducite oculi mei, & liqueſce anima mea igne compaſſionis, ſuper contritione amabilis viri huius: quem in tanta manſuetudine, tantis vides affectum doloribus. *Hæc Anſelmus Quinque autem vulnera ſibi infligi permiſit vt humani generis quinque ſenſus a diabolo captos redimeret, Chriſtus quippe hodie pro nobis ſanguinem ſuum fudit piiſſime, pleniſſime & acerbiſſime. Piiſſime fudit, ſi conſideretur cauſa: nam cauſa effuſionis ſui precioſi ſanguinis fuit piiſſima quia ipſum fuit ex charitate feruentiſſima; ex qua voluntarie pro nobis pati voluit, quod pulchre oſtendit Auguſtinus in perſona Chriſti, ita dicens.* O homo recogita qualia & quanta pro te paſſus ſum: cum eſſes inimicus Patri meo! reconciliaui te, cum tanquam ouis perdita oberrares, quæſiui te, & in humeris meis portaui te, Patri meo reddidi te: caput meum ſpinis oppoſui: manus meas clauis obieci: ſanguinem meū pro te fudi: animam pro te poſui: vt iungerem te mihi, & tu diuideris à me? Cōuertere ad me: & ego ſuſcipiam te. *Pleniſſime fudit, ſi conſideretur menſura: quia totum ſanguinem effudit, ita vt vnica gutta in eo non remaneret: Nam ſanguinem intercu-*

Anſelm. in ſpeculo cap. 12.

Ser. de paſſione.

intercutaneum fudit in flagellatione, & quidquid sanguinis habuisset in vertice & capite, effusum fuit in spinarum confossione: sanguinem vero venarum & neruorum, fudit in manuum & pedum cõclauatione: sed sanguinem qui remansit in corde, vel in membris interioribus, effudit in lateris apertione, & ideo quia nihil in eo sanguinis remansit, nõ erat ei species neque decor. Acerbissime fudit, si consideretur natura: nam quanto natura & complexio est nobilior & delicatior, tanto est suæ læsionis perceptibilior, & per consequens pœna inflicta, & eius sensibilitas est acerbior: sed constat quod complexio corporis Christi fuit delicatissima, quia spiritus sancti artificio de virginis sanguine formata: & ergo sui sanguinis effusio, & pœnarum illatio fuit acerbissima, & ideo dicit: Attendite, *scilicet mentaliter,* & videte *sensibiliter:* si est dolor similis, sicut dolor meus: *quasi diceret non. Surge ergo amica Christi, esto sicut columba nidificans in summo ore foraminis, ibi vt passer inueniens domum vigilare non cesses? ibi, tanquam turtur casti amoris, pullos absconde: ibi os appone, vt haurias aquas de fontibus saluatoris. Hic enim est fons egrediens, de medio paradisi, qui in corda deuota diffusus, fecundat & irrigat vniuersam terram. Ecce ostium in latere arcæ, quo intrant animalia non peritura diluuio. Ad huius ergo petræ foramina, & maceriæ cauernam stude nunc, & in die exitus tui recurre, & in eis latita, vt ibi valeas pascua inuenire & ora leonum euadere. Vnde Anselmus* Festina, ne tardaueris comede fauum tuum cum melle tuo: bibe vnium cum lacte tuo. Sanguis tibi in vinum conuertitur vt inebrieris: in lac aqua mutatur, vt nutriaris. Facta sunt tibi in petra foramina,

Gen. 7.

Anselm. in medit. redempt. generis humani.

in

in membris eius vulnera, & in corporis eius maceria, tua cauerna: in quibus instar columbæ latitans, & deosculans singula, ex sanguine eius fiant, sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. *Vnde & Gregorius.* Per foramina petrę, vulnera manuũ & pedum Christi in cruce pendentis, libenter intellexerim: cauernam vero maceriæ, vulnus lateris, quod lancea factum est eodem sensu dixerim: & bene in foraminibus petræ & in cauerna maceriæ, esse dicitur: quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum, ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus, nutrimentum quo conualescat inuenit *Hæc Gregorius. In his etiam vulneribus saluatoris, securitatem & protectionem, ac consolationem non modicam, reperies. Vnde Bernardus, quædam de verbis Augustini assumens sic ait:* Et reuera, vbi tuta firmaq; infirmis requies, nisi in vulneribus saluatoris? tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum, fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur, non cado: fundatus enim sum supra firmam petram, peccaui peccatum grande turbabitur conscientia: sed non pertubabitur: quoniam vulnerum Domini recordabor: nempe vulneratus est propter iniquitates nostras. Quid tam ad mortem, quod non Christi morte saluatur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla iã possum morbi magnitudine tetreri. Ego vero fidenter quod ex me deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini: quoniã misericordia effluũt,

Greg in cantica cap. 2.

Serm. 61. in cantic.

Psal. 11. nec desunt foramina per quæ effluant. Foderunt manus & pedes, latusque lancea perforauerunt: & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo: id est gustare & videre quoniam suauis est Dominus. Patet arcanum cordis per foramina corporis: patet illud magnum pietatis Sacramentum: patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius, quã in vulneribus tuis elucet, quod tu Domine suauis & mitis es, & multæ misericordiæ. Maiorẽ enim miserationem nemo habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis. Tu Domine maiorem habuisti, qui animam tuam posuisti pro abditis & damnatis, meum proinde meritum miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit: quod si misericordiæ Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum. Quid enim si multorum sum mihi conscius delictorum? nempe vbi abundauerunt delicta, superabundauit & gratia. Et si misericordiæ Domini ab æterno & vsque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternũ cantabo. Quanta in foraminibus petræ multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum: *Hæc Bernardus: O Domine sicut exiuit sanguis tuus, copiosa redemptio nostra, non permittas me in hora mortis, vel in die iudicij perire cum impijs, sed me pio tuo cruore redemptum, aggrega cum electis tuis abscondendo me interim in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ, & vulnerando me charitate tua, vt amore langueam. Qui enim vere te diligit: pro te vulne-*

vulneratur, & languet: & donec te videat a mundi actionibus est velut mortuus alienus. Fortis est, enim vt mors dilectio tua, & dura velut infernus æmulatio. Cant. 8.
Considera nunc bene corporis Christi in cruce positi dispositionem: quia ex hoc in spem & fiduciam rapieris maiorem, attestante Bernardo, qui ait: Quis non rapiatur ad spem, & ad impetrandi confidentiam qui eius attenderit corporis dispositionem? Vide caput inclinatum ad osculum, brachia extensa in amplexum, manus perforatas ad largiendum, latus apertum ad diligendum, pedum affixionem, ad nobiscum manendum: corporis extentionem ad se totum nobis impendendum. Hæc Bernardus.

EXPLICATIO OFFICII.

IN hodierno officio proponuntur nobis duæ resuscitationes mortuorum. In Euangelio quam fecit Dominus in ingressu ciuitatis Naim. Altera in Epistola, quam fecit Elizæus de filio Sunamitidis: quæ nobis proponuntur in quadragesima, vt intendamus in resurrectionem, quæ nunc fit, qua transeunt homines, (vt ait Beatus Augustinus) a morte infidelitatis, ad vitam fidei: a morte falsitatis, ad vitam veritatis: a morte iniquitatis, ad vitam iustitiæ. De resurrectione filij Sunamitidis, sic scribit B Gregorius, Auctor, *inquit*, humani generis Deus, mortuum puerum doluit, cum extinctos nos iniquitatis aculeo miseratus adspexit: & quia per Moysen terrorem legis protulit, quasi per puerum virgam misit, per legem quippe virgam Deus tenuerat, cum dicebat si quis hæc, vel illa

fecerit, morte moriatur. A peccati igitur morte timor ſuſcitare non valuit: ſed ad ſtatum vitæ apparata manſuetudinis gratia erexit : Sed puer cum baculo mortuum ſuſcitare non valuit, quia Paulo atteſtante nihil ad perfectum adduxit lex, ipſe autem per ſemetipſum veniēs, & ſuper cadauer ſe humiliter ſternens, ad exæquanda ſibi mortui membra ſe collegit : quia cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudine hominum factus, & habitu iuuentus vt homo. Huc illucque deambulabat, quia & Iudæam iuxta, & longe poſitas gētes vocat. Super mortuum ſepties ſpirat, quia per operationem diuini muneris gratiæ ſeptiformis ſpiritum, in peccati morte iacentibus, adſpirat: moxq; iuuenis erigitur : quia is quem terroris virga ſuſcitare non potuit, per amoris ſpiritum puer ad vitam redijt. Septem vero iſtas oſcitationes ſic interpretatur Durandus: Helizæus vero id eſt Chriſtus inclinauit ſe ſuper hūc puerum, id eſt exinaniens ſe, factus eſt ei ſimilis, & reſuſcitatus eſt, ſed oportet vt ſeptem oſcitationes emittat. Prima eſt fidei, quia ſine fide non eſt introitus, primo enim veritati debet quis credere, & omnia poſſibilia ſunt credenti. Domine inquit leproſus, ſi vis, potes me mundare, & dixit: volo, mundare. Secūda oſcitatio eſt timor. Tertia eſt dolor de peccatis: quia miſericordia nō fit ſine iuſtitia. Quarta propoſitum confitendi. Quinta eſt propoſitum ſatisfaciendi. Sexta propoſitū de cætero non peccandi: quod ſcilicet non offendet Deum creatorem ſuum, & omnia iſta

debent

debent fieri in ſpe vitæ,& gloriæ,vnde ſpes ſeptima oſcitatio. *In Euangelium,quod etiam repetitur Dominica 15 poſt Pentec ſic ſcribit Pater Natalis Jeſuita.* Qui eſt, *inquit*, in peccato mortali mortuus eſt;nec apparet adhuc illa mors animæ:& tamen portatur quaſi mortuus;vt in infernum conijciatur,ſepulchrũ animarũ & corporum perpetuũ & horrendum. Portatur vero à quatuor baiulis:intellectu,voluntate,ſenſualitate,& his quidẽ deprauatis & perditis, quartus portitor ſunt actiones peruerſæ. In eccleſia eſt hic,ſi quidem Chriſtianus ſit,ſaltem baptiſmali charactere;Eccleſia eſt eius mater, & quia deploratur eius interitus, lugetur à pijs omnibus, qui illum proſequuntur charitate, oratione,lachrymis,nec poſſunt iuuare vel reuocare;non deſiſtũt tamẽ ſequi & miſerari. Eſt in Eccleſia Chriſtus,ſua diuinitate,ſunt Angeli, ſunt ſancti cũ Chriſto: aliquãdo etiã ille in humanitate adeſt. Sãcti & Angeli multi ſunt præſentes re ipſa. Reuocat Chriſtus cũ ſanctis eũ, qui eſt inferno obnoxius,ad Naim,id eſt patriã cęleſtẽ,videt enim eius matrẽ Eccleſiã,huius miſereri, accedit,preuenit,tãgit loculũ,id eſt cor, & vlcus peccati:ſtant portitores,reficiũtur potẽtię,vocat mortuũ,vim ſpiritus inſerit:hinc fit vt ſurgat,illũ dat Eccleſię gubernãdum. Similiter enim egit Chriſtus,dũ in terris verſabatur, ibat,deducebat in Naim ſuos:contra mũdus ſepeliebat mortuos ſuos; obuiã ibat Chriſtus,& à morte liberabat. Porrò, qui in imperfectionibus aſſiduè verſatur,quid aliud quã paulatim moritur,& quaſi ad ſepulchrum talis mortalis peccati, tendit? niſi orationibus ſanctorũ iuue-

tur, & gratia Christi occurrentis, accedentis, tangentis, vocantis. Occurre nobis Domine Sancte Iesu cum tuis sanctis & Angelis, iube sistere gradum nostros portitores, tange loculum, hoc est cruci tuæ da efficaciam in nos: & fac vt nobis vertatur loculus is in vitam, vi tuæ crucis, qui ad mortem & sepulchrum portabamur: voca nos à via mortis, & da matri: surgemus læti, matri nostræ Ecclesiæ obediemus studiose te iuuante. *Amen.* *Atque hæc Natalis. Verum quia resuscitatio mortuorum est res summe admirabilis, ideo auspicamur officium à Psalmo.* Confitemini Domino, & inuocate nomen eius annunciate inter gentes opera eius. *Graduale continet vota desiderantium resuscitationem. Offertorium petit adiutorium solemni formula: Domine ad adiuuãdum me festina, & aduersus dæmones qui vere semper sunt confusi, & aduersus alios non dæmones vt confusi resipiscant. Communio, & propter communionem erigit se, & propter carnis suæ infirmitatem, adhuc trepidans dicit Deo: Deus ne derelinquas me.*

MISSA FERIÆ V. POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

INTROITVS.

Psal. 104 LÆtetur cor quærétium Dominum: quærite Dominum & confirmamini, quærite faciem eius semper. *Psal.* Confitemini Domino, & inuocate nomen eius annunciate inter gentes opera eius. *Vers.* Gloria.

Ora-

OREMVS.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus : vt quos ieiunia votiua castigant, ipsa quoque deuotio sancta lætificet: vt terrenis affectibus mitigatis, facilius cęlestia capiamus. Per Dominum.

INtende quęsumus Domine preces nostras, vt qui non operando iustitiam, correctionẽ meremur afflicti, in tribulatione respiremus auditi. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

IN diebus illis, venit mulier Sunamitis ad Elizæum in montem Carmeli. Cumque vidisset eam vir Dei e contra, ait ad Giezi puerum suum. Ecce Sunamitis illa. Vade ergo in occursum eius, & dic ei. Recténe agitur circa te, & circa virum tuum? quæ respondit, Recte. Cumque venisset ad virum Dei in mõtem apprehendit pedes eius, & accessit Giezi, vt amoueret eam, & ait homo Dei, dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est: & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Quæ dixit illi : Nunquid petiui filium à Domino meo? Nunquid non dixi tibi ne illudas me? & ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos: & tolle baculũ meum in manu tua, & vade: Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te quispiam non respondeas illi : & pones baculum meum super faciem pueri. Porro mater pueri ait: Viuit Dominus & viuit anima tua: non dimittam te . Surrexit ergo & secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat, baculum super faciem pueri: & non erat vox neque sensus. Reuersusque est Giezi in occur- 4. cap. 4.

ſum eius,& nunciauit ei dicens: Non ſurrexit puer. Ingreſſus eſt ergo Helizæus domum.Et ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius.* Ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe,& ſuper puerum:& orauit ad Dominum:Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius: & incuruauit ſe ſuper eum,& calefacta eſt caro pueri. At ille reuerſus deambulauit in domo, ſemel hinc atque illuc,& aſcendit & incubuit ſuper eum: & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos. At ille vocauit Giezi & dixit ei : Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata , ingreſſa eſt ad eum. Cui ait:Tolle filium tuum . Venit autem illa , & corruit ad pedes eius , & adorauit ſuper terram : tulitque filium ſuum, & egreſſa eſt. Helizæus vero reuerſus eſt in Galgala.

Pſal. 73. *Graduale.* Reſpice Domine in teſtamentum tuum: & animas pauperum tuorũ ne obliuiſcaris in finem. *Verſ.* Exurge Domine & iudica cauſam meam: memor eſto opprobrij ſeruorum tuorum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

Cap. 7. IN illo tempore:Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim:& ibant cum illo diſcipuli eius,& turba copioſa . Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis: ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ: & hæc vidua erat , & turba ciuitatis multa cum illa, quam

cum

cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere, & acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem qui portabant ſteterunt, & ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor: & magnificabant Deum, dicentes: quia Propheta magnus ſurrexit in nobis: & quia Deus viſitauit plebem ſuam.

Offertorium. Domine ad adiuuandum me feſtina: confundantur omnes aduerſum me, qui cogitant ſeruis tuis mala. *Verſ.* Auertantur retrorſum & erubeſcant, qui cogitant mihi mala. *Verſ.* Exſpectans exſpectaui Dominum, & reſpexit me, & exaudiuit deprecationem meam. *Pſal. 69.*

Secreta.

PVrifica nos miſericors Deus: vt Eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus cuius bonitas hominem condidit, iuſtitia damnauit, miſericordia redemit: Te humiliter exoramus vt ſicut per illicitos appetitus à beata regione decidimus, ſic ad æternam patriam per abſtinentiam redeamus, ſicque moderetur tua miſeratione noſtra fragilitas, vt & tranſitorijs ſubſidijs noſtra ſuſtentetur mortalitas, & per bonorum operum incrementa, beata acquiratur immortalitas. Per Chriſtum.

Com-

Communio. Domine memorabor iustitiæ tuę
Psal. 70. solius, Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me.

Post-Communio.

CÆlestia dona capientibus, quæsumus Domine, non ad iudicium prouenire patiaris, quæ fidelibus tuis, ad remedium prouidisti. Per Dominum.

Super populum.

POpuli tui Deus institutor & rector, peccata quibus impugnatur, expelle: vt semper tibi placitus, & tuo munimine sit securus. Per Dominum.

PLebem tuam Domine interius, exteriusq; restaura, vt quam corporeis nō vis delectationibus impediri, spirituali facias vigere proposito: & sic rebus foueas transitorijs, vt tribuas potius inhærere perpetuis. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus, dies nostros in sua pace disponat, & suæ nobis benedictionis dona concedat. *Amen.*

Ab omnibus nos perturbationibus, liberet, & mentes nostras in suæ pacis tranquillitate consolidet. *Amen.*

Quatenus spei, fidei, & charitatis gemmis ornati, & præsentem vitam transigamus illæsi, & ad æternam perueniamus secuti. *Amen.*

FERIA

FERIA SEXTA POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

Orationes ad quinque vulnera Christi, secundum precedentem doctrinam.

IGnita & melliflua amoris tui vis, absorbeat in me Domine, omne quod sub cœlo est, vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei, in cruce mori dignatus es.

Ad vulnus dextræ manus.

DOmine non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis: non est bonum in manibus nostris, opera enim nostra mala sunt nimis, ecce offerimus tibi manum innocentem, manum sine macula, benedictam manum dexteram dilecti filij tui, qua transiens per hunc mundum, sanauit omnem languorẽ: & nunc pro redemptione nostra, dat affigendam ligno crucis, ad sanandam præuaricationẽ nostram, quando extendimus manus nostras ad lignum vetitum Paradisi, offerimus tibi sanguinem eius, magnum salutis nostræ pretium, sanguinem per quem effudit vitam suam, ex foramine istius benedictæ manus suæ. Offerimus tibi infinitam charitatem, & obedientiam dilecti filij tui: respice Domine in faciẽ Christi tui, in manum sanctam eius extensam ad te, extensam pro nobis ad te, non leuiter vulneratam, sed totam perforatam & durissimis clauis

ligno

ligno connexam, pondere pendentis corporis, repetitis vulneribus dilatatã. Abyſſus abyſſum inuocat: abyſſus miſeriarum mearum, abyſſum miſerationum tuarum. Quomodo deſperabo de venia multorum maximorum peccatorum meorum, quæ commiſerunt manûs meæ, tam potente charitate potentiſſimi medici noſtri? quomodo non commoriar tibi? quomodo nõ etiam figam manum meam clauo timoris tui, ad lignum crucis tuæ? ſed Domine non fixit timor manus tuas, charitas fixit illas, charitas fecit eas plorare ſanguinem cordis tui, figat igitur manum meam dexteram charitas tua, quæ operit multitudinem peccatorum, quæ ſanauit Magdalenam, quæ fecit Petrum amantem te, & corpore & ſpiritu per crucem conformari tibi. Oriantur in nobis Domine fontes lachrymarũ, prodeuntes de amaritudine pœnitentiæ, incitatæ tui amore, fluentes compaſſione vulneris tui, irrigantes ariditatem cordis noſtri, extinguentes turpem ardorem malarum conſuetudinum, quas fecerunt malè operantes manus noſtræ. Audiuimus; dextera Domini fecit virtutem: & multa legimus de dextera tua, de potẽtia tua, de imperio, de gratia & fauore tuo, quæ ſunt dextera tua, & quænam eſt hæc mutatio dexteræ excelſi, an ſic debuit humiliari dextera tua, vt eleuaretur noſtra quæ iacebat, & dextera iam non erat amplius? an ſic debuit mater, ſic debuit gallina infirmari ſuper natos ſuos? Adoro te immenſa pietas, exoſculor te manus benedicta, intret in iſtud foramen petræ peccatrix manus mea, quæ peſſimis in deſiderijs, operata eſt mala magna nimis,

mis, manus situ dextera, opere semper sinistra.

Ad vulnus manus sinistræ.

IN corpore tuo fuit dextera & sinistra, & vt toto corpore affigereris, hanc quoque sinistram, pro me passus es affigi cruci, vt esset plena redemptio: quia plenè soluebas. Non est actio vel operatio sine patiente: & idcirco dedit nobis Dominus duas manus, dexteram, quæ agit; & sinistram, quæ potissimum versatur circa patiens tenens illud, vt agat in illud manus dextera. Sic Sisara manu dextera tenebat malleum, & sinistra clauum, quem adegit in caput hostis dormientis: sic milites Gedeonis, sinistra tenebant lampades, & dextra sonabant tubis. Affixa est itaque & hæc manus tua ligno crucis, humiliata est magna potentia tua, qua tenes vniuersa. Adoro te igitur sanctissima sinistra Domini Dei mei, teneat affixam sinistram meam cruci tuæ, fortiter illam figens dextera tua, in tempore sinistro non rectè operata est manus mea, multa sunt sinistra opera mea: sed & illa sanasti tu Domine sanguine sinistræ manus tuæ, ex qua idem fluit benedictus sanguis tuus, qui fluebat ex dextera tua. Ingredere itaque ô anima in illud foramen petræ: teneat te illa sinistra Domini Dei tui; benedicat tibi dextera eius, corrigat sinistram tuam, tactus sinistros peruersæ libidinis tuæ, omnes malas cogitationes, versantes & occupantes se circa illas, dele Domine hoc isto vulnere sinistræ tuæ: saucia illas, lacera illas clauis timoris tui, perfode, confode, & totas radicitus extirpa Domine Deus meus, de charta animæ meæ,

meæ,cui illas inſcripſit mala conſuetudo mea; quam ſolus poteſt abluere ſanguis tuus. Qui ſic laboraſti pro filijs tuis , quo pacto non dabis rogantes,& ſuppliciter orantes illud, pro quo laboraſti, quis poteſt cogitare patrem magnis laboribus comparantem panem pro filijs ſuis; & poſtea negantem eum clamantibus ad ſe filijs ſuis? ſi enim negare voluiſſet,non vtique ſic laboraſſet. In nobis igitur eſt culpa, ſi non accipimus,recuſamus enim eſſe filij tui, recuſamus fieri imitatores tui. Corrige Domine hoc magnum malum noſtrum, & oſculo iſtius vulneris tui,dignare me ſeruum tuum,non declinem neque ad dexteram neque ad ſiniſtram: ſed ſtem rectus in cruce tua, non dimoueant me inde,nec dextera nec ſiniſtra, proſpera aut aduerſa: ſed in omni tempore adhæream crucituæ.

Ad vulnus pedis dexteri.

ECce Domine mulier peccatrix anima mea, lauans pedes tuos,& oſcula præbens pedibus tuis, lachrymatur ſuper pedibus tuis : & procidens ad pedes tuos apprehendit eos , & non dimittit eos,niſi benedixeris illi: vtrumq; apprehendit,omnia enim opera tua iudicium & miſericordia: ſcit enim & dolenter ſcit , & cum tremore magno ſcit , quia in iuſtitia facis omnia: & idcirco non poteſt dimittere pedem iuſtitiæ tuæ Ignoſcat Dominus Deus meus,ſicut vna ſtultarũ loquitur tibi anima mea: amo iuſtitiam tuam: qui enim odit opera tua, ille vtique odit te,abſit à me tanta impietas, terret tamen multitudo peccatorum meorũ, & pleno ore non audeo dicere, quia opto,quia deſi-

dero,

dero,quia flagito iuſtitiam tuam.Miſericordię, miſericordiæ, miſericordiæ tuæ Domine illæ ſunt,quæ lætificant animam meam,illam,proſtratus in terram ſupponens collum pedibus tuis ſupplex amo,ſupplex oro,culca,conculca, preme & fortiſſime preme: modo tui ſint pedes,qui premant etiam ſi occidant bene premunt me, non premat me diabolus ſub pedibus ſuis,non accipiant illi maligni ſpiritus poteſtatem talem à te, non dicas illis:Ite & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum, non ſic conculcetur ſuperbia noſtra, quin imo Domine vulnerati pedes tui , ponantur ſuper colla noſtra,& ſic humilietur regalis faſtus & ſuperbia colli noſtri.Ecce pedes tui captiui, compedes & laquei illorũ duriſſimi, ferrei clauiquibus affiguntur ligno crucis . Ecce riui ſanguinum, qui fluunt ex pedibus vulnerum tuorũ. Ecce non eſt vbi requieſcãt pedes tui,iſtis conculcetur ſuperbia noſtra, vt non veniat nobis pes ſuperbiæ.Pedibus mouetur corpus ad eum locum, & ad id agendum quod vult: & quod ſunt corpori pedes , hoc ſunt animæ affectus, crucifigantur ,·crucifigantur iſti pedes noſtri: ſæpe enim male moti ſunt pedes mei , & nimium effuſi ſunt greſſus mei. Iſti ſunt pedes, quos voluiſti nos abſcindere,& proijcere à nobis,ſi ſcandalizant nos, ecce Domine ſic proijcere eos cupimus à nobis, ſicut hoc factum eſt in iſtis benedictis pedibus tuis , in hoc pede dextero tuo,qui eſt conſciſſus,& abſciſſus à reliquo vſu naturali corporis ſui , & proiectus obiectuſque voluntati hoſtium tuorum.Hunc pedem dexterum , hoc crudele vulnus pedis huius, *Ioſue 10.*

huius, hoc flumen ſanguinis, offerimus tibi Domine Deus noſter, pro ſemitis peſſimis, quas ambulauerunt pedes noſtri; ambulantes vias difficiles, & malas: vias quę ducunt ad interitum: reduc Domine pedes noſtros ad viam crucis, & ibi figantur fortiter, ſic video, quia ſic comprehendi pedes Domini mei poſt paulum perfecti ſunt, tanquam pedes ceruorum, currentes ab inferno vſque ad ſupremum terræ; & ab infimo terræ, vſque ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Credo Domine, ſi crucifigimus hic pedes noſtros, affectus, & paſſiones noſtras, occaſiones, & conſuetudines malas, quæ proceſſerunt de malis ambulationibus pedum noſtrorum, quia ſtatues in loco ſpatioſo pedes noſtros.

Ad vulnus pedis ſiniſtri.

ADſpice Domine in faciem Chriſti tui, adſpice in munus benedictum, in hoſtiam ſanctam & immaculatam, quam offerimus tibi pro peccatis noſtris, in Ieſum filium tuũ, quatuor iſtis extremis partibus corporis ſui, confixum alto infami ligno maledictionis. Aſpice in hoc vulnus ſiniſtri pedis Domini noſtri, ecce velute quatuor plagis terræ, ſicut fontes quatuor ex paradiſo; ſic quadrupliciter ex vno fonte cordis, per quatuor meatus fluẽtes aquę viuæ, ſalientes in vitam æternam, vna ſcaturigo, vnus fons, quatuor capita fontium: ſedemus ad caput pedis ſiniſtri, gementes & flentes captiuitatem noſtram. Quis ſtatuet ſupra petrã pedes noſtros? quis eripiet de morte animam noſtram; & de lapſu pedes noſtros? quis niſi Dominus? qui ſic aliquando ligatus, nunc

ſic

sic libertime dominatur: vt ad eius pedes flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum. Manus habent diuersa officia, & vna amissa operamur altera, pedes vnam habét atque eandem plane rationem, eædem vires, officia, dignitates vtriusque, & vno eorum amisso, nulla ratione corpus progreditur, vtriq; itaque pedes dandi sunt, cruci & affectus habentes speciem pietatis: nempe vt illi interius habeant rem pietatis, quod fit quoties cohærent cruci: crux enim est infamia seculi: qui igitur illam contemnit, vero & discreto amore Dei, ille habet pedem dextrum affixum cruci. Sed quia præterea sunt etiam in nobis humani affectus, sine quibus hic non viuitur, quia non viuitur sine corpore, istos quoque affectus, hunc pedem sinistrum, fortissimo clauo oportet nos cruci affigere: vt sic totius animæ & corporis affectiones ibi pendeant. Hoc da Domine, qui dedisti, vt hoc cogitaremus in pedibus tuis benedictis, quos adoramus & propter quos glorificamus te, & benedicimus nomen sanctum tuum, cogitemus Domine vias nostras, & conuertantur pedes nostri in testimonia tua.

Ad vulnus lateris, seu cordis.

QVatuor fontes è viuo corpore, quintus amplissimus ex mortuo. Omnis enim scopus, omnis finis, spes, religio, omne postremo, totumque christiani in ijs consistit, quæ non obtinentur nisi post mortem. In isto igitur vulnere ea potissimum quærimus Domine, quæ pertinent ad vitam venturi seculi. Per istud vulnus intramus in arcam Noë, vt salue-

mur à diluuio ignis, quo perituru eſt hic mundus, & idcirco etiam hoc vulnus cæteris eſt latius factum, non clauo, ſed lancea, & factum in latere verſus cor, vbi eſt fons vitæ, ſedes omnium bonorum Et ex iſto vulnere contra ordinem mortuorum corporum, fluunt ſanguis & aqua, materia ſacramentorum: quibus naſcimur & nutrimur ad vitam, hoc quoque vulnus eſt amoris præcipui, ita præcipui, vt cum cæteri omnes operarij crucifixionis, vel certo vt Iudas vel communi opinione vt Annas, Caiphas, Herodes, Pilatus, vel graui Chriſtianorũ ſuſpicione, vt miniſtri Iudæorum, milites templi & Pilati cæteri apparitores, lictores, carnifices, cum omnes iſti credantur ob hoc ſuum crimen damnati, ſolus iſte miles eccleſiaſtica traditione creditur ſaluatus, qui lancea ſic vulnerauit latus Domini: erupit enim veluti è cõcluſo igne, ſic ex hoc vulnere æſtus amoris, ex latere Adæ ædificata eſt Eua, & ad latera ſunt vbera teſſeræ amoris, per quas mater tota mutata in amorem, ſeipſam veluti transfundit in filium, ea amoris magnitudine, & eius amoris per ea membra in infantem tranſmiſſione, vt medicinam ſibi non neceſſariam ſumat mater, vt ea imbutum lac, operetur in filium: qui niſi ſic immutatam medicinam intra corpus non admittit. Ingredere, ingredere itaque anima mea in hoc foramen petræ. Vide quia duo ſunt in myſterio redemptionis noſtræ: modus & fructus. Modus eſt Dei exinanitio, vſque ad mortem crucis; ad quam proprijſſime pertinẽt quatuor vulnera, per quæ fuit fixus cruci. Ad fructum pertinet hoc quintũ vulnus: ſuſcepit enim

enim hoc vulnus Dominus tuus iam mortuus, qua ratione pertinet ſacramentum eius vulneris, ad vitam futuram; verum quia illud ſuſcepit adhuc habens corpus violabile, ſacramentum iſtud pertinet ad eum fructum, qui capi poteſt à nobis, adhuc circundatis infirmitate carnis noſtræ; ſicut ſacramentum reſurrectionis pertinet ad eam vitam, qua corpore & anima futuri ſumus beati: ad quem ſtatum quia nō peruenitur, niſi per iter huius mortalis vitæ noſtræ; ſuſcipe anima o diſciplinam vulneris huius, fructum mortis Domini tui, conueniētem mortali conditioni tuæ. Profundè inſere te in hoc vulnus medici tui, coniunge amorem tuū magno amori Domini tui: vt vtroque igne purgetur, ſicut aurum, anima tua. Vtere illecebris iſtius ſancti amoris, qui reconditi ſunt in iſto horreo & apotheca Domini tui: laua te aqua & ſanguine, nutri te calice mixto: & ſic accende amorem tuum ſemper. Offer hoc vulnus Domino Deo tuo, pro magnis peccatis tuis: vt præterita obliuiſcens, futura intendens dirigat cor tuum, vulneret cor tuum, ſauciet illud vulnere crucis filij ſui, & ſic perducat te ad plenum fructum redemptionis tuæ. Dicebat Propheta: *Obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde.* Moriamur à corde, à propria voluntate: moriamur à corde, vt non nobis viuamus, ſed illi: cuius cor pro nobis vulneratum eſt; vt ſic mortui à corde, poſſimus dicere: Viuo autem non iam ego, viuit veto in me Chriſtus, inferat nobis hanc mortem à corde, illa quæ fortis eſt ſicut mors dilectio, quæ occidit, non vitam, ſed mortem: peccatum enim extinguit,

quod vitam animæ expulerat, & animam restituit innocentiæ: Et sic audacter minetur charitas: O mors ero mors tua: & fiat hoc tandem, nobis Domine Deus noster.

EXPLICATIO OFFICII.

Ecclesia non celebrat sacramenta, seu ritus veteris testamenti, eo modo quo illa culta fuerunt ante aduentum Christi: si enim hoc faceret non esset Christi Ecclesia: non potest enim esse Christi Ecclesia, quæ externo ritu religionis profitetur adhuc se exspectare aliquem qui venturus est Christum Domini, saluatorem seculi. Sanctè nihilominus & religiosè sæpe proponit nobis ecclesia, veteris ecclesiæ sacramenta; dies festos, ceremonias, atque illa vniuersa, quæ legalia vulgo appellantur, non vt ijs sic propositis ita vtamur, quomodo ijs vti olim oportuit; sed vel ad memoriam diuinæ gratiæ, vel ad confirmationem eorum, quæ nunc credimus & profitemur: vel etiam ob varios & mysticos earum rerum diuinos sensus. Atque hæc est ratio cur hoc tempore proponatur nobis ab ecclesia cultus primi mensis: quo mãducabatur agnus Paschalis, nam licet neque primus mensis, neque eius mensis luna decimaquarta, neque Agnus, neque lactucæ agrestes, neque azyma sint nobis, tanquam sacramenta, quibus colamus Deum, sunt tamen nobis religiosa propter illum quem significabant, & hæc est vna causarum cur hodie nobis proponatur resuscitatio Lazari, Dominus crucifixus fuit decimaquinta luna. Ista igitur feria sexta accipienda est vt Neomenia: ab hoc enim die in

Paraſ-

Paraſceuen ſunt dies quindecim, veluti itaque ingreſſuris primum diem primi menſis, quo paſſus eſt Dominus, ſtatim ipſo initio proponitur reſuſcitatio Lazari, quæ creditur facta à Domino circa idem tempus, dicit enim Beatus Ioannes, hoc accidiſſe eo tempore, quo venerat Hieroſolymam ingens hominum multitudo, vt ſanctificaret ſe: quod vtiq; pertinet ad Neomeniam, & hoc quoque ſecutus eſt Beatus Ambroſius in ſuo officio, qui Dominica ſequente proponit eandem hiſtoriam: atque ea occaſione vocat eam Dominicam de Lazaro. Deinde initio primi menſis recte proponitur hiſtoria Lazari, ea ratione; quod iſtud miraculum concitauerit Domino tantam inuidiam Iudæorum, vt ea incitati conſiſtorialiter conſtituerent de Domino interficiendo, quam ſuam malam mentem nunquam ante eam diem ſic prodiderant. Præterea eſt alia ratio conueniens pœnitentiæ quadrageſimali, quæ nobis commendat hanc Lazari reſuſcitationem. Qua de re ſic ſcribit Rupertus.

Feria ſexta legitur Euangelium de reſurrectione Lazari. Notum eſt myſterium huius miraculi, & pœne à cũctis doctoribus celebratum: quod videlicet Lazarus, quem amabat Dominus, de quo ipſe ait: Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, vt à ſomno excitem illum: & cuius ſorores ſæpe Domino miniſtrauerant, typum geſſerit iam fidelis, & intra eccleſiam poſiti hominis; qui cum ſit amicus Domini noſtri Ieſu Chriſti per fidem, moritur illi per iniquam operationem, & in ſepulchro malæ conſcientiæ, conſuetudine ſcelerum obrutus, iamq; fœtens per infamiã, tandẽ per occultã inſpirationẽ Dei, magno timore futuri iudicij, quaſi magno ſaluatoris clamore Ioan. 11.

concussus, ad vitam pœnitendo resilit, & malæ sepulchrum conscientiæ per vltroneam aperiens confessionem, vinculis peccatorum meretur absolui, quia vivit.

3. reg. 17 *Hoc autem in filio mulieris Sareptanæ præfiguratum est, ad quam Helias Domino iubente ierat, relicta apud carnalem Israël siccitate & fame: Nam & illa mulier ecclesiam de gentibus mystice significauit: quæ legem & Prophetas, imo Christum qui ipsis agnoscitur, tanquam Heliam, hospitio fidei suscepit. Filius vero huius viduæ vnusquisque fidelis est: qui tunc moritur quando dignum morte peccatum admittit: & quod in clamore Domini Lazarum euocantis, significatum est: in cuius domo & ipse a sororibus eius pascebatur: hoc idem in clamore Heliæ præcessit, clamantis ad Dominum, & dicentis: Obsecro Domine etiámne viduam apud quam ego vtcunq; sustentor afflixisti, vt interficeres filium eius? Ad hoc quoque quod Lazarum amicum suum appellauit Dominus, pulchre conuenit illud, quod Ionas fuerit iste Sareptanæ viduæ filius, quem resuscitauit Helias, matre postea dicente ad eum: Nunc cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verum est, & ob hanc causam ipsum puerũ Amathi vocitatum: Amathi namq; ex Hebræo in Latinam linguam, veritas dicitur. Et ex eo quod Helias verum locutus est, ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis. Sed & hoc quod mortuum vt suscitaret, Helias supra lectum suum posuit, à mysterio non vacat. Lectus namq; Heliæ, catholicã Christi designat ecclesiam; in qua sola per remissionem peccatorum mortuæ reuiuiscunt animæ. Nam de hac ecclesia dicitur in canticis canticorum: En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt. Su-*

pradictam

praedictam ergo lectionem Euangelij, bene & consonanter ista de libro Regum lectio praecurrit. Atque hæc Rupertus: *Introitus huius officij proponit nobis Psalmum 18. Cœli enarrant gloriam Dei, & hoc propter Apostolos qui soluerunt Lazarum, propter Heliam suscitantem filium viduæ, propter sanctos quorum orationibus impetratæ fuerunt istæ resuscitationes Mariæ, & Marthæ sororum, & istius viduæ. Et ex eodem Psalmo propter pœnitentiam, quæ nobis commendatur in vtroq; exemplo, dicit Introitus: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. Meditatio cordis eius qui pœnitet, non est superbia: quia superbia animæ vult placere in conspectu hominum: humilis vero in occulto, vbi Deus videt vult placere. Et idcirco subiungit: Domine adiutor meus, & redemptor meus. Adiutor in bonis, redẽptor in malis: adiutor vt habitem in charitate tua, redẽptor, vt liberes me ab iniquitate mea. Collecta loquitur de renouatione mundi, quam facit Deus ineffabilibus sacramentis, è quibus nobis hic proponitur sacramentum pœnitentiæ: per quod Ecclesia & aternis proficit institutis, & fit vt temporalibus nõ destituatur auxilijs. Graduale est veluti quidã sermo istius viduæ, quæ recepto filio, dicit: Bonum est confidere in Domino. Quomodo resuscitationi Lazari respondet offertorium de populo humili saluato, & oculis superborum humiliatis. Id est domo Lazari saluata, & Caipha, cæterisq; eius collegis humiliatis. Postremo, quia communio viuificat corpus & animã; ideo singulariter ex historia ad communionem repetitur actio resurrectionis Lazari.*

MISSA FERIÆ VI. POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

Pſal. 18. MEditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper: Domine adiutor meus & redẽptor meus. *Ibid.* *Pſal.* Cœli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. *Verſ.* Gloria Patri.

DEus qui ineffabilibus mundum renouas ſacramentis præſta quæſumus, vt eccleſia tua, & æternis proficiat inſtitutis, & temporalibus non deſtituatur auxilijs. Per Dominum.

DA cordibus eccleſiæ tuæ quæſumus Domine, deſideria terrenæ conditionis abſcindere, & cęleſtis vitæ ſpiritum, ſenſibus eius largius infunde: nec præualeat auctor ille qui perdidit, ſed vincat potius qui redemit; vt à veteſtatis lege mundata proficiat, & ad æternam perueniat tuo munere nouitatem. Per Dominum.

Lectio libri Regum.

3. cap. 17 IN diebus illis, ægrotauit filius mulieris matris-familias, & erat languor fortiſſimus: Ita vt non remaneret in eo habitus. Dixit ergo ad Heliam. Quid mihi & tibi, vir Dei? Ingreſſus es ad me vt rememorarentur iniquitates meæ: & interficeres filium meũ? Et ait ad eam Helias. Da mihi filium tuum: Tulitq; eum de ſinu illius: & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat: & poſuit ſuper lectulũ ſuũ: Et clamauit ad Dominũ, & dixit: Domine Deus meus, etiámne viduam,

viduam, apud quam ego vtcunque ſuſtentor, afflixiſti; vt interficeret filium eius? Et expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, clamauitque ad Dominum, & dixit: Domine Deus reuertatur (obſecro) anima pueri huius in viſcera eius. Exaudiuit autem Dominus, vocẽ Heliæ: & reuerſa eſt anima pueri intra eum, & reuixit. Tulitque Helias puerum & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum: & tradidit matri ſuæ, & ait illi: En, viuit filius tuus, dixitque mulier ad Heliam: Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu: & verbũ Domini in ore tuo verum eſt.

Graduale. Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere in homine. *Verſ.* Bonũ eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus.

Tractus. Domine nõ ſecundum peccata noſtra quæ fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis. *Pſal. 102.* *Verſ.* Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipent nos miſericordiæ tuæ: quia pauperes facti ſumus nimis. *Pſal. 78.* *Verſ.* Adiua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore: erat quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororum eius: (Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) Miſerũt ergo ſorores eius ad eũ dicẽtes: *Cap. 11.* Domi-

Domine, ecce quem amas infirmatur. Audiés autem Ieſus, dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei: vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Ieſus Martham, & ſororem eius Mariam & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus. Deinde poſt hæc dixit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudęam iterum, dicunt ei diſcipuli: Rabbi nunc quærebant Iudæi te lapidare, & iterum vadis illuc? Reſpondit Ieſus: Nonne duodecim horæ ſunt diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit; quia lucem huius mundi videt. Si autem ambulauerit in nocte offendit: quia lux non eſt in eo. Hæc ait, & poſt hæc dicit eis: Lazarus amicus noſter dotmit: ſed vado, vt à ſomno excitẽ eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine ſi dormit ſaluus erit. Dixerat autẽ Ieſus de morte eius: Illi autem putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo dixit eis Ieſus manifeſtè, Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos vt credatis: quoniam non eram ibi. Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad cõdiſcipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque Ieſus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. (Erat autem Bethania iuxta Hieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim.) Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariã, vt conſolarentur eas de fratre ſuo; Martha ergo vt audiuit, quia Ieſus venit, occurrit illi: Maria autem domi ſedebat, dixit autem Martha ad Ieſum, Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Sed & nunc ſcio quia quęcunque

cunque popoſceris à Deo dabit tibi Deus. Dicit illi Ieſus: Reſurget frater tuus. Dixit ei Martha: Scio quia reſurget in reſurrectione, in nouiſſimo die. Dicit ei Ieſus: Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet. Et omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc. Ait illi. Vtique Domine: ego credidi, quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti. Et cum hęc dixiſſet, abijt & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens. Magiſter adeſt, & vocat te, illa autem vt audiuit, ſurrexit citò & venit ad eum. Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed adhuc erat in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudęi autem qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum vidiſſent Mariam, quia citò ſurrexit & exijt, ſecuti ſunt eam dicentes: Quia vadit ad monumentũ, vt ploret ibi. Maria ergo, cum veniſſet, vbi erat Ieſus; videns eum cecidit ad pedes eius & dixit ei: Domine, ſi fuiſſes hic non eſſet mortuus frater meus. Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea, plorantes; infremuit ſpiritu, & turbauit ſemetipſum, & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Dicunt ei: Domine veni & vide. Et lachrymatus eſt Ieſus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam ex ipſis dixerunt. Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati facere, vt & hic non moreretur? Ieſus ergo rurſum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum: erat autem ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus erat ei. Ait Ieſus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, ſoror eius, qui mortuus fuerat. Domine iam fœtet, quatriduanus

est enim. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem, Iesus autem eleuatis oculis sursum dixit, Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum qui circunstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit: Lazare veni foras. Et statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus manus, & pedes institis: & facies illius erat ligata sudario. Dixit eis Iesus. Soluite eum & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariã & Martham, & viderant quæ fecit Iesus crediderunt in eum.

Psal. 17. *Offertorium.* Populum humilem saluum facies, Domine, & oculos superborum humiliabis: quoniam quis Deus præter te Domine?

Secreta.

MVnera nos Domine quæsumus, oblata purificent: & te nobis iugiter faciãt esse placatum. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus Per Christum Dominum nostrum, qui est Deus æternus Lux indeficiens, claritas sempiterna, qui hic sequaces suos in luce præcipit ambulare, vt noctis æterne, valeant caliginem euadere, & ad lucis patriam fœliciter peruenire: qui per humilita-

tem

tem assumptæ humanitatis Lazarum fleuit, per diuinitatis potentiam vitæ reddidit; genusque humanum quadrifida peccatorum mole obrutum, ad vitam reduxit. Per quem petimus ieiunij obseruatione à peccatorum nostrorum nexibus solui, æterne vitæ felicitati reddi, & in sanctorum cœtibus connumerari. Qui eminenti gloria maiestatis, plurima in terris mirabilia peregit, inter quæ summæ pietatis virtute quatriduanum Lazarum, à nexu funeris liberauit: iam enim teterrimo squalore subactus, in atra telluris humatus voragine, vinctus institis quiescebat: cuius mortem prius per soporis requiem, postmodum aperta voce Dominus discipulis reserauit, quem & amicum pia dignatione commemorans, ad claustrum ipsius spelæi, properauit: ibique Iudæorum turbis adstantibus lachrymosis oculis infremuit ac plorauit. O quale exhibitionis miraculum, vt cælorum conditor flere ante serui tumulum dignaretur! O quam magnum & salutare mysterium! quod per resurrectionem Lazari figuraliter designatur. Ille tabo corporis dissolutus, per superni Regis imperium continuo surrexit ad vitam. Nos vero primi hominis facinore cõsepultos diuina Christi gratia ex infernis liberauit: & rediuiuos gaudijs reddidit sempiternis. Quem laudant.

Communio. Videns Dominus flentes sorores Lazari ad monumentum, lachrymatus est corã Iudæis, & exclamauit: Lazare veni foras & prodijt ligatis manibus, & pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus.

Post-

Post-Communio.

HÆc nos quæsumus Domine participatio sacramenti, & à proprijs reatibus indesinenter expediat; & ab omnibus tueatur aduersus. Per Dominum.

Super populum.

DA nobis quæsumus omnipotens Deus, vt qui infirmitatis nostræ conscij, de tua virtute cõfidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per.

ADesto Domine populis, qui sacra mysteria contigerunt: vt nullis periculis affligãtur, qui te protectore confidunt.

Ad Benedictionem.

BEnedicat nobis Dominus, & cor nostrum sinceri amoris copulet nexu perpetuo. *Amen.*

Floreamus rerum prę sentium copijs, iustitia acquisitis: gaudeamus perenniter fructibus sinceriſsimæ charitatis. *Amen.*

Tribuat nobis Dominus dona perennia, vt post tempora fęliciter dilatata, percipiamus gaudia sempiterna. *Amen.*

Quod ipse &c.

SABBATHO POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

De quarto Scrutinio.

HOdierno die fiebat olim *quartum Scrutinium electorum: eodem modo quo duo prima, vt tradit*

tradit Durandus, ordo vero Romanus, explicato maximo ſcrutinio, quod in aurium apertione dicitur. Tertium inquit, annunciat Presbyter, qualem diē voluerit in ſequenti hebdomada, qua reuertantur ad Scrutinium, quæ res oſtendit variè fuiſſe obſeruatum tempus ſcrutinij, vel ex more eccleſiarum, vel eius arbitrio, qui præerat ſcrutinio. Nos idcirco ſequimur Durandum, quod officium hodiernum ei rei conueniat: ſunt enim ibi multa de aquis ad quas vocantur ſitientes: tum etiam vt hoc Sabbatho, quod vacat peculiari hiſtoria, ea explicaremus, quæ fiebant olim in Scrutiniis poſt inchoatam miſſam, quod facturos nos promiſeramus Sabbatho præcedente, antiquo ritu Scrutiniorum, quem deſcripſimus ex ordine Romano. In Miſſa dicuntur iſtæ collectæ: Da quæſumus Domine electis noſtris, vt ſanctis edocti myſteriis, & renouentur fonte baptiſmatis: & inter eccleſiæ tuæ membra numerentur, vel talis. Da quæſumus Domine electis noſtris, digne & ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere: vt dignitati priſtinæ, quam originali tranſgreſſione perdiderant, per tuam gratiam reformentur. Quibus vtiq; collectis oſtenditur finis ſcrutinii, vt ſancti edoceantur myſteriis, vt dignè & ſapienter accedant ad confeſſionem diuinæ laudis. Ad hunc itaq; finem conſequendum, ſic res adminiſtratur. Sedet Presbyter in ſede ſua, clamat diaconus: catechumeni procedant, Acolythus vocat ſingulos collocat, vt fecerat antea, poſtea admonentur a Diacono: Orate electi, flectite genua, & poſtquam orauerint dicant. Leuate, complete orationem veſtram, & dicite Amen. Et reſpondent omnes Amen. Dicit diaconus: Signate illos, accedite ad benedictionem, Signant illos in frontibus eorum, cum pollicibus ſuis patrini vel matrinæ, dicen-

dicendo: In nomine Patris & Filij & ſpiritus ſancti. Deinde venit Acolythus, qui & ipſe eodem modo ſignat infantes, dicendo: In nomine Patris & Filij & ſpiritus ſancti. Et imponens manum ſuper eos, excelſa voce dicit orationem, & exorciſmum primum. Deinde repetito eodem ſignaculo fidei, fit ſecundus, & poſtremo tertius exorciſmus in eandem ſententiam: licet non iiſdem verbis, & poſt completos exorciſmos, dicunt rurſum vt ſupra: Orate electi flectite genua, & poſt paululum: Leuate complete oratione veſtram in vnum, & dicite Amen. Reſpondentibus autem Amen, iterum dicit: Signate illos, ſtate cum diſciplina & ſilentio; audientes attente, & ſignant patrini vt prius, inde reuertitur ſacerdos ad ſedem ſuam, & legitur lectio Prophetæ Ezechielis. In iſta varia actione occurrunt duo, ſignum crucis, quod fit in frontibus electorum, & exorciſmi poſt ſignaculum, quæ vtraq; ſunt explicanda breuiter: atque vna exſufflatio ſacerdotis in faciem electi, quæ nunc fit ordinarie in exorciſmo. In ordine vero Romano, fiebat ante Miſſam poſt Symbolum: & hoc ſine exorciſmo. Signabantur quoque catechumeni ante Miſſam poſt exſufflationem, vt deſcripta eſt tota ea formula à nobis alio loco, & probat Rabanus, qui vixit anno Domini 855. qui deſcribens morem ſui temporis. Primum *inquit* interrogatur paganus, an abrenunciet diabolo, & omnibus damnoſis eius operibus, atque fallacibus pompis. Deinde Apoſtolicæ fidei ſymbolum ei oſtenſum, quæſitumque ab eo, an crederet in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, Dominum noſtrũ, & in Spiritum ſanctum vnum Deum trinitate, & vnitate, an confiteretur vnam eſſe Eccleſiam catholicam:

Lib. 1. de inſtit. clericor. cap. 27.

licam: & an crederet remissionem peccatorũ, & carnis resurrectionem. Postea quam vero ita se per confessionem veræ fidei, in alterius commendauit Dominum, & per abrenunciationem prioris possessoris, se alienauit seruitio, exsufflatur tum ab sæua potestas, vt per piũ sacerdotis mysterium, spiritui sancto cederet, fugiens spiritus malignus. Signatur mox signaculo sanctæ crucis, tam in fronte quam in corde; vt ipse diabolus in vase suo pristino interemptionis suæ cognoscens signum, iam sibi deinceps sciret illud esse alienum; exinde dicuntur super eum orationes, vt fieret catechumenus. Tunc datur ei sal benedictum in os, vt per sal typicum sapientiæ, sale conditus, fętore careret iniquitatis: & nec à vermibus peccatorum vltra putrefieret: sed magis illæsus seruaretur, ad maiorem gratiam percipiẽdam, dehinc iterum exorcizatur diabolus, vt suam nequitiã agnoscens, & iustum super se iudicium Dei timens, recedat ab homine, nec iam contendat eum arte sua subuertere, ne baptismum consequatur: sed magis honorem Deo creatori suo exhibens, reddat opus factori suo. Postea tanguntur ei nares, & aures cum saliua, & dicitur ei illud verbum Euangelicum, quod Iesus, quãdo surdum & mutum sanauit, tangens cum sputo linguam eius, & mittens digitos suos in Auriculas eius dixit Ephphetha, quod est adaperire. Hoc enim sacramentũ hic agitur, vt per saliuam typicam sacerdotis & tactum, sapientia & virtus diuina, salutem eiusdem catechumeni operetur: vt aperiantur ei nares ad accipiendũ odorem notitiæ Dei: vt aperiantur illi & aures

ad audiendum mandata Dei, ſenſuque intimo cordis reponendum. Deinde benedictione ſacerdotali munitur, vt ad ſacrum baptiſmum cũ fide accepta cuſtodiatur. *Atque hæc Rabanus; cruce vero ſignatos fuiſſe catechumenos, probant B. Ambroſius.* Credit etiam catechumenus in crucem Domini Ieſu, quia & ipſe ſignatur. *B. Auguſt.* His dictis interrogãdus eſt an hæc credat, atque obſeruare deſiderat, quod cum reſponderit ſolemniter vtique ſignandus eſt, & eccleſiæ more tractandus *Idem lib. 2. de Symbolo Catechumenos alloquens.* Nondum quidem adhuc per ſacrum baptiſmum renati eſtis, ſed per crucis ſignum in vtero ſanctæ matris Eccleſiæ iam concepti eſtis. *Et iterum lib 3. de Symbolo.* Dum per ſacratiſſimum crucis ſignum vos ſuſcepit ſancta mater Eccleſia, quæ ſicut & fratres veſtros, cum ſumma lætitia ſpiritualiter pariet noua proles futura tantæ matris. *Idem cap. 10. de catech rudibus.* Cuius paſſionis & crucis ſigno in fronte hodie, tanquam in poſte ſignandus es, omneſque Chriſtiani ſignantur. *Signi vero crucis quod manibus formamus, tanta eſt tam excellens, tam vetus, tam vniuerſalis, tam ſancta, tam poſtremo diuina religio: vt quirem eã ex vſu Chriſtianorum tollere ſunt conati, ij ſolem è mundo, ii teſſeram è militia, ii vultum quo internoſcamur ex hominibus, illi Deum poſtremo tollere ex eccleſia non exiſtimandi, ſed certiſſime ſunt iudicandi. In vniuerſa enim religione Chriſtiana, ex omnibus ritibus Apoſtolicis, atque vniuerſaliter toto orbe terrarum vniuerſæ eccleſiæ, vna cum ipſa religione, extra omnem controuerſiam fideliſſime traditis; nullius equidem conferri poteſt ſignaculo crucis, cuì*

lib. vnico de his qui myſterijs initiãtur ſic p. 4. Aug. l. de catechiz rudibus.

rei

rei probandæ tot ſunt teſtes, vt eorum non ſententijs, ſed nominibus ſolis citandis multæ pagineæ non ſufficiant: quæ res facit, vt ſi in tota doctrina noſtrorum hæreticorum, hæc ſola exiſteret impietas, qua illi hoc ſignum ex hominum moribus ſuſtulerunt, neceſſario flagitioſiſſimam ac peſſimorum deſertorum diſciplinam, eam profiteri eſſet neceſſe. Catholici qui ſcribũt in hæreticos, dicunt Bezam alibi fateri, ſignum crucis fuiſſe olim notam Chriſtianiſmi, & tamen talem hãc notã recuſat Beza, eã notã quã Theodoritus vocat διαπυτικὴν σφραγίδα *Dionyſius* βραυροειδῆν σφραγίδα, *characterem ſignaculum quo Dominus obſignat & notat ſeruos ſuos, formatum ea forma, in qua nos redemit, & emit ſibi bonus Dominus, quem characterem dicunt imponi his, qui gratiam Chriſti ſunt accepturi; hanc quoque ſignaculi authoritatem, quæ eſt in ſigno crucis ſic docet Auguſt. Tract. 36. in Ioannem* De morte peſſima occidit Dominus omnem mortem, peſſima enim erat non intelligentibus Iudæis, nam à Domino erat electa, ipſam enim crucem ſuam, ſignũ habiturus erat, ipſam crucem de diabolo ſuperato tanquam trophæum in frontibus fidelium poſiturus, vt diceret Apoſtolus: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nihil erat tunc in carne intolerabilius, nihil eſt nũc in fronte glorioſius. *Idem tract. 11. in Ioannem.* Si dixerimus catechumeno; credis in Chriſtũ? reſpõdet credo: & ſignat ſe ſigno Chriſti: portat in fronte, & non erubeſcit de cruce Domini, ecce credit in nomine eius. *Sunt quidẽ multa & varia, quæ ſignificantur ſigno crucis, ſed in baptiſmo illud eſt præcipuum, quod iſta nota, & huius ſigni ſuſceptione aſcribuntur electi militiæ Chriſtianæ:*

a *Theod. l. 4 hiſt. eccl. c. 18*

b *Dionyſ. eccleſ. hierarch. cap. 18.*

ſtianæ: & quod abiurata religione, in qua hactenus ſunt verſati, abiurata poteſtate diaboli qua tenebantur, hanc in ſe ſuſcipiant noui Domini principalem, ac illi ſoli competentem ſanctum characterem ſanctum ſignum, neque aliter intelligi poteſt impoſitio primi ſignaculi, quo in ſingulis ſcrutinijs, & in ipſo Baptiſmo ſignantur electi, verum ſignacula quæ in eadem actione ſæpius repetuntur, præter iſtam ſignificationem aſcriptionis in Chriſtianum militem, poſſunt fortaſſis etiam habere eam interpretationem, qua intelligimus id ſignum, cum nos ſignamus contra malas ſuggeſtiones & operationes dæmonum, cum iſta nota benedicimus, & bene precamur, quod vt exiſtimem, facit formula, quam hoc capite recitauimus, qua electi monentur de oratione, & de accipienda benedictione, ſequuntur exorciſmi, exorcizo & exorciſmus ſunt voces Græcæ, vſurpatæ ab Euan-

Mat. 26. *geliſtis, Matthæo:* Adiuro te per Deum viuentem, *vbi legitur in textu Græco: Exorcizote per Deum viuentem. Marci 5.* ὁρκίζω σε τὸν θεὸν *dicebat Domino dæmoniacus, qui habebat Legionem, & Lucas in Act. Apoſto. cap. 19. vbi fit mentio exorciſtarum, & exorcizandi, quæ voces in vſu ſacro, ſignificant inuocationem diuini nominis, & obteſtationem iuratoriam, factam authoritate & poteſtate Dei, cuius nomen inuocatur, quam vim verbi explicat Beatus Auguſtinus in lib. de beata vita,* Vel ille, ait *(loquens de ſpiritu immundo)* qui extrinſecus inuadit acumen, ſenſuſque conturbat, & quendam hominibus infert furorem, cui excludendo qui præſunt manum ſibi ponere, vel exorcizare dicuntur, hoc eſt per diuina eum adiurando expellere,

Iſido-

Isidorus exorcistas latine adiurantes verti posse ait: indeq; nomen accepisse, quod super catechumenos, vel super eos qui spiritu immundo torquerentur, nomen Domini nostri Jesu Christi, inuocarent; adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis, forma vero & facultas eijciendi dæmones, per adiurationes diuini nominis, fuit in vetere religione Iudæorum, vt est in Actis 19. & Matthæi 12. Filij vestri in quo eijciunt, *& ab illis translatum est ad Christianos, & nomen & ministerium: Iosephus dicit Salomonem adiurasse dæmones lib. 8. antiq. Vlp. l. 1. § medicos ff. de varia & extraordina cog. Si incantauit vel imprecatus est, vel vt vulgari verbo impostorum vtar, si exorcizauit non sunt ista medicina genera, quæ verba Vlpiani procul dubio pertinent ad Christianos. Ista itaque facultas expellendi, dæmonem semper fuit in ecclesia Dei, non modo vt miraculum, quo homines sancti in nomine Dei id sæpissime fecerunt, sine vlla certa formula precationum, sed vt munus & functio ordinaria: cum ab ecclesiæ ministro, legitime ordinato super energumenos, & baptizandos, & abijs etiam de causis leguntur exorcismi, id est preces & formulæ ordinariæ, legitima ecclesiæ authoritate rite conscriptæ, & approbatæ: vel ad expellendum dæmonem, qui iam possidet creaturam, vel ad eius increpationem, vt creatura destinata sacro vsui, non abutatur. Tertull. loquens de dijs gentium, & potestate Christianorum:* Omnis *inquit* hæc nostra in illis dominatio & potestas, de nominatione Christi valet, & de commemoratione eorum, quæ sibi à Deo per arbitrum Christum imminentia exspectant: Christum timentes in Deo, & Deũ in

Lib. 7. Etymol. cap. 12.

Aduersus gentes cap. 23.

Christo, subijciuntur seruis Dei & Christi, ira de contactu, deque afflatu nostro contemplatione, & repræsentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus, nostro imperio excedunt inuiti & dolentes, & vobis præsentibus erubescentes. *Quæ verba Tertull. licet pertineant ad Energumenos, dilucide nihilominus ostendunt formulam verborum, contactum & afflatum exorcismorum, vtimur igitur exorcismis contra dæmones, siue illi sensibiliter possident corpora vt in Energumenis; siue occultione quadam spirituali ratione, vt in iis qui nõ sunt Baptizati; siue cum super creaturas inanimatas hac vtimur diuina potestate, contra versutias & potestatem dæmonum abutentium creaturis inanimatis, quo in genere quia hoc loco solum agitur de exorcismis Baptizandorum, omissis caterarum rerum exorcismis, id nunc est vidēdum, ex catechezibus Cyrilli Hierosolymitani, multa sunt à nobis alibi descripta B. Augustinus.* Illud quod circa baptizandos in vniuerso mundo sancta ecclesia vniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum siue paruuli, siue iuuenes, ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur. *Idem inquit*, ecclesiam toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizati infantuli, non ob aliud exsufflantur, nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras: à quo necesse est, vt vasa iræ possideantur, cum ex Adam nascuntur: si in Christo non renascuntur. *lib. 5. Hypognosticon ad finem.* Paruuli propterea catechizantur, & exsufflantur ac baptizantur, vt princeps huius mundi mittatur foras. *Et paulo*

De eccl. dogmat. cap. 3.

De nupt. & cõcup. l. 2. c. 17. & 18.

post

post. Exsufflatur & increpatur in eis, in catholica ecclesia, opus diaboli, non quod ipsi sint; sed quod in ipsis est. *Lib 2. ad Celestinum de peccato originali.* Ipsa sancta ecclesiæ Sacramenta, satis indicant paruulos à partu etiam recentissimos, per gratiam Christi, de diaboli seruitio liberari, excepto enim quod in peccatorum remissionem, non fallaci sed fideli mysterio baptizantur; etiam prius exorcizatur in eis, & exsufflatur potestas contraria: cui etiam, verbis eorum à quibus portantur, sese renunciare respondent. *Idem libro contra Iul. Pelag.* Sed verum est tamen, quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur & creditur, per ecclesiam totam quæ filios fidelium nec exorcizaret nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum, & à principe mortis erueret. *Lib. 2. contra Crescon. cap. 7.* Quid exsufflatis, quare rebaptizatis? *& cap. 4.* Cum apud nos iam baptizatũ, nec cœpisse dicũt esse Christianum, eum tanquam Paganum exsufflant, eum catechumenum faciunt, *lib. 5. Hypognosticon.* Falsum de paruulis conticesce, qui propterea catechizantur, & exsufflantur, ac baptizantur vt princeps mundi huius diabolus, ex eis mittatur foras, aut si non in illis diabolus exsufflatur, cuius opere id est vitio peccati, per Adam tenentur obnoxij, dicite cur imagini Dei fit iniuria, verum opinor quod eis baptismo vestro, baptizandis minimè exsufletis, ne non imagini Dei, sed diabolo faciatis iniuriam. *Epist. 105. ad Sixtum.* Circunstipantur enim & diuinarum authoritate lectionum, & antiquitas tradito & retento firmo ecclesiæ ritu, in baptismo paruulorum, vbi

apertiſſime demonſtrantur infantes, & cum exorcizantur,& cum per eos, quibus geſtantur,renunciare reſpondent à diaboli dominatione liberari. *Et mox.* Quid ad hoc reſpondeant,quod exorcizantur & exſufflantur infantes?hoc enim proculdubio fallaciter fit, ſi diabolus in eis non dominetur. *Opt. Mileuit. lib. 4.* Neminem,fugit quod omnis homo qui naſcitur, quamuis de parentibus Chriſtianis naſcitur, ſine ſpiritu immundo eſſe non poſſit: quem neceſſe ſit ante ſalutare lauacrum, ab homine excludi & ſuperari, hoc exorciſmus operatur,per quem ſpiritus immundus depellitur, & fugatur. *Et poſtea.* Vos baptizando exorcizatis hominem fidelem,& dicitis:maledicte,exi foras. *Beda in commentarijs Regum lib. 4.* Recti ordinis eſt,vt doctores veritatis, prius ab auditorum præcordijs omnem ſpiritum immundum exſufflando,& catechizando abigant, & ſic eos qui fuerant caſtra dæmonum, ſed facti iam poſſeſſio ſpiritualis Iſraël, ſocietati ſortis ſanctorum myſterijs ſalubribus imbuendo,aggregent. *Leo.* In baptizandis electis,qui ſecundum Apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & ieiunijs ſanctificandi, & frequentibus ſunt prædicationibus imbuendi: duo tantum tempora id eſt Paſcha,& Pentecoſten eſſe ſeruanda. *Epiſt. 4. cap. 6.* *Sunt præterea alia vbiq; teſtimonia, Dionyſij Areopagitæ, Tertulliani, Nazianzeni, Ambroſij, Celeſtini, ſed quibus iſta non ſufficiunt, illis ne mille quidem teſtes, nec ipſi forſan exorciſmi ſufficiant ad ſalutem: niſi volentes enim electi non exorcizabantur: nos contra iſtis teſtimonijs certiſſime intelligimus, antiquitatem, vniuerſis-*

uniuersitatem, & significationem istius sancti ritus. Praterea quod ante etiam monuimus, videntur scrutinia precipue sic appellata, propter exorcismos, quibus scrutamur latentem damonem. Tertio vox catechizandi licet proprie pertineat ad adultos discentes, tribuitur nihilominus etiam tempore August. ijs paruulis, qui per atatem nihil intelligunt. Quarto iste ritus exorcizandi, & exsufflandi ita fuit uniuersalis, vt illum retinerent etiam heretici: quorum doctrina is maxime repugnabat, quod certe non fecissent, si non maxima & granissima eius ritus authoritas in ecclesia semper exstitisset. Quinto discimus his testimoniis authoritatem exsufflationis, qua de re sic alibi. Idem Beatus Augustin. Id tu commemorare timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses: si huic exsufflationi, qua princeps mundi à paruulis eijcitur foras contradicere voluisses. *In quibus verbis Augustini aliud quoque est notandum: veteres vsos fuisse exsufflatione, non solum clericos in hoc sacro mysterio, sed vulgo eam fuisse notam abominationis, quale est nostrum fy, quod pronunciamus exsufflando, sic Dionysius, & Beatus Seuerus dicunt eos, qui baptizabantur, ad faciendam abrenunciationem, collocari solitos versus occidentem, & una cum verbis abrenunciatoriis veteris Domini, solitos eos fuisse exsufflare Satanam. Sic Tertullianus reprehendens in Christiano mercimonium thuris. Ipsius inquit fidei conscientiam perrogemus, quo ore Christianus thurarius, si per templa transibit, quo ore fumantes aras despuet, & exsufflabit: quibus ipse prospexit, qua constantia exorcizabit alumnos suos, quibus*

Lib. 6. contra Iul. cap. 2.

domum

domum ſuam cellariam præſtat. Lib. 2. ad vxorem cap. 5. deterrens mulieres a connubio gentilis maritis: Latebiſne tu *inquit Tertull.* cum lectulum, cũ corpuſculum tuum ſignas, cum aliquid immũdum flatu exſpuis, cũ etiam per noctem exſurgis oratum, & non magiæ aliquid videberis operari. *Siue igitur ex more ſacro res ea tranſiit in communem morem Chriſtianorum, ſiue contra; maxima ſemper fuit authoritas huius exſufflationis, de qua ſic ſcribit Cyrillus.* Inſufflationes ſanctorum, & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementiſſima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit. *Ridebat hunc ritum Chriſtianum impius Iulianus, & vt magis propinaret ridendum vetulis mulierculis, accedens ad ignem altaris, hunc iſtum ritum inflatis indecore buccis, imitabatur, vt refert Nazianzenus, & explicat eius interpres, & hanc ſequuntur noſtri heretici. Catholici contra benedicunt & laudant Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Atque hæc de exorciſmis cæteriſq́, quæ explicanda nobis ſumpſeramus: ſequuntur in officio ſcrutinii, quæ ſuffecerit notaſſe vno verbo: Suſceptores offerunt oblationes ſuas, & eas ponit Sacerdos ſuper altare. Infra canonem oratur nominatim pro ſuſcepioribus, qui obtulerunt dona ſua, & recitantur nomina virorum & mulierum, qui ipſos ſuſcepturi ſunt infantes. Diſtinguit ordo Romanus canonem, & agendam; ſicut etiam in noſtro Miſſali ea pars, quæ incipit communicantes, inſcribitur infra actionem: recitantur offerentes initio, & poſt, alio loco illi, qui non offerũt, ſed pro quibus offertur, infra agendam dicitur: hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cuncta familiæ tuæ quæſumus Domine, vt placatus accipias,*

Catech. myſtag. 2

Contra Iulia. orat. 4.

quam

quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad aternam vitam, & beatum gratia tua donum eligere atque vocare dignatus es. Hoc expleta recitantur nomina electorum, & subditur: Hos Domine fonte baptismatis innouandos, spiritus tui munere, ad sacramentorum tuorum plenitudinem poscimus preparari iubeas, diesq; nostros in tua pace disponas. Post-communio. Adesto Domine quaesumus nostra redemptionis effectibus, vt quos sacramentis aternitatis instituis, eosdem protegas dignanter aptandos. Super populum: Suppliciter Domine sacra familia munus tua, miserationis exspectat: cõcede quaesumus, vt quod te iubente desiderat, te largiente percipiat. Finitis Missarum solemnijs communicent susceptores, communicent (inquit ordo) prater ipsos infantes.

Nostris moribus hoc Sabbatho conferuntur ordines sacri, quod etiam laudatur. c. principali distin. 63.

EXPLICATIO OFFICII.

INtroitus inuitat competentes ad gratiam baptismi, & hoc verbis Isaia: Sitientes, inquit, venite ad aquas, vult igitur competentes esse sitientes, & sic venire ad aquas. Non dicit aqua ibunt ad vos; sed vos venite ad aquas, & hoc sitientes, id est, disponite vos ad gratiam, facite quod in vobis fuerit: ego venientibus gratiam meam non negabo, dabo sitientibus aquam admirabilem. Praterea dicit vt veniãt, non habentes pretium, quod aliis verbis sic dicit Propheta: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite, venite, emite absque argento, &

absque

absque vlla commutatione, id est vt sitis valde sitientes istarum aquarum deponite omnem curam diuitiarum, & cogitationem sæculi, & bibite istas aquas, non in dolo aut hypocrisi; sed bibite eas cum lætitia. Psalmus pertinet non ad competentes, sed ad fideles, qui iam sunt populus Dei; quibus imperatur vt attendant legem Dei, & inclinet aurem suam in verba oris eius, si populus Dei, ergo necessario attendit legi eius: non enim est miles Imperatoris qui non attendit legẽ eius, & quomodo attenditur lex Domini? nempe cum inclinamus aurem nostram in verba oris eius, id est cum humili & dimisso animo, diligentiam adhibemus singulis eius verbis. Verum quia hanc attentionem, & hanc inclinationem auris nostræ, non habemus tanquam à nobis; idcirco ieiunator in collecta subsequẽte, petit vt per Dei gratiã fiat, seu oriatur nobis fructuosus deuotionis affectus: vt sic possint sibi prodesse suscepta ieiunia. Lectio Isaiæ reuertitur ad competentes, explicans eis gratiam, quam sitiunt, loquitur Deus ad Christum hominem. In tempore placito exaudiui te, *quomodo Apostolus ad Hebræos loquitur*: Qui in diebus inquit carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, qui posſit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. *Seruaui te, à mortuis suscitaui te, dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt dicit Euangelium, & quomodo hæc Euangelium, sic etiam coniungit Propheta cap. 24. Ipse enim nos reconciliat Deo, & sic est nostrum fœdus. Ipse est Princeps pacis nostræ, ipse est, inquit Paulus, pax nostra, deinde explicat Propheta officium Christi, fœderis nostri, vt suscitares terram, vt à somno*

pec-

peccati, & à morte animæ peccatores excitares; vt possideres hæreditates dissipatas, vt gentes fierent hæreditas tua: vt vinctis præstares liberationem, & lumen seu reuelationem his, qui sunt in tenebris. Deinde varia Metaphora exponitur status eorum, quos possessurus est Dominus, ex illa hæreditate dissipata, non errabunt per desertũ, super vias pascentur, non errabunt per montes, erunt pascua eorum in omnibus locis planis: omnes enim montes ponet Dominus in viam, & semitæ seu loca depressa sic exaltabit, vt & ibi commode pascantur, non vret eos sol & æstus, non esurient, non sitient, quinimo Dominus per gratiam suam præuenientem, portabit eos ad fontes aquarum. Explicatur quoque latitudo istius dissipatæ hæreditatis. Ecce isti de longe venient ab Oriente, ab omnibus quatuor plagis terræ. Deinde Propheta exultans ad tantæ rei mysterium: Laudate *inquit* cœli, & exulta terra, iubilate montes laudem. *Postremo per gratiam prophetiæ videns ista in spiritu, & simul tribulationes huius ecclesiæ deuotissime claudit lectionem, Et dixit Sion dereliquit me Dominus, & oblitus est mei Dominus. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit: ego tamen non obliuiscar tui dicit Dominus Omnipotens, vel etiam hoc pertinet ad fideles Iudæos, qui per vocationem gentium videbantur derelicti à Deo. Graduale respondet illis verbis lectionis, quibus dicitur, quod Dominus pauperum suorum miserebitur. Tibi, inquit, Domine derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor, & alijs verbis lectionis, quibus promittitur exitus vinctis, &*

relevatio sedentibus in tenebris acclamat graduale vt quid Domine recessisti longe? &c. Euangelium optime conuenit lectioni Prophetæ. Dixerat Iudæis, Dominum datum in fœdus populi, & lucem gentium, in reuelationem eorum, qui in tenebris sunt. Hic ipse Dominus dicit turbis Iudæorum: Ego sum lux mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris sed habebit lumen vitæ. Quæ verba Euangelii sic interpretatur Iansenius: ego inquit sum lux mundi, significans præter se, neminem esse lucem mundi: & si quis sit, per ipsum esse, participatione scilicet sui luminis, ratione cuius, Apostolos supra dixit esse lucem mundi. Neque ergo Moysen significat fuisse lucem mundi, vt qui paruam tantum mundi partē, obscuro solum lumine, non veluti sol, sed veluti lucerna illustrauit, neque rursum Philosophos Gentiliū, aut Pharisæos, Iudæorum doctores, vt qui mundo tenebras potius offuderint, quam ex eo fugauerint; sed se vnum toti mundo, hoc esse spiritualiter, quod sol visibilis mundo corporaliter. Hæc est illa lux de qua Pater cœlestis Isaiæ 49. Dedi te in lucem gentiū, vt sis salus mea vsque ad extremū terræ. *Et Zacharias.* Visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in vmbra mortis sedent &c. *Et Simeon senex:* Lumen ad reuelationem gentium. *Quoniam autem Dominus lucem se vocauit, hinc in allegoria hac persistens, adiicit:* Qui sequitur me non ambulat *aut, vt est Græcè & apud Augustinum,* non ambulabit, *hoc est non conuersabitur* in tenebris, *ignorantiæ scilicet & peccatorum;* sed habebit lumen vitæ, *hoc est lumen quod hic vitam animæ largitur, aut quod ambulantem deducit ad vitam æternam. Hoc lumen est Christus ipse, aut Spiritus eius sanctus, qui per suam gratiam habitans*

in mentibus fidelium præluceat eis, demonſtrans quid faciendum, & quibus actibus ad vitam quis perueniat. Non dicit autem Dominus: quia lux ſum mundi, ideo per me omnes accipiunt lumen vitæ, ſed qui ſequitur me, credendo ſcilicet & obediendo mihi habebit lumen vitæ. Sicut enim ſol viſibilis, & ſi ſit totius mundi lux, non præbet lumen cæcis, & oculos ſuos claudentibus, ita nec ſpiritualis iſta mundi lux, lumen ſuum illis præbet, qui eam oblatam amplecti nolunt. Porro diuus Auguſtinus illud, ſed habebit lumen vitæ, *refert ad futurum ſeculum, in quo ſequentes modo Chriſtum, conſequentur lumen regni cœlorum. Verum prior intelligentia eſt conuenientior: quod hæc pars opponatur illi:* non ambulabit in tenebris, *quæ ad præſentem pertinet vitam. Sicut autem Dominus dicens* Ego ſum lux mũdi, *ſe ab aliis doctoribus hominum ſeparat: ita & cum ſubdit,* qui ſequitur me, *ſignificat enim eos qui ſequuntur alios, non liberari a tenebris, & quanquam ab illis accipiant aliquod ſapientiæ & intelligentiæ lumen, non tamen habere ab illis lumen vitæ. Offertorium reſpondet Domino dicenti, ſe eſſe lucem: & iubenti, vt ſe ſequamur, dicit igitur: Dominum eſſe ſuum firmamentum id eſt ſuum ſaxum, ſuam rupem ſuum propugnaculum: & idcirco in illud ſe refugere, vt ſic liberetur, in illum igitur talem dicit ſe ſperaturum. Secreta habet pulchrum, & nobis pœne ſemper neceſſarium votum. Oblationibus, inquit noſtris quæſumus Domine propitiare ſuſceptis, & ad tẽ noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates, eſt enim magna Dei dignatio, magna eius propitiatio, cum rebelles noſtræ voluntates, etiam compellendo ad Dominum reducuntur, & hæc precatio ſemper eſt neceſſaria: pauci enim ſunt, qui voluntate*

non ſunt rebelles Deo, licet verbis aliud præſeferant. Communio eadem eſt cum lectione. Dominus regit me, Dominus paſtor meus eſt, nulla re indigebo, in uberibus, & valde graminoſis, & herboſis paſcuis, me collocauit. Super aquã refectionis educauit me, ſuper aquam baptiſmi, qua reficiuntur, qui integritatem vireſq; amiſerant, educauit me, bene baptiſmus aqua refectionis dicitur, eo quod per eum reficiamur in nouum hominem, & per eum anima à labore, & angore priſtino refocilletur. Super quam aquam educauit Dominus, bonos filios eccleſiæ, cũ eos tanquã modo genitos infantes, fecit lac doctrinæ ſpiritualis concupiſcere, & per id creſcere ad ſapientiã in ſalutem.

MISSA SABBATHO POST DOMINIC. IIII. QVADRAG.

Iſaiæ 55. SItientes venite ad aquas dicit Dominus, & qui non habetis pretium; venite & bibite
Pſal. 77. cum lætitia. *Pſal.* Attendite populo meus legẽ meam: inclinate aurem veſtram in verba oris mei. *Verſ.* Gloria.

ORATIO.

FLat quæſumus Domine, per gratiam tuam, fructuoſus noſtræ deuotionis affectus: quia tunc nobis proderunt ſuſcepta ieiunia, ſi tuæ ſint placita pietati. Per Dominum.

Ne deſpicias omnipotens Deus populum tuum in afflictione clamantem, ſed propter gloriam nominis tui, tribulatis ſuccurre placatus. Per Dominum.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus : In tempore placito exaudiui te: & in die salutis auxiliatus sum tui; & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram , & possideres hæreditates dissipatas: vt diceres his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris sunt, reuelamini. Super vias pascentur , & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum portabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam: & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari; & isti de terra australi: Laudate cœli & exulta terra, iubilate montes laudem, quia consolatus est Dominus populum suum , & pauperum suorum miserebitur . Et dixit Sion : Derelinquit me Dominus & Dominus oblitus est mei. Nũquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui, dicit Dominus omnipotens. *Cap. 49.*

Graduale. Tibi Domine derelictus est pauper: pupillo tu eris adiutor. *Vers.* Vt quid Domine recessisti longe? despicis in oportunitatibus, in tribulatione, dum superbit impius incenditur pauper. *Psal. 9.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore: dicebat Iesus turbis Iudæorum : Ego sum lux mundi, qui sequitur me *Cap.*

non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum nō est verum, respondit Iesus & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum: quia scio vnde veni, & quo vado. Vos autem nescitis vnde venio, aut quo vado. Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quenquam. Et si ego iudico, iudicium meum verum est: quia solus non sum: sed ego, & qui misit me pater. Et in lege vestra scriptum est: quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimoniū perhibeo de meipso: & testimonium perhibet de me; qui misit me pater. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus, neque me scitis, neque patrem meum. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nōdum venerat hora eius.

Offertorium. Factus est Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, sperabo in eum.

Secreta.

OBlationibus nostris quæsumus Domine, placare susceptis: & ad te nostras, etiā rebelles compelle propitius voluntates. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus misericordiæ dator, & totius auctor bonitatis, qui ieiunijs orationibus,

nibus, & eleemosynis peccatorum remedia, & virtutum omnium tribuis incrementa. Te humili deuotione precamur, vt qui ad hæc agenda saluberrimam dedisti doctrinam, ad complenda indefessam tribuas efficaciam, vt obedienter tua exsequentes præcepta, feliciter tua capiamus promissa. Per.

Communio. Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me.

Post-Communio.

TVa nos quæsumus Domine sancta purificent, & operationis suæ remedio, tibi faciant esse placatos. Per Dominum.

Super populum.

DEus qui sperantibus in te misereri potius eligis, quam irasci: da nobis digne flere mala, quæ fecimus: vt tuæ consolationis gratiam inuenire mereamur. Per Dominum.

TVa nos quæsumus Domine gratia, & sanctis exerceat veneranda ieiunijs; & cœlestibus mysterijs efficiat aptiores. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

EMundet Dominus conscientias nostras ab omni malitia; & repleat sanctificatione perpetua. *Amen.*

Vota nostra clementer intendat, & peccata omnia propitiatus indulgeat. *Amen.*

Quæ piè optamus miseratus attribuat, & quæ pauescimus, pius propugnator procul repellat. *Amen.*

Quod ipse &c.

DOMINICA DE PASSIONE.

HÆc Dominica quinta quadrageſimæ, in officio Romano, dicitur, Dominica de Paſſione, & ob hanc Domini paſſionem omittitur in Introitu & alibi, verſiculus, Gloria Patri, *& loco præfationis de ieiunio, ſumitur alia de cruce, quæ de re ſic ſcribit Rupertus.* Præcedenti veſpera dominicæ huius, annua dominicæ paſſionis celebritas inchoatur. Cur autem tot dies ante illum diem, quo crucifixus eſt Dominus incipiatur, ex Euangelio Ioãnis animaduertere poſſumus, ait enim : collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium aduerſus Ieſum, & dicebant: quid facimus? quoniam hic homo multa ſigna facit? & cum propheraſſet vnus ex ipſis, Caiphas nomine, qui erat Pontifex anni illius, quod expediret vnum hominem mori pro gente, & non tantum pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum: ſecutus adiungit Euangeliſta : ab illa ergo die cogitauerunt vt interficerent eum, ac deinceps, Ieſus ergo apud Iudæos iam non palam ambulabat, ſed relictis illis, abijt iuxta deſertum, in ciuitatem, quæ dicitur Effrem: & ibi morabatur cum diſcipulis ſuis. Et quando concilium illud habitum ſit, item ex conſequentibus colligi poteſt. Sequitur autem, proximum autem erat paſcha Iudæorum, & aſcenderunt multi in Hieroſolymam de regione ante Paſcha, vt ſanctificarent ſeipſos. Planè per hoc, initium primi menſis,

menſis, tunc exſtitiſſe commendatur, quando Lazarus ſuſcitatus eſt, propter quod ſignum non multo poſt concilium habitum eſt. Moris enim Iudæis erat ex præcepto legis ſanctificare ſeipſos ante Paſcha: ipſamque ſanctificationem initiari prima die menſis primi: qua die & tabernaculum dedicatum eſt, ſicut in exodo legimus, loquente Domino ad Moyſen, menſe primo, prima die menſis, eriges tabernaculum teſtimonij, & pones in eo arcam, &c. Et paulo poſt. Aſſumpto vnctionis oleo, vnges tabernaculum cum vaſis ſuis, vt ſanctificétur, &c. Illud quoque nō prętereundum, quod eiuſdē mēſis initiū, id eſt luna prima in ſexta feria, tunc exſiterit. Siquidē feria ſexta, qua Dñs crucifixus eſt quintadecima exſtitit, ac per hoc, ita eſſe vt dictū eſt, nemo eſt qui dubitat. Nā quintadecima, in eandem feriam ſemper occurrit, in quam & prima. Igitur ex his quæ dicta ſunt, quoniam & eccleſiaſtici compoſitor officij, ſupradictū Euāgeliū de reſuſcitatione Lazari, nō ſine cauſa, ſexta feria legi voluit, quæ quintadecima dies eſt ab illa, qua Dominus crucifixus eſt: ex his, inquam, quæ dicta ſunt, datur intelligi, quod Dominus ipſo die Neomeniæ, Lazarum ſuſcitauerit. Delectat valde legitimus hic regis noſtri proceſſus, legitimus, & ſanctus ſummi ſacerdotis noſtri clangor, in die Neomeniæ huius, ipſe qui quondam iuſſerat filijs Iſrael per Moyſen dicens: quando exibis ad bellum, contra hoſtes qui dimicant aduerſum vos, ſi quando habebitis epulum, & dies feſtos, & Kalendas, clangetis tubis, ſuper holocauſtis, & pacificis victimis: ipſe rex noſter exiturus ad Exod. 40.

bellum passionis contra diabolum, principem mundi: ipse summus sacerdos noster, habiturus epulum corporis, & sanguinis sui; quod cum traderet discipulis suis: desiderio, inquit, desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Habiturus diem festum sue, sacrosanctæ resurrectionis, habens, inquam Kalendas, id est, initium mensis vel lunæ, cuius in plenitudine hæc facturus erat, clangit tuba tanti, tamque excellẽtis miraculi, quo & hostes suos attonitos reddidit, & corda piorum magis, ac magis ad credendum animauit. Namque & hostes eius turbati dicunt: Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & plebs ad credendum magis animata, precipue propter hoc signum, postmodum illi venienti Hierosolymam, cum palmis & laudibus obuiam proceſſit. Suscitato autem Lazaro non longum erat, vt hoc Pharisæi audirent: Bethania namque ab Hierosolymis quindecim tantum stadijs, id est, nõ integris duobus distat miliarijs. Et ex Iudæis, qui fuerant cum Iesu, quando illum suscitauit: quidam, inquit Euangelista, abierunt ad Pharisæos, & narrauerunt eis, quæ fecit Iesus. Nec mora fuit post hoc colligendi concilij: mox enim sic Euangelista coniungit. Collegerunt ergo Põtifices, & Pharisæi concilium. Rursus nõ longum erat, aut difficile tunc illud colligi, cũ enim, vt ait Euangelista, quia proximum erat pascha Iudæorum, multi ascenderunt Hierosolymam, vt sanctificarent seipsos: tunc vero precipue Põtifices & Pharisæi, qui erãt clerici Iudæorum, si qui forte ex ipsis procul aberant, solẽniter conuenerant, continuata quoque duo-

rum

rum ſolemnitas dierũ, id eſt ſabbathi & Neomeniæ, quæ (vt ſupradictum eſt) pridie fuerat, agendo concilio frequentiores, atque expeditiores reddiderat,

Nihil igitur repugnat, quin eodem ſabbatho, (cuius in veſpera dominicæ paſſionis, annuam inchoamus memoriam) illud impiorum concilium collectum fuerit, & quia ab illo cogitauerunt, vt interficerẽt eum: idcirco in veſpera, quaſi poſt horam eiuſdem concilij, luctũ publicũ incipit eccleſia, ſuo Domino per omnia compatiens, vt corpus capiti.

Hac ergo Dominicæ paſſionis, vt dictum eſt, commemoratione inchoata, res digna ſpectaculo procedit, pręmiſſa namque per ſeptem dominicas, ſuperius digeſtas, quaſi pompa funeris, & ſecundum ritum officij procedente eccleſia, in ordine ſuo, per totidem ætates ſeculi, tandem ipſa mors Chriſti, cui omnis illa pompa præordinata eſt, effertur præ oculis: & pijs fidelium mentibus ingeruntur vulnera, cunctaque mortis inſignia, quæ pertulit pro cũctis vnica ſalus, Deus & homo Chriſtus, Dei vnigenitus. Nihil quippe tam frequens, quam prodeuntia vexilla Regis, fulgidumque myſterium crucis, acetum quoque, fel, & arundinẽ, clauos, & lanceam perforati corporis, tam in nocturnis, quam in diurnis meditamur canticis, quæ de authenticis, veteris pariter ac noui teſtamenti ſcripturis, congeſta ſunt. Sicque fiunt comæ capitis eccleſiæ, id eſt cogitationes cordis eius, quaſi purpura regis iuncta canalibus, dum paſſionem redemptoris meditatur, ſenſum ſuum authenticis adhibens ſcripturis, Cant. 7.

videlicet præcioſis purpuræ tincturis, quæ per ora Prophetarum & Apoſtolorum, velut per quoſdã canales, ſpiritu ſancto conficiente profluxerunt.

Cur Gloria Patri non dicimus.

VEruntamen hac dominica, totaque hebdomada luctus ille remiſſior eſt; quia non ſtatim poſt habitum concilium traditus eſt agnus, in manus Laniſtarum impiorum, vt portaretur ad victimam, ſed quia iam ex tunc quæri cœpit: & quia mandatum dederant Pontifices & Phariſæi, vt ſi quis cognouerit vbi ſit, indicet, vt apprehendant eum, & quia Ieſus iam non palam ambulabat apud Iudæos: nos quoque cum illo quodam modo ſecedimus, dum vocem lætitiæ, & laudis, aliquantulum ſupprimimus. Nam de reſponſorijs, Gloria patri ſubtrahimus; & apud quoſdam ad Miſſas quoque cum introitu officij non dicitur. Siquidem breuis licet verſiculus, quia ſanctæ Trinitatis magis expreſſa, magiſque propria laus eſt; bene capitis noſtri ſolitudinem atque ſilentium, non palam ambulantis, dum nõ dicitur, ſignificat.

Atque hac Rupertus. Praterea hac Dominica olim vocata fuit, ni fallor, Dominica Mediana, alia ratione ab ea, qua dominica quarta quadrag. vulgo vocatur Mediana: nempe, quod iſta dominica indicet mediam lunam primi menſis, nam licet feria ſexta precedens, reſpondeat media lunæ Iudæorum, qua Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus; iſta nihilominus dominica eſt nobis veluti initium primi menſis Chriſtianorum, in quod incidit ve-

rum

rum Pascha, qua Dominus transiuit à morte in vitam æternam, indicat igitur hæc dominica, veluti mediam lunam, quæ cum biduo transijsset, tam breui tempore post resurrexit Dominus, vocatam vero fuisse hanc dominicam medianam duos habeo testes: primo Pelagium Papam, qui c. principali distin. 63. iubet ordinari clericos, veniente mediana septimana Paschæ, quod est inquit glossa, cum cantatur: Sitientes, quod fuit vtiq; Sabbatho præcedente. Deinde ordinem Romanum, in quo sic legitur: Incipit ordo à dominica mediana, vsque in octauas Paschæ, de officijs diuinis, diebus ac noctibus breuiter digestis. *Huic inscriptioni hæc subiiciuntur:* Dominica quinta de Passione ponant Hieremiam Prophetam, vsque in cœnam Domini. Igitur à dominica, quam sedes Apostolica Medianam voluit nuncupari, vsum obseruantiæ credimus intimandum. Vnde & ea, quæ ipsa die dicuntur, numerum dierum ostendunt, vt est illud quartadecima die, ad vesperam. Et paulo post. In quintadecima solemnitate celebrabitis, quo die vsque in vigiliam sanctæ dominicæ resurrectionis, in nullo responsorio decantatur Gloria, nec in Venite. *Atque hæc sunt verba Ordinis, quibus discimus, idcirco vocari hanc dominicam medianam, quod in officio suo proponat nobis, decimamquartam & decimamquintam lunam, quod sit primo nocturno huius Dominicæ.*

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

IN *Introitu contra istud concilium malignantium, quo constituerunt Iudæi, vt Dominus comprehenderetur ad pœnam mortis; in persona Domini proponitur Psalmus:* Iudica me Deus, & discerne causam meam, *solus enim intrepide sine vlla verborum leniore interpretatione, hoc potest dicere Dominus contra istud iudicium, & hoc concilium Iudæorum. Alij enim iusti Martyres, nec sine trepidatione, nec nisi leni alio sensu, non poterant dicere Deo: Iudica me Deus, solus enim mortuus & iudicatus est ab hominibus, vere iustus & innocens Dominus: cateri iniustè, sed non innocentes & absolutè iusti. Præterea in introitu, & ad responsoria omittitur hic, & seqq officiis vsque ad Pascha, vers.* Gloria Patri, *propter causam superiori capite explicatã. In ista quoque persecutione Domini, ecclesia in collecta sollicita de corpore Domini, rogat pro eius familia: fit enim pœne semper, vt sublato patrefamilias, tota familia subuertatur, vt dicitur alibi: Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis. Epistola tota est de mysterio passionis, in qua hoc inter cætera singulariter est notandum: Emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti: in passione enim non fere cogitamus gratiã, qua seruiamus Deo, per emundationem conscientiæ ab operibus mortuis: sed vt plurimum solam cogitamus satisfactionem illius pretii, pro morte æterna, cuius eramus debitores, quod est in Graduali: Eripe me Domine de inimicis meis, idem est cum eo, quod notauimus in Introitu, quod sequitur,* doce me facere

cere voluntatem tuam, *id est, quod dicebat in horto.* Veruntamen non sicut ego volo; sed sicut tu, *sicut illud prius:* Etripe me. *Eadem est oratio cum illa oratione in horto:* Transeat à me calix iste. *Tractus optime quoque conuenit reliquo officio: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, id est ab ecclesiæ primordiis, à sanguine Abel iusti, sæpe expugnauerunt me, in membris meis, in corpore meo, quod est ecclesia, occidendo Prophetas, & lapidando eos, qui ad se missi sunt, & prolongauerũt iniquitatem, perseueranter occidendo vsque ad me ipsum, de qua nunc dicunt: Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas. Euangelium quoque conuenientissime recitatur contra istud concilium Iudæorum, quid enim æque commode potuit narrari, contra illud nefarium concilium, atque istud, quod aliàs palam dixit Dominus turbis, & principibus sacerdotum: quis ex vobis arguet me de peccato? ista enim cõcertatio verborum inter Dominum & principes Iudæorum, sola debebat sufficere, ne istud susciperent pessimum concilium, conuenit quoque istud Euangelium passioni, propter similem impietatẽ Iudæorum, qua volebãt eum lapidare, vel potius qua eum lapidarunt: iam enim tulerunt lapides, & ob illam quoque actionem Domini, qua abscondit se, & exiuit de templo, per mortem enim eius scissum est velum templi, & Dominus exiuit de templo Iudæorum: transiens ad ecclesiam in suo nomine congregatam. In offerenda: confitebor tibi in toto corde meo, præmium reposcit obedientia, factus obediens vsque ad mortem: secundum formam serui, dicit: Retribue seruo tuo vt viuam, id est, vt resurgam, & tunc custodiam, id est, custodiri faciam sermones tuos. Viuifica me secundum verbum tuum, id est per inhabi-*

tan tia

tantis in me verbi tui potentiam. Communio. Hoc corpus quod pro vobis tradetur, notissima & percelebris est vox ista summi sacerdotis Christi, noui testamenti mediatoris, egressi de vetere templo, secundum precedentis epistolæ dicta: neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introeuntis semel in sancta.

MISSA DOMINICA DE PASSIONE.

INTROITVS.

Psal. 42. IVdica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo & doloso eripe me, quia tu es Deus meus, & fortitudo mea. *Psal.* Emitte lucem tuam & veritatē tuam ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Iudica me Deus. Non dicitur Gloria.

Coll. Quæsumus omnipotens Deus: familiā tuam propitius respice: vt te largiente regatur in corpore, & te seruante custodiatur in mente. Per Dominum.

Exaudi Domine gemitum populi tui, nec plus apud te valeat offensio delinquentiū, quā misericordia indulta fletibus supplicantiū. Per Dominum.

Lectio epistolæ Beati Pauli Apostoli, ad Hebræos.

Cap. 9. FRatres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tab er-

tabernaculum non manufactum, id est, nō huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum: sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorū, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi, qui per spiritū sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis; ad seruiendum Deo viuenti? & ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis in Christo Iesu Domino nostro.

Graduale. Eripe me Domine de inimicis meis: doce me facere voluntatem tuam. *Vers.* Liberator meus Domine de gentibus iracundis, & ab insurgentibus in me, exaltabis me, à viro iniquo eripies me. *Psal. 142.*

Tractus. Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. *Vers.* Dicat nunc Israël, sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea. *Vers.* Etenim nō potuerūnt mihi: supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. *Vers.* Prolongauerunt iniquitates suas, Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore: dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Sacerdotū: quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico quare *Cap. 8.*

non

no creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo nó estis. Respondérunt igitur Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me: Ego autem non quæro gloriam meam; est qui quærat, & iudicet. Amen, amen, dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abrahã mortuus est, & prophetæ, & tu dicis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non gustabit in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, & Prophetæ mortui sunt, quem teipsum facis? Respondit Iesus: Si ego glorifico, meipsum, gloria mea nihil est. Est pater meus qui glorificat me, quẽ vos dicitis, quia Deus vester est & non cognouistis eum: ego autem noui eũ, & si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax; sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum: vidit & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eũ: quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? dixit eis Iesus. Amen, amẽ dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

CREDO.

Psal. 118. *Offertorium.* Confitebor tibi Domine in toto corde meo: retribue seruo tuo, vt viuam & custodiam sermones tuos, viuifica me secundũ verbum

verbum tuum Domine. *Vers.* I. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum. *Vers.* II. Viam virtutis elegi, da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiã. In via tua viuifica me, iudicia enim tua iucũda. Deprecatus sum vultum tuum in toto corde meo, quia dilexi legem tuam.

Secreta.

HÆc munera quæsumus Domine, & vinacula nostræ prauitatis absoluant, & tuæ nobis misericordiæ dona cõcilient. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, vnde maiestatem tuam propensius imploramus, vt quãto magis, dies salutiferæ festiuitatis accedit; tanto deuotius ad eius dignè celebrandum, profficiamus paschale mysterium. Per Dominũ nostrum.

Communio. Hoc corpus, quod pro vobis tradetur, hic calix noui testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus: hoc facite quotiescunque sumitis, in meam commemorationem.

Post-

Post-Communio.

ADesto nobis, Domine Deus noſter, & quos tuis myſterijs recreaſti, perpetuis defende ſubſidijs. Per.

Benedictio Domine quęſumus in tuos fideles copioſa deſcendat, vt quam ſubiectis cordibus expetunt; largiter conſequantur.

Libera quæſumus Domine, à peccatis & hoſtibus populum tibi ſupplicantem, vt in ſancta conuerſatione viuentes, nullis afficiantur aduerſis. Per.

Ad Benedictionem.

ACcendat in nobis Dominus vim ſui amoris, & per ieiuniorum obſeruantiã infundat in nobis donum ſuæ benedictionis. *Amen.*

Sic ei parſimoniæ victimas offeramus, vt illi contriti cordis, & humilitatis ſacrificio placeamus. *Amen.*

Quatenus oratio noſtra ieiunij, & eleemoſynæ alis ſubuecta, ita ad aures noſtri conditoris aſcendat, vt nos æternæ beatitudinis hæredes, & ſupernorum ciuium conſortes efficiat. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA II. POST DOM. De Passione.

De Dominici ſanguinis effuſionibus.

SAcrificia veteris legis, & maximum eius ſacramentum, nempe circunciſio, habebant effuſionem

sionem sanguinis; noua legis duo præcipua sacramenta, habent & ipsa sanguinem: Eucharistia verè & realiter, Baptismus verè sed significatiue, & hic sanguis vtriusque testamenti spectat sanguinem quem fudit Dominus pro nobis, sanguis Martyrum refertur & ipse ad sanguinem Domini: sed alia ratione. Maximum itaque ac pœne præcipuum in Domini passione est, effusio sanguinis; quæ continet illa duo, quæ semper credenda & cogitanda sunt in Deo, iudicium & misericordiam. Iudicium Dei sic vindicantis peccatum & misericordia sic miserentis per temporalem mortem, & quæ illi assimilatur, per mortem peccati, quæ fit in baptismo & pœnitentia. Istud verò genus meditandi passionem Domini per eius sanguinis effusionem, licet eadem sit omnium deuotorum intentio, diuerse nihilominus ab ijs solet distingui. Maiores nostri & vulgus Catholicorum facit quindecim effusiones sanguinis, hoc ordine.

Primam, quæ facta est in circunciſione.

Secundam sudorem sanguinis in horto.

Tertiam, cum Dominus duce Iuda, noctu est cõprehensus, & ligatus a ministris Iudæorum: hanc enim Domini comprehensionem tradunt homines deuoti fuisse crudelissimam, vulsam barbam, tractos capillos, proiectum Dominum in terram, postremo durissimis, & arctissimis manicis fuisse ligatum, atque istis diuersis modis sanguinem Domini fuisse effusum.

Quartam effusionem sanguinis, dicunt accidisse Domino, ijs vinculis, quibus alligatus fuit columnæ ad flagellandum.

Quintam, ipsam flagellationem.

Sextam, coronationem spineam.

Septimam, in gestatione crucis.

Octauam, quæ accidit Domino in monte Caluariæ quando detractæ sunt illi vestes, vt ijs exutis nudum corpus figeretur ligno, ista enim detractione vestium renouata sunt vulnera, quibus vestis inhæserat.

Nonam sanguinem ex vulnere manus dextræ.

Decimam, ex vulnere manus sinistræ.

Vndecimam, ex vulnere pedis dexteri.

Duodecimam, ex vulnere pedis sinistri.

Tertiamdecimam, cum potatus est felle, & aceto.

Quartamdecimam, quam fecit dilatatio quatuor vulnerum in corpore sic extenso, & sic pendente, & huic sanguinis effusioni coniungunt septem verba, quæ locutus est Dominus sic pendens in cruce.

Quintamdecimam, in apertione lateris.

Sic itaque numerant plerique, & hoc magna ratione. Initio licet quatuor vulnera manuum & pedum, possint reduci ad vnam effusionem crucifixionis, tamen in re tanta, nonnullis pijs mentibus iucundum est singula sic seorsim numerare, reliquæ quæ non habent expressa verba Euangelii, quibus probentur, habent tamen vel magnam verisimilitudinem, vt vincula comprehensionis, & ligaturæ ad columnam: vel necessariam rei consecutionem, vt detractio vestium, gestatio ligni crucis, dilatatio vulnerum: fieri enim sine miraculo non potest, vt non etiam istis modis fusis fuerit sanguis Domini. Neque etiam reprehendi debet eorum pietas, qui istas veluti minutias consectantur in Domini passione: nulla enim ibi sunt minutiæ, quicquid ibi legitur, quicquid Deo suggerente inuenitur, licet in speciem sit minutum;

maxi-

maximum nihilominus habet myſteriũ. Legimus in Euangelio Dominum crucifixum in monte Caluariæ, qui erat extra vrbem, quis hac in re facile cogitauerit myſterium? ordinarie enim de reis ſumitur ſupplicium extra vrbem, & hoc ipſum fuit Domino commune cum ſociis latronibus: ſic tamen hac de re ſcribit Paulus ad Hebræos: Habemus inquit altare Cap. vlt.
de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt, quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in ſancta per Pontificem; harum corpora cremantur extra caſtra, propter quod & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium eius portantes, non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Deinde in iſtis deuotis & ſanctis hominũ mentibus, perpetuo occupatis in meditatione paſſionis, certe pie & religioſe arbitramur immittere Dominum in iſtas mentes ſuauitatem ſpiritus ſui, atque ea ratione fieri, vt inflammati illo igne, multa videant quæ latent ceteris. Ludolphus Carthuſianus numerat ſex effuſiones. Prima, inquit, fuit in circũciſione, & hoc fuit noſtræ redemptionis initium. Secunda in oratione in horto: & hoc fuit noſtræ redemptionis deſiderium. Tertia in flagellatione, & quarta in coronatione: & hoc fuit noſtræ redemptionis meritum: quia liuore eius ſanati ſumus. Quinta in crucifixione: & hoc fuit noſtræ redemptionis precium: tunc enim quæ non rapuit exſoluebat. Sexta in lateris apertione: & hoc fuit noſtræ redemptionis ſacramentum, per quod figurauit, nos per aquã baptiſmi debere mundari, qui quidem baptiſmus erat habituri ex efficaciam à ſanguine Chriſti. Per primã docemur nos ſpiritualiter circumcidere, & peccata

abijcere. Per ſecundam mentis anguſtiam pro ſalute noſtra ſuſtinere. Per tertiam, carnem noſtram domare. Per quartam, animam noſtram virtutibus ornare. Per quintam membra noſtra mandatis Dei ligare. Per ſextam, vulneratum cor in charitate Dei habere

Sunt qui numerant ſeptem qui his ſextis adiiciũt eam, quæ accidit Domino, in detractione veſtium, ad crucifixionem: & hoc ni fallor ſequuntur Patres ſocietatis.

Sunt alij & hoc vt arbitror Dominicani, qui faciunt decem effuſiones: ea ratione vt Ludolphi numerationi, adiiciant detractionem veſtium: & vt illius vnam effuſionem crucifixionis, diuidant in quatuor pro ratione quatuo· vulnerum. Atque hæc ſic diuerſe, nos qui neceſſario breues ſumus qui quatuor vulnera Domini iam explicauimus, & quibus ea occaſione licet eos ſequi, qui vnam faciunt effuſionem crucifixionis: qui poſtremo putamus eſſe piũ vt ſeptem peccata mortalia ſingula, hic inuentant ſuum medicamentum, quod alibi inuenimus hoc ſequemur.

Ad primam effuſionem ſanguinis.

PRima effuſio magis videtur pertinere ad natiuitatem, quam ad mortem Domini: nec videtur ea contineri aliquid ſingulare: iſto enim modo, per abſciſſionem præputij fundebant ſanguinem omnes filij Iſraëlitarum. Verum cum omnes Dominici ſanguinis effuſiones ſimul eſſent proponendæ, non debuit vtiq; iſta omitti, quæ multa habet ſacramenta communia myſteriis paſſionis, deinde licet eadem fuerit actio circunciſionis in Chriſto infante, & cæteris liberis Iudæorum, ſicut eadem eſt percuſſio baculi,

culi, in capui Regis & serui, diuersissima tamen vtriusq; circumcisionis est ratio. Adoremus itaque magnum pietatis Sacramentum: minoratus paulo minus ab Angelis, per assumptionem humanæ carnis, iam nec ipsum respuens remedium humanæ correptionis, plane multo minoratus ab eis, quem nemo potest arguere de peccato; ipse peccati remedium, & verecundum pariter & austerum sine vlla necessitate suscepit, nec repulit culirum lapideum, in quo solo, vetus illa, quæ raderetur rubigo non fuit. Iam minoratus est multo minus Angelis, qui non solum formam hominis sed formam habet peccatoris: & infigitur velut quodam cauterio latronis. Sed quid mirum si caput pro membris accipit curationem, quam tamen in seipso non habuit necessariam: nonne & in membris nostris sæpe pro vnius infirmitate alteri adhibetur curatio? dolet caput, in brachio fit coctura: dolent renes, & sit in tibia: ita hic pro totius corporis putredine cauterium quoddam infixum est in capite. Denique quid mirum si pro nobis dignatus est circumcidi pro quibus dignatus est mori: totus siquidem mihi datus & totus expensus est cuius rei mysterium hac sanguinis sui effusione Dominus inchoauit. Per Natiuitatem suam, venit Dominus in carcerem liberare captiuos, hic catenas & vincula nostra suscepit, hic enim, qui peccatum non fecit, vt reos absolueret, innoxias manus, eorum catenis inseruit. Fundit Dominus sanguinem, & accipit nomen Iesus. Circumcidamur itaque & nos spiritualiter. Tu nosti Domine opus manuum tuarum, quia bona sunt omnia quæ feciſti: sed & mala nostra quæ non feciſti, tu nosti ea omnia: si enim ignorares ea, nec docere nos ea te, nec tu curare posses illa in nobis. Inobedientia illius partis quæ iussa est circumcidi,

Bernard. serm. de circumc. Domini.

per quam propagatur inobedientia primi parentis, in qua dominatur Leuiathan, quid de illa dicam tibi? quid Domine? niſi confuſionem conſcientiæ meæ, per ſanguinem tuum iſtum benedictum circumſcinde me Domine: vniuerſam enim carnem occupat malum iſtud, à planta pedis vſque ad verticem, non eſt in nobis ſanitas; nec eſt aliqua pars, quæ non tabida ſit hoc veneno: tolle illud Domine merito paſſionis tuæ, cultro duriſſimæ petræ.

Oratio de prima effuſione contra Luxuriam, & pro obtinenda beatitudine, Beati mundo corde.

IEſu benigniſſime Deus meus, tibi confiteor, teque laudo: qui propter nos, omnem miſeriam noſtræ naturæ abſque peccato ſuſcipiens, homo factus: mox vbi mundum ingreſſus es, diuinæ legi voluiſti te ſubijcere, circumcidique, & ſanguinem pro nobis fundere: Pro hac charitate & bonitate tua, & pro hac quoque ſanguinis effuſione, te adoro, te benedico, tibique gratias ago, & per eandem ſanguinis tui effuſionem te obſecro: vt omnem luxuriæ ſpeciem de corde meo, & de carne mea, penitus aufferas; eius concupiſcentiam in me carnalem radicitus mortifices, & extinguas, vt in puritate, & in caſtiſſima ſimplicitate mentis, vt in vera munditia cordis, vt denique in pudiciſſima corporis caſtitate, tibi perpetuo inauertibiliterque adhæream.

Meditatio ſecunda de ſudore ſanguineo, in horto montis Oliueti. Contra ſuperbiam, & pro obtinenda humilitate.

ISta ſecunda effuſio ſanguinis, eſt cæteris omnibus mirabilior, ſanguis qui fluxit de latere fuit admirabilis: accepit enim Dominus hoc vulnus poſt mortem, & exiuit ex eo vulnere ſanguis, & aqua: quod nulli mortalium ſic vnquam euenit, narratur nihilominus ex occiſorum vulneribus, cruorem procedere conſueuiſſe, ſi homicida præſens exiſtat. Verum vt ſanguinem per poros corporis, aliquis aliquando ſudarit, hoc certe nec legimus nec audimus, qua ratione conſtat, vt cæteris ſanguinis effuſionibus, dolores corporis, ſic iſta immenſum animæ dolorem grauiſſimo teſtimonio comprobari, qui dolor tantus fuit in Domino, qualis cadere in hominem alium nullus poteſt: ante enim extingui hominem eſſet neceſſe, quam vel ferre eius doloris initia ſola poſſet. Sudauit itaque Dominus, & ſudauit ſanguinem, & illum ita abundanter, vt guttatim decurreret in terram. In ſudore feruor, in ſanguine pretium, in decurſu abundantia, in guttis particularis efficacia, quamuis eſſet vniuerſalis ſufficientia. Et in hac quidem effuſione præcipuum eſt dolor animi, quæ res in paſſione Domini princeps ſemper eſt habita. Sic de toto corpore ſuo, quod eſt eccleſia, ſignificatur fundendus ſanguis, per membrorum martyria, ſic ſanguine terra eſt irrigata, vt declaretur terrenos homines, ſanguine ſuo redimendos & mundandos. Sic non ſolum oculis, ſed omnibus ſuis membris flexit Dominus, vt totum corpus eius, quod eſt eccleſia

totius corporis lachrymis purgaretur, & quia ista sanguis profluxit de latere Domini, in quo commendatur humilitas orantis, procidentis in genua, in faciem: ideo per hanc effusionem, petitur beatitudo, qua dicitur: Beati qui lugent, & contra superbiam petitur humilitas. De ista effusione sic eleganter scribit Hildebertus in carmine de Missa:

Nam ter humi strato, cõtritio cordis, & ille
Sanguineus sudor, crux fuit ante crucem.

ORATIO.

IEsu benignissime Deus meus, adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago, pro angustia, pressuraque cordis tui, quam in monte Oliueti inter orandum pertulisti; præmeditans acerbissimas, horrendasque passionis, ac mortis tuæ pœnas, & cruciatus, tunc tibi imminentes: quos iuxta naturam sensualitatemque exhorruisti, rursusque secundum rationem, tanto easdem nos redimendi desiderio concupisti, vt contrarijs his desiderijs simul compugnantibus, teque in agone interea constituto, sudor ex te decurreret sanguineus. In hac quæso Christe Iesu angustia tua, per hanc quoque effusionem sanguinei sudoris tui, ex te abunde promanantem, obsecro te: vt omnem superbiam, omnesque superbiæ species in me conteras, extermines, ac deleas. Infunde mihi quæso profundissimam, perfectissimamque humilitatem: qua peccata mea, ingratitudinemque meam, perfecte cognoscã, odiam, indesinenter lugeã,

me

meipsum quoque contemnam, atque ab omnibus contemni diligam. Ah misericordissime Iesu, vtinam in hac effusione sanguinis tui, merear ab omnibus peccatis, vitijs, & negligentijs meis, nunc expiari; quo ex tua misericordia gratia tua dignus efficiar.

Meditatio tertia effusionis sanguinis Domini, in flagellatione contra Iram, pro mansuetudine, & beatitudine, quæ tribuitur mitibus.

PIlatus ligatum Dominum ad columnam, iussit a militibus suis flagellari, de columna est traditio ecclesiastica vniuersalis, ligatio flagellationi necessario coniungitur, de ipsa flagellatione sunt verba expressa Euangelij. Verberatus igitur fuit Dominus non virgis, sed flagris, seu flagellis: & flagellatus fuit crudelissime, de flagellis ita verba sunt expressa, vt eam vocem latinam retinuerit Matthæus in sermone Græco. Magna autem est differentia inter virgas & flagra, & infamia & pœna acerbitate, quæ res explicatur alia meditatione Dominicæ passionis: hic enim præcipue proponitur laceratio nudi corporis, quæ necessario in Domino fuit crudelissima. In supplicio crucis erat hoc ordinarium, vt damnatus ante flagellaretur, quod sic docet Lipsius: Flagellatio solemnis antecessor, & raro in crucem dati, nisi sic purpurati. Apud Liuium de seruis coniuratis: Multi occisi, multi capti, alij verberati, crucibus affixi Verbera-tos ecce prædixit Alexander apud Curtium moris huius

De cruce l. 2. c. 2.

Lib. 2.

huius retinens eos, qui petram obstinatẽ defenderãt, omnes verberibus affectos, sub ipsis radicibus petræ, crucibus iussit affigi. Iudæi apud Iosephum flagellati, & præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur. Philo item narrans Iudæos Alexandriæ in crucem actos à Flacco, hoc addit: postquam flagellati fuissent in theatro: solemnis ergo mos, imo lex, & horrendum carmen diserte canebat. Verbera intra aut extra pomœrium, & tum denique succinebat: Arbori infœlici suspendito. Hæc Lipsius flagellabãtur igitur morituri cruce: qua ratione constat durissime fuisse flagellatos, vel vt citius morerentur, vel quod de vita istorum non esset laborandum: quin ipsæ operæ in hoc ministerio ita crudeles esse consueuerant, vt dicat Vlp. ministrorum immanitate multos sub eiusmodi flagellis interijsse. Cum itaque à Iudæis postularetur Dominus ad crucem, Pilatus ita fuit animatus, vt neque hoc illis concederet, quod calumnia, & iniuria eos petere iudicabat: ita tamen animo vacillabat, vt in gratiam istius abiecti hominis, non putaret amittendam vtiliorem sibi eorum gratiam, qui totius gentis principes existebant: qua ratione sic tradidit Dominum flagellandum, vt si crucifigi eum contingeret, hoc iã in eo esset factum, quod fieri in eo supplicio consueuisset: vel vt saltem huius pœnæ acerbitate satisfaceret odio Iudæorum Fuit igitur immanis & horribilis ista nudi corporis, per flagella (& ista forsitan nodis aut ossiculis exasperata) crudelis laceratio. Qua ratione, licet ea qua dicit Propheta. Non est ſpecies ei neque decor, vidimus eum deſpectũ & nouiſſimum virorum. Nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum. Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, &

Lib 5. contra Flaccum.

l. 8 ff. de pœnis.

liuore eius ſanati ſumus. *Licet ea proprie pertineant ad totam Domini paſſionem, & totam formã corporis eius; recte tamen ſingularem in hac re locum tenet hæc Domini flagellatio: qua ita crudeliter fuit tractatus Dominus, vt Pilatus magna emphaſi producens eum in publicum, hoc ſolum diceret: Ecce homo. Et quia ſic flagellauit Dominum Pilatus, vt ea ratione mitigaret in illis iram & cupiditatem vindictæ, neceſſario ad conſpectum flagellati Domini, debemus auferre à nobis omnem iram conceptam contra membra Chriſti, quod ſunt omnes Chriſtiani; & quod fieri poſſunt omnes homines: alioqui ſimiles ſumus futuri Iudæis. Et hoc eo magis facere nos oportet, quia ad iſtam flagellationem nullum legitur Domini, vel leue verbum, ſic igitur oremus.*

ORATIO.

IEſu benigniſſime, Deus meus: pro dira flagellatione tenerrimi, nobiliſſimiq́ue corporis tui vndiq́ue vulnerati, & pro effuſione preciоſiſſimi ſanguinis tui, adoro te, & benedico te, gratias tibi ago: compeſce & extingue in me omnes iracundiæ, impatientiq́ue motus. Nullum ſinas pie Ieſu in cor meum intrare, aut morari ibi ancorem, amaritudinem, ſeu diſpliçentiam. Infunde mihi quæſo perfectiſſimam mititatem ac manſuetudinem cordis: qua cuncta aduerſa æquanimiter ſuſcipiam, patientiſſime, ac cum gratiarum actione tolerem, ac me totum tibi reſignem, plene ac funditus me relinquam.

Quar-

Quarta effusio, coronatio Domini.

QVia Dominus accusabatur de affectatione regni, tanquam stulto & deliro imponunt ei coronam. Praterea quia non sufficiebant ipsorum crudelitati sola ludibria; forsitan in gratiam Iudæorum plectunt coronam de spinis, & eam non leuiter capiti imponunt, sed arundine, solido baculo capiti incutiunt, vnde riui sanguinis, toto vultu defluentes: vnde acutissimi dolores, quibus ad deuotionem excitari nos oportet: nulla enim parte corporis sic viuunt sensus, vt in capite. Sumamus itaque coronam spineam, festinemus coronari vita arcta, abstinentijs & puritate conscientiæ, & sic hic pœnitentiæ spinis compungamur, vt ab illo mereamur in cœlestibus coronari.

Oratio contra acediam, pro deuotione ferueti, & quarta beatitudine, quæ est Iustitiæ esuries.

IESV benignissime, Deus meus, pro acerbissima coronatione spinarum, caput tuum compungentium, pro largissimaque effusione riuulorum sanguinis tui, per genas, oculos, & collum tuum defluentium, adoro, laudo, & benedico te, gratiasque tibi ago, suppliciter te rogans: vt omnem acediam, torporem, pigritiam, negligentiam, à me radicitus tollas: deuotionem vero feruentissimam, alacritatemque spiritus, in tuo maximo seruitio mihi infundas: vt iustitiam, virtutem, animarũ salutẽ, tui quoq;

amo-

amorem, honorem, ac gloriam tuam, cor meũ vehementer efurìat, ardentiſſimeque ſitiat: adeo vt quæ extra te ſunt, cuncta faſtidiam. Tu vero ſolus totus perfectiſſimè ac perpetuè mihi placeas in omnibus, & ſuper omnia.

Quinta effuſio, quæ ponitur in poſtrema nudatione corporis Domini.

DOminus tempore paſſionis ſæpius fuit exutus ſuis veſtibus, cum flagellaretur, cum indueretur ab Herode veſte ſplendida, & à Pilato purpurea: ſed ita tum ſunt Domino ablatæ veſtes, vt eas denuo reciperet; cum vero perductus eſt Dominus in montem Caluariæ, vt ibi crucifigeretur: tum ità ſunt ei ablatæ veſtes, vt earum aliquas inter ſe milites partirentur, veſtem ſupremam ſortirentur, & in iſta exutione, facta eſt illa quæ a nobis quinto loco commendatur noua Dominici ſanguinis effuſio, neceſſario enim acciderat, vt cruor flagellationis, veſti adhæreret: vt inde rurſum eius detractione, crudeliſſimè renouatis vulneribus, toto corpore ſanguis proflueret: quem illius benedictum ſanguinem, propter hanc voluntariam omnium externorum dimiſſionem, ad liberationem ab auaritia, pro amore paupertatis, pro mundi contemptu, pro obtinenda beatitudine paupertatis ſpiritus, humillimè Domino offerimus, vt per eius gratiam, nudam crucẽ & nudũ crucifixũ, ſequamur, refert Lipſius aliquot teſtimonia nudationis cõſuetæ in crucifixione, Artemidorus: Crucifigi bonũ pauperi, quia qui crucifigitur, ſublimis eſt: noxium vero dimitti quia nudi crucifigũtur. Acta vetera de Pionio Martyre: vltro ſe veſtimentis ſpolia- l 2. cap. 18.

ſpolianit, & in cœlum ſuſpiciens ac Deo gratias agens ſuper lignum ſe ipſum extendit, militiq; tradidit, vt crucifigeretur.

Oratio ad quintam effuſionem, factam in exutione veſtium, ante crucem: vbi illi veſtis lanea, quæ compacta vulneribus hæſerat, extracta eſt; tam vulnera, quam dolores renouans, cui cõtra quintum mortale peccatum auaritiam ſcilicet, applicatur paupertatis amor, mundiq; contemptus, & quinta beatitudo, paupertas ſpiritus.

IEſu benigniſsime, Deus meus, pro veſtium tuarum extractione, pro corporis tui denudatione in oculis hoſtium tuorum, pro tui deriſione, pro vulnerum dolorumque renouatione, pro ſanguinis nobiliſſimi effuſione & conculcatione, adoro, laudo, & benedico te, ac gratias tibi ago: te obſecrans per miſericordiam tuam, vt mundi amore, & omni amore creaturarum, priuatoque aut abs te alieno me exuas, protinſque liberum facias: quo paupertatem, contemptum & ſimplicitatem ex animo diligam, deſideratiſſimè feram, & cœleſtia bona: te vero ſuper omnia æſtuantiſſimis deſiderijs concupiſcam.

Sexta effuſio, quæ facta eſt in ipſa fixione Dominici corporis, ad lignum crucis.

OMnium effuſionum ſanguinis, præcipua eſt hæc ſexta: cum clauis perforata manus, & pedes ligno ſunt affixi, nam vt diximus, cæteris effuſionibus

sionibus fluxit is sanguis, qui erat in exteriore parte corporis: hic vero totus effusus est sanguis vitalis: per cuius effusionem mortuus est Dominus. Expergiscere nunc anima mea & excutere de puluere, & contemplare attentius virum hunc memorabilem. Vide nudum & laceratum vulneribus, in medio latronum cruci ignominiosè ferreis clauis affixum, riuos sanguinum de foraminibus profluentes. Fletum deducite oculi mei, & liquesce anima mea igne compassionis, super contritione amabilis viri illius, quem in tanta mansuetudine tantis vides afflictum doloribus. Respice Domine sancte pater de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo; & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pōtifex noster, sanctus puer tuus Dominus Iesus Christus, pro peccatis fratrum suorum; & esto placabilis super multitudine malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Iesu clamat ad te de cruce. Cognosce pater, tunica filij tui veri Ioseph hæc est, fera pessima deuorauit eum, & conculcauit in furore suo vestimentum eius; & omnem decorem illius reliquijs cruoris inquinauit: & ecce quinque scissuras lamentabiles in eo dereliquit. Respice Domine in faciem Christi tui, qui tibi vsque ad mortem obediens factus est, nec recedant ab oculis tuis cicatrices vulnerum eius, in perpetuum, & memineris, quantam satisfactionem pro peccatis ab eo susceperis. Vtinam nobis Domine appendas in statera peccata nostra, quibus iram meruimus, & calamitatem, quam passus est pro nobis innocens filius tuus, certe Domine hæc grauior apparebit, & magis digna, vt

Ex speculo Anselm.

na, vt per ipſam effundas miſericordiam ſuper nos quam ſint illa; vt pro peccatis noſtris contineas in ira miſericordias tuas. Gratias tibi Domine pater referat omnis lingua, de ſuperabundantia pietatis tuæ: qui vnico filio cordis tui non pepercisti, ſed pro nobis illum tradidisti in mortem: vt tantum, tamque fidelem aduocatum haberemus in cœlis coram te.

Oratio ad ſextam effuſionem, quæ in perforatione manuum ac pedum, membrorumq; Chriſti, & crucipendentia exundans, crucem terramq; rigauit. Huic contra ſextum peccatum mortale, puta contra Gulam, applicatur Temperantia, & ſexta beatitudo, Pax ſeu pacificatio: tunc enim ſuam charitatem ad nos, ad latronem, ad tortores, ad matrem, ad omnes exhibuit, & in cruce inter cœlum terramq; ſuſpenſus, ſeſe pacis arbitrum ac mediatorem inter Deum & hominem, conſtituit.

Effuſio cordis ſexta.

IESV benigniſsime, Deus meus, pro membrorum tuorum omnium in cruce, pro perfoſſione crucifixione que manuum tuarum ac pedum, pro largiſsima effuſione tui ſanguinis decurrentis è vulneribus tuis, per diutinam crucipendentiam ampliatis, quo crucem rigabas & terram, adoro, laudo, benedico te, & gratias tibi ago, obſecroque; vt me ab omni intemperantia & indiſcretione, ſobrium & continentem facias pijſſime Deus: & cor pacificũ, mitiſſimum, ac benigniſſimum mihi præbeas, quod pacem diligat, paci ſtudeat, foueat concordiam,

cordiam, ſchiſmata & ſcandala tollat, & ad vnionem amoris illam fideliſſimam, qua tecum vnum efficimur, qua vnus amor, vnaque nobis tecum eſt voluntas, indeſinenter aſpiret.

Septima effuſio ſanguinis Chriſti, eſt ex apertione lateris eius mortui; vnde exiuit ſanguis & aqua. Creditur autem Domini Ieſu cor piiſſimum tũc vulneratum lancea militis, quo ad ſe nobis intrandi Chriſtus faceret aperiretq; amoris oſtiũ, vulnus miſericordiæ, gurgitem charitatis. Huic effuſioni ſanguinis, contra ſeptimum peccatum mortale, inuidiam ſcilicet, applicatur charitas, atque ſeptima beatitudo miſericordiæ.

Effuſio cordis ſeptima.

IEſu benigniſſime Deus meus, pro apertione lateris ac cordis tui mucrone lanceæ vulnerati, pro effuſione ſanguinis & aquæ inde emanantis, adoro laudo & benedico te gratias tibi ago: quandoquidem cor tuum, tam mihi quam alijs peccatoribus ad te redeuntibus reſeraſti. Per huius miſericordiſſimi cordis tui pietatem te obſecro, vt de corde meo auferas omnem liuorem, amarulentiam, atque inuidẽtiam. Pijſsime Deus, aufer à me cor durum & prauum, cor ſuperbum ac liuidum, & da mihi, aut cor tuum, aut cor ſecundum cor tuum, piiſſimum, fideliſſimum, mitiſſimum, miſericordiſſimum, humillimum, obedientiſſimum, omnifaria mortificatione ac reſignatione perfectum, fide ſpe & charitate perpetua plenum:

quod in te indesinenter teneas absorptum, & ad omnes homines, præsertim ad inimicos, dilectione & miseratione reddas effusum.

Potest his septem effusionibus sanguinis Christi, addi veneratio sanctissimæ mortis Jesu Christi, hoc est separationis animæ a corpore, quæ fuit omnium acerbissima. Solus enim ipse, qui pro omnibus gustauit mortem, cognoscere potuit mortis amaritudinem. Cognitio enim, apprehensio, & sensus, in Christo moriente, in vltimum vsque momentum permanens, æque ac viuente (aliter enim contingit nobis) viguit. Huic contra priuatum amorem, Dei Zelus potest applicari, & beatitudo octaua, quæ est patientia propter Christum.

Effusio cordis alia.

IEsu misericordissime, vita, & spes mea Deus: ecce nunc tibi offero omnem laborem, & fatigationem tuam omnem penuriam, contemptum aduersitates, & incommoda tua omnes pœnas, dolores, vulnera, liuores tuos, omnes pressuras, tristitias, & angustias tuas: Ad extremum crucem tuam, & mortem acerbissimam, hoc est dolorosissimam benedictæ animæ, & corporis tui separationem. Pro quibus omnibus te laudans, & gratias tibi agens, te Deum meum adoro Offero autem hęc omnia, quæ pro me sustinuisti, & ipsam immensam charitatem tuam, quæ ad patiendum te, pro nobis induxit, tibi nunc Christe Iesu pro peccatis meis, & pro peccatis totius mundi, tam viuorum quam mortuorum. Obsecro autem

te per

te per omnia, quæ innocens pro me passus es: da mihi infatigabilem iugemque patientiam, qua omnia quæ tu super me venire permittis, tui amore patientissime tolerem, & in laudem gloriam, & beneplacitum tuum, me totũ quod sum ac possum, omnes scilicet vires & motus corporis mei, expendam. *Amen.*

EXPLICATIO OFFICII.

ISta feria secunda, & feria sequens in Euangelio proponunt nobis ea, quæ acciderunt Domino, in festo Scenopegiæ: quod latinè dicimus festum Tabernaculorum; quod inchoabatur decimaquinta die mensis septimi: & durabat diebus septem; claudebaturq; die octauo, qui erat Sabbathum: & dicebatur dies cœtus, & collectæ, erat quoque dies primus celeberrimus & sanctissimus, & vacabat ab omni opere seruili: sed octauus erat illo maior, referebat enim ecclesiam & requiem futuri, quæ succedit huic peregrinationi in tabernaculo, mense septimo festa celebrabitis, & habitabitis in umbraculis septem diebus. Omnis qui de genere est Israël, manebit in tabernaculis, vt discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cum educerem eos de terra Ægypti, venerat Dominus ad istud festum occulte, nec ante, se hominum conspectibus exhibuerat, quam media pars festorum iam esset expleta, quo tempore ascendit in templum & docet, conturbat res ea Principes Iudæorum & Pharisæos; mittunt ministros vt apprehenderent Iesum, alloquitur istos Dominus, qui sciebat mandatum illorum. Adhuc modicum tempus vobiscum sum

& vado ad eum qui me misit. *Quibus verbis docet Dominus, magnum & vnum ex præcipuis mysteriis passionis suæ. Oblatus est quia ipse voluit, exponit præterea missionem Spiritus sancti, & vocationem gentium, qui sunt fructus passionis, & quidem de vocatione gentium, hoc etiam in verbis Domini intellexerunt ipsi Iudæi. Nunquid inquiunt in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Postremo exponit nobis Euangelium: quòd in nouissimo die magno, festiuitatis die octauo, stetit Dominus in templo, & clamauit: Si quis sitit, veniat ad me; & bibat. Huic Euangelio recte illa præmittitur lectio de Iona, qui prædicaturus Niniuæ ciuitati magnæ fugit in Tharsis, & fluctibus maris se tradidit, desertionem vtiq; gentis suæ veritus, futuram, vt ait Hieronymus, cum gentilibus Deus innotesceret. Ionas enim, quod interpretatur columba qui missus prædicare Niniuæ ciuitati gratiam Dei, Christum significat Dominum, ad salutem totius mundi, a Deo patre missum. Nam sicut Ionas magnam Niniuem nolens adire, potius maris fluctibus se tradidit: sic Dominus noster corporali præsentia gentes adire nolens, intra seditiones Iudæorum persequentium remansit. Efferbuit mare, & timuerunt nautæ. Audiens enim Pilatus accusationem, dicentium:* quia filium Dei sic fecit, *magis timuit: tandemq; persistente graui fluctuatione clamantium: Crucifige, crucifige, lotis manibus in modum nautarum, qui dixerunt: Quæsumus Domine ne des super nos sanguinem innocentem, dicensq;:* Innocens ego sum à sanguine iusti huius, *tradidit illis Iesum vt crucifigeretur, quasi mari immittens. Et absorbuit eum cetus, id est mors:*

Matt. 27

sed

ſed adurente, ventrem eius diuinitatis igne, tertia die viuum rurſus euomuit. Et tunc demum ad prædicationem eius territa Niniue magna, ſcilicet mundus, trina merſione baptiſmi, quaſi triduana pœnitentia ſaluatur: & hedera quæ obumbrabat capiti Ionæ, videlicet Iudea, quondam habitaculum Chriſti arnit. Introitus ſumitur ex Pſalmo 55. & ad eos pertinet, qui ſe conformant Dominicæ paſſioni, loquitur enim de iis, qui conculcantur, omnis enim qui incipit in Chriſto piè viuere, ingreditur torcular, ſed in torculari fructuoſa preſſura eſt. Vua in vitæ preſſuram non ſentit, integra videtur, ſed inde nihil manat, mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ; ſed iſta iniuria ſterilis non eſt, imo ſi nulla iniuria accederet, ſterilis remaneret, & vt hunc fructum conculcationis obtineamus, & in ea non deficiamus, clamamus miſerere mei Deus, ſciens quem inuocet, & quo exemplo fortis effectus ſit, *primus botrus in torculari preſſus eſt Chriſtus, cum ille botrus paſſione expreſſus eſt, manauit illud vnde calix inebrians, quam præclarus eſt. Graduale habet ſimilem acclamationem miſericordiæ. Offertorium continet votum eius, qui ſic premitur in torculari. Communio habet plenam fiduciam. Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Collecta optime conuenit lectioni, in qua ieiunio coniungitur indulgentia culparum, & ad eum effectum poſtulat ſanctificationem ieiunij.*

MISSA FERIÆ II. POST DOMINIC. DE PASSIONE.

INTROITVS.

Psal. 55. MIserere mihi Domine quoniam conculcauit me homo: tota die bellans tribulauit me.

Psal. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me. Miserere mihi.

OREMVS.

SAnctifica quæsumus Domine, nostra ieiunia: & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per.

OMnipotens Deus, misericordiam tuam nobis placatus impende: vt qui te cõtemnendo, culpam incurrimus; confitendo veniã consequamur.

Lectio Ionæ Prophetæ.

Cap. 3. IN diebus illis: Factum est verbum Domini ad Ionam Prophetam secundo, dicens: Surge & vade in Niniuen ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abijt in Niniuen iuxta verbum Domini. Et Niniue erat ciuitas magna, itinere dierum trium. Et cępit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitę in Do-

in Dominum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum vsque ad Regem Niniue: Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimẽtum suum à se: & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamauit, & dixit in Niniue ex ore Regis & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur & aquam non bibant: & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine. Et conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala, & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

Graduale. Deus exaudi orationem meã, auribus percipe verba oris mei. *Vers.* Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua libera me. *Psal.* 53.

Tractus. Domine non secundum peccata nostra quæ fecimus nos: neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Vers.* Domine ne memineris iniquitatum nostrarũ antiquarum, quia pauperes facti sumus nimis. *Vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Psal.* 102. *Psal.* 78.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN illo tempore: miserunt principes, & Pharisæi ministros, vt apprehenderent Iesum, *Cap.* 7.

dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum temporis vobiscum sum, & vado ad eum qui misit me. Quæritis me & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos. Quo hic iturus est, quia non inueniemus eum? Nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit? Quæretis me & non inuenietis; & vbi ego sum, vos non potestis venire. In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

Psal. 6. *Offertorium*. Domine conuertere & eripe animam meam saluum me fac propter misericordiam tuam. *Vers.* Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Vers.* II. Miserere mihi Domine quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Secreta.

COncede nobis Deus noster, vt hæc hostia salutaris, & nostrorum fiat purgatio delictorum; & tuæ propitiatio maiestatis. Per Dominum.

Prafatio.

AEterne Deus te suppliciter exorantes, vt sic nostra sanctificentur ieiunia, quo cũctorum

ctorum nobis peccatorum proueniat indulgẽtia, quatenus appropinquante vnigeniti filij tui passione, bonorum operum tibi placeamus exhibitione. Per Dominum.

Communio. Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

Post-Communio.

SAcramenti tui quæsumus Domine participatio salutaris, & purificationem nobis tribuat, & medelam. Per Dominum.

Super populum.

DA quæsumus Domine populo tuo salutem mentis & corporis: vt bonis operibus inhærendo, tua, semper mereamur protectione defendi.

DEus qui homini ad imaginem tuam condito, ideo das temporalia vt largiaris æterna: Ecclesiam tuam spirituali fœcunditate multiplica, vt qui sunt generatione terreni, fiant regeneratione cœlestes. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

AMoueat à nobis Dominus totius maculas simultatis, & imbuat nos muneribus puræ dilectionis.

Subiuget in nobis reluctationem carnis & sanguinis, & opem conferat perpetuæ castitatis. *Amen.*

Atque nos in præsenti seculo diligere faciat, quod à cœlestis paradisi hæreditate non diuidit. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA

FERIA III. POST DOM. De Passione.

Meditatio Dominicæ Passionis, per partes corporis, & animæ Domini.

EXpositæ iam sunt à nobis duæ meditationes Dominicæ Passionis: Prior de quinque vulneribus, Altera de septem effusionibus. Tertiam hic proponimus, eam, quæ versatur circa partes Dominici corporis & animæ, quæ in passione maximos dolores, & incredibiles cruciatus, pro nobis singula sunt perpessa, quod genus meditationum maioribus nostris fuit in vsu, qui hac de re sic orabant.

SAlue tremendum cunctis potestatibus caput Domini Iesu Christi Saluatoris nostri: pro nobis spinis coronatum, & arundine percussum. Salue speciosissima Saluatoris nostri Iesu Christi facies: pro nobis sputis conspurcata, & alapis cæsa, Saluete benignissimi Domini Iesu Christi Saluatoris nostri oculi: pro nobis lachrymis perfusi. Salue mellifluum os; gutturque suauissimum Domini nostri Iesu Christi: pro nobis felle & aceto potatum. Saluete aures nobilissimæ Domini Iesu Christi saluatoris nostri: pro nobis contumelijs & opprobrijs affectæ. Salue collum humile Iesu Christi; pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissimũ, pro nobis flagellatũ. Saluete venerabiles Domini nostri Iesu Christi manus confixę; & brachia pro nobis in cruce extensa. Salue pectus mitissi-

mitissimum Domini Iesu Christi Saluatoris nostri: pro nobis in passione conturbatum, Salue latus glorioſum Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri: pro nobis lancea militis perforatum. Saluete Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri pedes adorandi: pro nobis clauis affixi. Salue totum corpus Iesu Christi: pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Salue sanguis precioſissime, de corpore Domini nostri Iesu Christi saluatoris nostri, pro nobis effuse. Salue sanctissima Domini nostri Iesu Christi anima, in cruce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem commendatione tibi commendo, hodie & quotidie animam meam, vitam meam, cor & corpus meum, omnes sensus & actus meos, omnes parentes, amicos & benefactores meos, omnesque electos tuos, vt nos protegere, liberare & defendere digneris ab omnibus insidijs inimicorum nostrorum, visibilium & inuisibilium, nunc & in perpetuum. *Amen.*

Et quidem in hac meditatione licet anima sit hominis pars nobilior, & in ea parte sit, potissima ratio passionis, tamen quia ex immensis doloribus corporis, & ex ipsa morte processit dolor animæ, tum etiã quod natura ita sit comparatum, vt dolores corporis primo occurrant in oculos, & in cogitationẽ. Idcirco primo agemus de corpore, post de anima Domini: dicebat de Domino Propheta: A vertice capitis vsque ad plantam pedis non est sanitas in eo. Vidimus & putauimus eũ sicut leprosum, & percussum à Domino, ipse est attritus vir dolorũ, non est ei species neque decor, vidimus eum *Isa cap. 53.*

& non

& non erat aſpectus, quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus vnde nec reputauimus eum. *Hæc tam multa, tam verbis grauia, cogitatione acerbiſſima videbat Propheta in Spiritu, & nos coram re ipſa intuemur.*

Et quid eſt in vertice capitis? Corona de ſpinis duriſſimis inuoluta, vt omni parte pungeret, & baculo in caput adacta, vt alte illi inhæreret ſanguis, ex vulneribus ſpinarum toto vultu largiſſime ſe profundens.

Quid præterea in vertice, tracti capilli in comprehenſione, in horto, in domo Caiphæ, in domo Pilati: Sic enim de eo dicit Propheta. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, *quomodo parcerent capillis, qui non pepercerunt genis: fuit enim Chriſtus Dominus poſitus direptioni.*

In fronte illud ipſum ſpinoſum diadema perterebrans, & frontem, & tempora attingens.

Oculi impleti opprobrijs obligati linteo, ad contumeliam, cum percuteretur, & rogarent eum: Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit? *oculi dolentes ad conſpectum tot peccantium, oculi miſericordia commoti ad conſpectum matris, ad conſpectum Petri ſe negantis.*

Aures plenæ falſiſſimis accuſationibus, turpiſſimis conuicijs, indigniſſimus deriſionibus.

Facies percuſſa alapa miniſtri Sacerdotis, cum diceret ei: Sic loqueris Pontifici? *Facies tota contuſa verberibus, cum per ſummum ludibrium, ſceleſtiſſimi milites inſultarent Domino, & percutientes benedictam faciem eius, dicerent ei:* Prophetiza, quis eſt qui te percuſſit?

Vultus quem deſiderant Angeli, quem conſpe-

runt

runt impij, de quo dicit Propheta: Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me, *faciem in quam procidit in terram orans in horto totum caput percuſſum arundine.*

Collum tot capitis doloribus concuſſum, geſtatione crucis afflictum, crucifixione totum conquaſſatum.

Humeri, tot totius corporis verberibus, pondere grauiſsimæ crucis, ipſa poſtremo crucifixione totis diſſoluti.

Brachia contorta, conuulſa, ligata fortiter in cõprehenſione, dixerat enim proditor: Ducite eũ caute, *brachia ligata ad columnã in flagellatione. Brachia a ſexta vſque ad nonam extenſa, violenta extenſione: quam ſine vllo vulnere ferre exiguo tempore, nec robuſtiſsimus queat. Brachia affixa cruci, totius corporis pondus ſuſtinentia.*

Manus contortæ & afflictæ manicis & vinculis, manus perforatæ clauis ferreis, manus per quas malleis adacti ſunt claui, manus quæ ſenſerunt, & clauorum tranſmiſsionem, & malleorum ictus, & carnis tam immitis, & duro glutino ad lignum fixionem, manus e quibus tantus fluxit ſanguis.

Corpus de quo dixit Propheta: Corpus meum dedi percutientibus, *corpus ſpoliatum veſtibus, ad flagellationem; corpus nudatum veſtibus ad crucifixionem; Corpus illuſum veſtibus, ab Herode; Corpus flagellatum crudeliſsima flagellatione; corpus tractum & ſtimulis exagitatum cum duceretur ad locum Caluariæ; Corpus extentum, corpus per omnes iuncturas diſtractum in cruce; Corpus vulneratum lancea in latere; Corpus per*

omnes poros à vertice capitis vsque ad plantam pedis, sudans grumos sanguinis decurrentis in terram.

Genua ter procidentia in terram ad orationem in horto Olyueti, genua infirmata in comprehensione, in flagellatione, in protractione ab horto ad Annam, ab Anna ad Caipham, a Caipha ad Pilatum, a Pilato ad Herodem, ab Herode denuo ad Pilatum, a Pilato ad montem Caluariæ: genua postremo infirmata in cruce.

Pedes & plantæ pedis, perforatæ clauis, & per clauos & malleos affixæ ligno crucis, pedes sustinentes corpus in ligno, pedes fundentes sanguinem Domini.

O vir dolorum, sciens infirmitatum, sicut leprosus, sicut percussus & humiliatus à Deo, sicut seruus tuus Iob, quis contineat oculos meos vt non ploreat super dilecto animę meę? cur non etiam iungar turbæ populi multi, & mulieribus, quę plangebant, & lamentabantur te? Sed forsan tu Domine reprehendes in me istum planctum, & lamentationem istã meam. Sed absit vt damnes quod est bonum in nobis; blande compellas plorantes, vocans eas filias Hierusalem, iubes eas flere, sed non illo solo humano sensu, quo plorabant illæ, sed iubes eas flere super se, & super filios suos, super nos flemus, quia scimus quod nos sumus causa dolorum tuorum, super filios nostros ploramus, super peccata nostra, quæ procreauimus nos, propter quæ dicent montibus, in diebus illis: Cadite super nos, & collibus: operite nos. Si in viridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet? Si peccata aliena sic vindicantur, si talis est iusti-

tia

tia Dei, in arido quid fiet? dirumpantur omnia interiora mea, omnia viscera cordis mei, proijciant à se oculi mei flumina lachrymarum: plorauit enim Dominus meus toto corpore suo, & cur non plorem ego miser? per mortem Patris fit hæres filius, & quis non ferat filium, plorantem duram mortem boni patris sui? quis ferat matrem exultantem in filiorum suspendio, vbi charitas, vbi dolor, cum sit contra illam quam habemus charitatem: & quo maior charitas, eò maior dolor, *dicebat Propheta & excitabat nos ad dolorem:* Videte vos omnes, qui transitis per viam, si est dolor vester, sicut dolor meus, & cur, ô homo Dei, vis nos videre, nos omnes qui transimus, nisi vt compatiamur? nemo enim inuitatur ad dolentem, nisi vel vt compatiatur, vel vt subueniat dolenti. Subuenire dolenti tibi non possumus, tu enim solus torcular calcasti, compatimur igitur tibi, sed eo modo, quo solemus compati ijs, quos summè diligimus, nostra tamen culpa in ea mala adducimus, quæ lugemus. *Compassio est donum Dei, est enim donum naturæ, hoc habent omnes creaturæ viuentes, præter solum dæmonem. Iustus inquit Esaias perit, & non est qui recogitet in corde suo, quinimo compassio aliquo modo pertinet ad Deum, vt eam ostenderet in se Deus, factus est Deus homo, & nihil est aliud compassio quam simul passio, cum erga dolentem & patientem sic afficimur, vt quodammodo transferamus in nobis alienum dolorem, vt sic illi aliquo vsque mitescat suus dolor, sic ad conspectum pauperis, donando illi pauperi, facimus nos pauperes, vt ille sit minus pauper, atque ea ratione compassio est bonum, & eius qui sic compatitur, quia*

sic

ſic ſeruit Deo; & natura, quæ dedit nobis charitatem, & eſt bonum alterius; nam ſine compaſſione perituri ſunt miſeri: cum igitur compatimur Domino, quoad nos bona eſt compaſſio, continet enim amorem Dei, & quoad Dominum bona eſt compaſſio, quia ſic ſubuenimus corpori & membris eius, quod ſumus nos: qui igitur flet ad coronam pungentem caput Domini primum dolet, quod ſuper benedictum caput Principis ſui, Domini ſui, Patris ſui, ſic contumelioſe, ſic doloroſe, ſic cum verberibus baculorum, ſic ad ignominiam Regni terreni, tali diademate fuit cruentatum, & ſi eo tempore coram fuiſſemus, ita ſumus animati, vt videamur fuiſſe nos erepturos illam coronam de manibus impiorum, vel noſtrum nos illi caput fuiſſe ſubmiſſuros, quod certe ſi feciſſemus, omnino tranſijſſet à nobis vana cogitatio, de ſuperbia, diadematum, coronarum, mitrarũ; ob quarum adeptionem turbant homines mare & terram Iſta itaque ratione rectè compatimur Domino, & ſic facientes laudamur à Domino, vocante nos filias, & docemur quod flere debeamus ſuper nos & ſuper filios noſtros. Ploramus charos noſtros, cum eos amittimus; ſed tamen non ſemper eos ploramus, ſuccedunt enim alia amicitia. Illa quoque mortua amicitia, fruſtra diu deſideratur, inutilis quoque mortuo eſt iſte perpetuus dolor, contra eſt in morte Chriſti, amicitia enim illius, nulla alia eius generis, ſuccedit: & poſt mortem validiſſima, vtiliſſima, ac in ſupremo gradu, omni & tempore & loco, ſumme neceſſaria nobis exiſtit, quin & Chriſto noſtra obliuione, magnam facimus iniuriam: minor enim fit ea ratione eius hæreditas, & ſicut mala vita diſcipuli, eſt ignominia præceptoris: ſic mala vita Chriſtianorum, eſt ignominia Domini: tanta, vt qui male

viuunt,

viuunt, eos dicat Apostolus crucifigere iterũ Dominum. Ploremus igitur die ac nocte, si non semper oculis, semper tamen corde, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera Dei sedet. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemur animis nostris deficientes. Nondum enim vsque ad sanguinem restitimus aduersus peccatum repugnãtes. Quod ille largiatur qui sic passus est in carne, vt nos eadem cogitatione armemur. Amen. 1. Petri 4

EXPLICATIO OFFICII.

HOdiernus dies tractat in Euangelio eandem historiam, quæ est feria precedente, ibi discimus, quid fecerit Dominus postquam se publice ostendit in templo, hic ea narrantur quæ ante id tẽpus acciderunt, cum a fratribus suis rogatus est, vt iret in Judeam. Deinde cum ita venit Hierosolymam, vt tamen istic lateret, postremo narrat Euangelium sententias hominum de Christo. Et huic Euangelio optime conuenit lectio Danielis Prophetæ: Judæi enim vere & spiritualiter Babylonij, qui nũc in Euangelio quærunt Jesum, tandem congregati petunt a præside Romano, id est à Rege Babylonis, (tũc enim Roma erat vere Babylon propter confusionem idololatriæ & peccatorũ, quibus voluebatur) ab isto itaque Rege Babylonis excitata seditione, petunt; vt sibi traderet illum, fecerunt q; sicut ipse, quæritur per Prophetam: Deduxerunt in latum mortis, vitam meam, & posuerunt lapidem super me. *Cum q;* Thren. 3.

Rupertus hic.

Cumq; victor leonum, scilicet malignorum spirituũ viuum se iterum præbuisset, exclamauit Rex Babylonis videlicet Romanum imperium, voce magna, dicens: Magnus est Deus Danielis, *Magnus quippe sonus exstitit cum primum Imp. Romanæ vrbis, magnæ vtiq; Babylonis fidem Christi suscepit. Reliquæ partes officij, pertinent ad vota, suspiria, angustias, precationes, spem Christi, & Danielis, versantium in lacu mortis inter leones. Quid enim conuenientius potuit dici a proiecto in obscurum carcerem, atque ista?* Dominus illuminatio mea, & salus mea, *& cætera quæ sunt in Introitu. Magnam quoque fiduciam testatur Graduale discerne causam meam, Emitte lucem tuam, magnum item solatium continet Offertorium, cum Christus & Daniel offerentes se Deo, & abdicantes se a se, vna cum omnibus bene ieiunantibus sic loquuntur Deo, sic se ipsi animant in Deum: sperent in te omnes, quoniam non derelinquis quærentes te, psallite Domino, quoniam non est oblitus orationes pauperum. Communio postremo id petit huic argumento valde accommodate, quod est communioni cum Deo proprijssimum, illa enim vere & solide redimit ex omnibus angustijs animas nostras.*

MISSA FERIÆ III. POST DOMINIC. DE PASSIONE.

INTROITVS.

Psal. 26. EXspecta Dominum viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Psal.

Pſal. Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Exſpecta Dominum.

OREMVS.

NOſtra tibi quæſumus Domine ſint accepta ieiunia, quæ nos & expiando gratia tua dignos efficiant: & ad remedia perducant æterna. Per Dominum.

DEus refugium pauperum, ſpes humilium, ſalusque miſerorum, ſupplicationes populi tui clementer exaudi: vt quos iuſtitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat conſolatos. Per Dominum.

Lectio Danielis Prophetæ.

IN diebus illis: Congregati ſunt Babylonij ad Regem, & dixerunt ei: Trade nobis Danielem, qui Bel deſtruxit, & Draconem interfecit: alioquin interficiemus te & domum tuam. Vidit ergo rex, quod irruerent in eum vehementer, & neceſſitate compulſus, tradidit eis Danielem. Qui miſerunt eum in lacum Leonum: & erat ibi ſex diebus. Porro in lacu erant Leones ſeptem, & dabantur eis quotidie duo corpora & duæ oues: & tunc non data ſunt eis, vt deuorarent Danielem. Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipſe coxerat pulmentum, & intriuerat panes in aluerlo, & ibat in campum vt ferret meſſoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium quod habes Danieli in Babylonem, qui eſt in lacu Leonum. Et dixit Habacuc: Domine Babylonem non vidi, & lacum neſcio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitq; eum in Baby- *Cap. 14.*

lonem ſuper lacum in impetu ſpiritus ſui. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel ſerue Dei, tolle prandium, quod miſit tibi Deus. Et ait Daniel: Recordatus es mei Domine Deus meus, & non dereliquiſti diligentes te. Surgenſque Daniel comedit. Porro Angelus Domini reſtituit Habacuc confeſtim in locũ ſuũ. Venit ergo Rex die ſeptimo, vt lugeret Danielem, & venit ad locum & introſpexit: Et ecce Daniel ſedens in medio leonum, & exclamauit rex voce magna, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu: Illos autem qui perditionis eius cauſa fuerant, intromiſit in lacum: & deuorati ſunt in momento coram eo. Tunc Rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuerſa terra Deum Danielis, quia ipſe eſt ſaluator, faciens ſigna & mirabilia in cœlo, & in terra, qui liberauit Danielẽ de laçu leonum.

Pſal. 42. *Graduale.* Diſcerne cauſam meam Domine: ab homine iniquo & doloſo eripe me. *V.* Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctũ tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

Cap. 7. IN illo tempore. Ambulabat Ieſus in Galilæam: Non enim volebat in Iudæam ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies feſtus Iudæorum Scenopegia, dixerunt autem ad eum fratres eius. Tranſi hinc & vade

in

in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quicquam facit, & quærit ipse in palam esse. Si hæc facis, manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dixit ergo ei Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus vestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos. Me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum istum: quia tempus meum nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum, non manifeste, sed quasi in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat de eo in turba. Quidam enim dicebant quia bonus est. Alij autem dicebant non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

Offertorium. Sperent in te omnes qui nouerunt nomen tuum Domine: quoniam non derelinquis quærentes te: psallite Domino qui habitat in Sion, quoniam non est oblitus orationes pauperum. *Vers.* I. Sedes super thronum, qui iudicas æquitatem, increpasti gentes, & perijt impius, iudicare populum cum iustitia, & factus es refugium pauperum. *Vers.* II. Cognoscetur Dominus iudicia faciens, quoniam patientia pauperum non peribit in finem, deprecium pauperum exaudiuit Deus. *Psal.* 9.

Secreta.

HOstias tibi Domine deferimus immolandas: quæ temporalem consolationem significent: vt promissa non desperemus æterna. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, & te deuotis mentibus supplicare, vt nos interius exteriusque restaures, & parsimonia salutari à peccatorũ sordibus purges; & quos illecebrosis delectationibus non vis impediri, spiritualium virtutum facias vigore muniri, & sic in rebus transitorijs foueas, vt perpetuis inhærere concedas. Per Dominum.

Communio. Redime me Deus Israël ex omnibus angustijs meis.

Post-Communio.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt quæ diuina sunt iugiter exequentes, donis mereamur cœlestibus propinquare. Per Dominum.

Super populum.

DA nobis quæsumus Domine perseueranter in tua voluntate famulatum: vt in diebus nostris, & merito & numero populus tibi seruiens, augeatur. Per Dominum.

AFflictionem familiæ tuæ quæsumus Domine intende placatus: vt indulta venia peccatorum, de tuis semper beneficijs gloriemur. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

SAnctificet nos Domini gratia, & ab omni malo custodiat. *Amen.*

Arceat

Arceat à nobis omne quod malum est, & spiritus nostros corporaque purificet. *Amen.*

Alliget nos sibi vinculo charitatis, & pax eius abundet in cordibus nostris. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA IIII. POST DOM. DE PASSIONE.

De quinto Scrutinio.

DIes Scrutiniorum per quadragesimam nõ fuerunt certi, quæ res probatur authoritate ordinis Romani, qui vbiq; sic loquitur. Iterum annunciat Presbyter, qualem diem voluerit in sequenti hebdomada, quare uertantur ad Scrutinium, illud vero fuit certum & perpetuum, quod scribit idem ordo: Ita tamen agẽdum vt à primo Scrutinio, quod incipit tertia hebdomada in quadragesima, vsque in Sabbathum sanctum in vigilia Paschæ septem scrutinia esse debeant; secundum formam septem donorum spiritus sancti: vt dum septenario numero implebuntur, detur illis gratia septiformis spiritus sancti. Durandus secutus sui temporis consuetudinem, hoc die ponit quintum scrutinium, eodem ritu quo illa, quæ præcedunt scrutinium in aurium apertione. Opportune igitur hoc loco dicendum est aliquid de Baptismo, nempe quid sit Baptismus, si enim tanta fuit cura maioribus nostris, vt per quadragesimam toties tam solemni ritu baptizandos disponerent; certe hoc idcirco faciebant, vt competẽtes seu electi, præter occultam diuinã virtutem, operantem etiam

Lib. 6. cap. 56.

in non intelligentibus, vel ipsi si essent adulti, vel eorum susceptores, omnem & mentem & cogitationē tantæ rei sacramento intenderent.

Homo se totum debet Deo: seruire itaque illi debet & corpore & animo, & hoc ita coniunctim, vt separari a se inuicem nulla ratione possint, potest accidere ea vis humano corpori, vt eius membris vti animus non possit; quod cum sit, tum certe corpus officio suo deesse non est existimandum. Et quidem cultus interior, quo homo seruit Deo, continetur, fide, spe, charitate, occultam vero hanc suam mentem producit homo in opus, per sacramenta, quæ Dominus Iesus ad cultum nouæ legis instituit, lex vetus habebat multa Sacramenta, multos ritus, multa sacrificia, quibus Deo seruiebatur, pro illius temporis conditione; sed lex gratiæ, & pauciora accepit sacramenta, & illa virtute & efficacia infinitis partibus maiora. Ritus enim & actiones illæ Christianorum, quibus attributum est nomen Sacramenti, non solum significant seu etiam testantur professionem nostræ religionis, sed quod est potissimum præter hanc professionem nostram, hæc sacramenta nouæ legis, simul & significant, & realiter conferunt diuinam gratiam, illo sacramento significatam. Et in hoc genere Sacramentorum, primum ac præcipuum est Baptismus, ista enim actione ablutionis non solum profitemur nos dare nomen militiæ Christianæ: sed præterea homini sic deserenti militiam diaboli, & transeunti in castra Christi Iesu, ipse Dominus per hoc sacramentum dat mirabilem gratiam. Primo liberat eum vere & realiter ab omni, quod aliquo modo pertinet ad peccatum, ita solide, vt homo baptizatus tam sit innocens, quam hoc erat Adam ante peccatum. Secundo Baptismus non

solum

ſolum ſic aufert peccatum & ex conſequenti pœnam debitam peccato; ſed præterea filios iræ, facit filios Dei, coheredes Chriſti: vt ſimus angeli in cœlo, participes æternæ hæreditatis, & illius gloriæ ad quam reſurrexit Dominus. Tertiò, licet baptiſmus non auferat concupiſcentiam, quæ nõ eſt peccatum, quãuis ſit fomes peccati confert nihilominus baptiſmus cõtra illud malum cõcupiſcentiæ, cœleſtem gratiã, & diuinum adiutorium: conferendo homini, & infundẽdo in animam baptizati, dona fidei, ſpei, & charitatis. Quartò, baptiſmus veluti ſtigmatizat hominẽ ſigno indelebili, quo cognoſcatur bonus miles, ſi manet in officio; & deprehendatur ſi factus fuerit deſertor ſemel ſuſceptæ militiæ, & hoc eſt quod traditur de impreſſione characteris in baptiſmo. Quinto, Suſceptio iſtius ſymboli ita eſt neceſſaria, vt qui illud nõ ſuſcipit nec re cũ poteſt, nec voto cũ impeditur, vt ille ſi eſt adultus, vadat in infernum, vel ſi eſt infans, atque ea ætate, vt ſe ipſe offerre nõ poſſit ad baptiſmũ; vt ille careat bono vitæ æternæ ac fruitione Dei, licet non puniatur cæteris pœnis inferni: nec eſt quod miremur tãta operari Deũ in homine, iſta in ſpeciẽ exigui momẽti actione, neque illa tali, vt ex eius operatione videantur ſequi debere iſti effectus. Ablutio aquæ idonea eſt ad refrigerandũ, ad detergendas ſordes corporis, verum vt illa actio corporalis, & agat in animã incorporeã, & vt corpori atque animæ tribuat dona inuiſibilia & ſpiritualia, non videtur ſatis conſequens, quinimo res ea videtur aliquomodo pertinere ad ſuperſtitionem, in qua hoc potiſſimum reprehenditur, quod tribuat effectus illi rei, quæ per naturam non poteſt eſſe eorum cauſa, cantat anus ab hac vel illa parte, ergo ex ſententia ſuperſtitioſi, tales ſucceſſuri ſunt euentus. Reſpondeo.

Deus

Deus qui eſt Spiritus, à Spiritibus creatis quales ſunt Angeli, non colitur niſi ſpiritualiter, ab hominibus id eſt creaturis mixtis corpore & ſpiritu, quamdiu corpus eſt terrenum, nondum ſpirituale, neceſſario coli debuit Deus iis modis, qui eſſent ſimul & terreni & ſpirituales: quod ſunt vtiq; ſacramenta: nec refert quod actio ſacramentorum naturaliter non producat effectus ſpirituales, (quomodo aqua non eſt ad hoc creata a Deo, vt purget animã) ſufficit enim quod conditor ſacramentorum hanc illis gratiam aſſignauit; quod facile intelligitur in cultu Dæmonum, & malignorum ſpirituum: qui inſita ſua ſuperbia qua exciderunt a cœlo, volunt eſſe dij, qui & ipſi ſuis cultoribus tradiderunt ſacramenta corporalia, quibus ſe homines illis darent: & per quæ ipſi darent ſuis cultoribus mentem dæmoniacam, voluntatem auerſam à Deo, & ſtudium omnis mali. In illis enim maleficorum ſacramentis, ea quæ ibi fiunt natura ſua, non operantur effectus qui ſequuntur quomodo comeſtionem ſequitur ſaturitas, admotionem corporis ad ignem calor: ſed idcirco procurant dæmones, illos effectus, quia ſic ſe coli voluerunt. Baptiſmus itaque eſt primus & digniſſimus, nobis quoque in ſupremo gradu & vtiliſſimus, & maxime neceſſarius Dei cultus, & idcirco accedendum eſt ad hoc myſterium, cum ea attentione quam docet diſciplina quadrageſimæ, quam ſeptem ſcrutinia, quam ipſa fontis benedictio, quam ipſe poſtremo ſolemnis ritus, & accurata diſciplina, quæ fit in ipſa ſuſceptione ſancti lauacri; nec ſolum ante ſuſceptionem baptiſmi, tanta tam varia imperantur, vt ea ratione caueatur ex parte noſtra id omne, quod aliquo modo poteſt impedire influentem Dei gratiam, ſeu vt loquimur vulgo vt non ponamus obicem.

obicem, sed praterea ecclesia Dei, vult nos perpetuo recordari istius semel accepta gratia; vt vel in ea Deo adiuuante semper perseueremus, vel lapsi per Sacramentum Pœnitentia, quod est veluti nouus quidã baptismus, denuo renouemur. Quod ille præstare dignetur, qui nos in sanguine suo sic semel regenerauit, & lapsos semper vult erigere Dominus Deus noster.

EXPLICATIO OFFICII.

SVperioribus duabus ferijs proposuit nobis ecclesia, quid acciderit Domino in festo tabernaculorum, nunc optimo ordine subiungit aliam historiam festi encœniorum, eius quod incidit in 25. diẽ Casleu quod est festum dedicationis templi sub Iuda Machabæo, nã quæ sub Salomone in Autumno, quæ sub Zorobabele in primo vere, duodecimo scilicet mense, agebatur. Incidit vero 25. Casleu in mensem Decembrem. Semper in festis molesti sunt Domino Iudæi, & hæc historia magnam habet similitudinem cum passione Domini, quæ incidit in festum Azymorum. Circundant Dominum Iudæi non studio discendi, sed calumniandi, situ es Christus, dic palam, accusant eum de blasphemia, tollunt lapides, vt eum lapidarent, Et licet potentia sua eos hoc molientes compescuerit Dominus, iam tamen erant isti Iudæi rei cedis Domini: quærebant enim eum apprehendere sed nondum venerat hora eius, & ideo exiuit de manibus eorum: & iterum iuit in Bethabora trans Iordanem. Istud Euangelium habet variam & profundam doctrinam, de diuinitate Christi, quæ tempore passionis studiose & accurate est meditanda, de

1. Mach. 4. 3. Reg. 8. 1. Esdr. 6

da, de officio Christi quod consistit in collectione omnium, in cura omnium, in bono omnium, ego inquit vitam eternam do eis. Habes quoque doctrinam de operibus Christi, qua tam erant admirabilia, vt necessario cogerent homines ad credendum omnibus, qua diceret, etiam vt crederent hoc maximum. Ego & pater vnum sumus; propter qua signa & testimonium Ioannis, multi quoque crediderunt in eum. Coniungitur quoque huic Euangelio lectio Leuitici, ad confusionem filiorum rebellium, & incredulorum, tentatorum, & murmurosorum Iudæorum: nã & ipsi tentantes, & ceruicem suam obdurantes, hoc merebantur: vt quemadmodum corpora illorum prostrata sunt in deserto, sic ipsi longe a repromissione pellerentur, stantes contra sanguinem proximi, & cuncta huius lectionis præcepta transgredientes. Pertinet quoque ista lectio ad sanctificationem ieiunij, de qua loquitur collecta, frustra enim ieiunat corpus a cibis si meus non ieiunat à peccatis: quæ in ista lectione condemnantur sub graui comminatione. Ego Dominus, sicut in Euangelio dicebat Dominus. Ego Deus filius Dei. Psalmus quo intramus ad officium, est ille, quem cecinit Dauid, cum liberatus est de manu Saulis, & omnium inimicorum suorum. Liberator meus de inimicis meis iracundis, a Iudæis clamantibus crucifige, crucifige: Ab insurgentibus in me exaltabis me, a Iudæis insurgentibus in me patientem, exaltabis me resurgentem, a viro iniquo eripies me, a regno eorum iniquo erues me. Dominus enim quem diligo ipse fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meũ, liberator meus. Psalmus qui recitatur in graduali optime conuenit hodierno officio: cantatus enim fuit à Dauide in dedicatione domus suæ: & idcirco Dominus in dedicatione templi

sui,

ſui, quod eſt in reſurrectione ſua, cum apparuit gloria eius: Suſcepiſti, inquit me, nō delectaſti inimicos meos ſuper me, ſanaſti me, abſtraxiſti ab inferis animam meam. Offertorium pertinet quoque ad paſſionem Domini. Communioni tempore dedicationis bene conuenit verſiculus: Lauabo inter innocentes manus meas, & propter illos qui hic communicant, & præcipue propter eos, qui cogitant altare quod eſt coram oculis Dei, quo eſt ingreſſus Sacerdos, qui pro nobis ſe primus obtulit, eſt enim cœleſte altare, & non amplectitur illud altare, niſi qui lauat manus in innocentibus, nam multi altare hoc tangunt indigni, & tolerat Deus pati iniuriam ad tempus ſacramenta ſua, Sed nunquid fratres mei, quomodo ſunt parietes iſti, ſic erit Hieruſalem cœleſtis? nam quomodo recipieris cum malis intra parietes iſtos eccleſiæ, ita recipieris cum malis in ſinum Abraha.

MISSA FERIÆ IIII. POST DOMINIC. DE PASSIONE.

LIberator meus de gentibus iracundis, ab inſurgentibus in me exaltabis me, à viro iniquo eripies me Domine. *Pſal.* 17.

Pſal. Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & liberator meus. Liberator. *Ibid.*

OREMVS.

SAnctificato hoc ieiunio Deus tuorum corda fidelium miſerator illuſtra, & quibus deuotionis præſtas affectum: præbe ſupplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

Moueat

MOueat pietatem tuam quęsumus Domine, subiectæ tibi plebis affectus, & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat: vt quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per.

Lectio libri Leuitici.

Cap. 19. IN diebus illis: Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad vniuersum cœtum filiorum Israël, & dices ad eos. Ego Dominus Deus vester: Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus. Nõ facies calumniam proximo tuo: nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij tui apud te, vsque mane. Non maledices surdo: nec coram cęco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est: nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo. Non eris criminator nec susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui. Ego Dominus. Non oderis fratrem tuum in corde tuo: sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. Leges meas custodite. Ego enim sum Dominus Deus vester.

Psal. 29. *Graduale.* Exaltabo te Domine, quoniã suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. *Vers.* Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti

ſanaſti me. Domine abſtraxiſti ab inferis animam meam, ſaluaſti me à deſcendentibus in lacum.

Tractus. Domine non ſecũdum peccata noſtra quæ fecimus nos, neque ſecundum iniquitates noſtras, retribuas nobis. *Verſ.* Domine ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum: cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. *Verſ.* Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos; & propitius eſto peccatis noſtris, propter nomen tuum.

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

IN illo tempore, facta ſunt Encænia Hieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis. Circundederũt ergo eum Iudæi & dicebant ei: Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus dic nobis palam. Reſpondit eis Ieſus: Loquor vobis: & non creditis, opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Ego & Pater vnum ſumus. Suſtulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Reſpondit eis Ieſus: Cap. 10.

Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus, me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: Ego dixi, dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura: quem pater sanctificauit, & misit in mundũ vos dicitis, quia blasphemat, quia dixi filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoscatis & credatis, quia in me est Pater, & ego in Patre.

Psal. 81.

Offertorium. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgẽtibus in me, libera me Domine. *Vers.* Quia ecce captauerunt animam meam, & irruerunt fortes in me. *Vers.* II. Quia factus es adiutor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ.

Secreta.

ANnue nobis misericors Deus, vt hostias placationis & laudis, syncero tibi deferamus obsequio. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, & te supplici deuotione exorare, vt per ieiunia quæ sacris institutis exequimur, à cunctis reatibus emundari mereamur, tuamque valeamus percipere propitiatio-

pitiationem: qui præparamur ad celebrandam vnigeniti filij tui passionem. Per quem.

Communio. Lauabo inter innocentes manus meas, & circundabo altare tuum Domine, vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuersa mirabilia tua.

Post-Communio.

CÆlestis doni benedictione, percepta supplices te Deus omnipotens, deprecamur: vt hoc idem nobis & sacramenti causa sit, & salutis. Per Dominum.

Super populum.

ADesto supplicationibus nostris omnipotens Deus, & quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, consuetæ misericordię tribue benignus effectum. Per Dominum.

AFflictionem familiæ tuæ quæsumus Domine intende placatus vt indulta venia peccatorum, de tuis semper beneficijs gloriemur. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

DEus qui est vita mortalium, salusque peccatorum; auferat à nobis omnes maculas delictorum. *Amen.*

Induat nos decore virtutum, sanctificet mẽtes, purificet voluntates, & donet nobis sanctorum consortium Angelorum. *Amen.*

Vt probabiles fide, & opere, immaculati perueniamus ad æternam gaudiorum cœlestiũ hæreditatem, *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA V. POST DOM.
De Passione.

Continuatio tertiæ meditationis Dominicæ Passionis.

COEpta fuerat à nobis tertia meditatio Dominicæ Passionis, per singulas partes Dominicæ corporis & animæ, in quarum singulis grauissime passus est Dominus: eam hic prosequimur ex libello flandrico, fasciculo mirrhæ.

Euangelistæ in describenda Passione Domini, res eas quæ præcipuum dolorem continebant, ita breuissimis verbis explicarunt, vt tres grauissimas pœnas, flagellationem, coronationem, crucifixionem. vno solum verbo explicarint. Tradidit eum Pilatus ad flagellandum, milites crucifixerunt eum, de coronatione describitur res ea pluribus, breuius nihilominus quam pœnæ grauitas flagitabat, multa quoque quæ magnam continent atrocitatem ab ijs sunt amissa, de tristitia interiore animæ, nihil ab ijs refertur: nisi id solum, quod dixit Dominus in horto: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Factum est istud ab Euangelistis, consilio spiritus sancti: vt deuotæ animæ eo se feruentius exercerent, in inquisitione pœnarum dominicæ Passionis: & hoc sanctis orationibus, lumine diuinæ gratiæ, lumine naturalis intellectus, sanctis reuelationibus, exemplis & comparationibus, & postremo authoritate Prophetarum: vt istis rationibus sanctisq; meditationibus quæreretur, & quærendo inueniretur, quam sit profunda, admirabilis dolorosa, grauis, potens, quam plena bonitatis, amoris, iustit-

iustitiæ benedicta passio & mors saluatoris. Multi credunt & dicunt: Christus pro nobis fuit captus, conspitus, flagellatus, coronatus, crucifixus, sed is sermo non nascitur in corde, & similes sunt isti cœcis, loquentibus de coloribus, à se numquam visis. Ad inquirendam itaque & aliquo modo comprehendendam profunditatem dolorosæ Dominicæ Passionis, ab illuminatis & deuotis solet quæri: Num grauitas dolorum Christi maior sit omnibus doloribus totius mundi? Causa dubitandi est, Primo (vt patet ex morte martyrum) amor Dei, visio Dei, consolatio Dei minuunt sensum doloris, ex quo sequitur Christum, in quo ista fuerunt in perfectissimo gradu, non sensisse tantam grauitatem dolorum suorum. Secundo S. Gregorius dicit certitudinem mercedis, minuere dolores: Christus vero certissimus erat de futura sua gloria, ipse enim dicebat se tertio die resurrecturum, ergo Christi dolor non erat grauissimus. Tertio supplicium ignis est omnium acutissimus Christus vero passus est crudelitate ligandi, verberum, flagellorum, spinarum, & crucifixione, ergo supplicium B. Laurentii fuit grauius supplicio Christi. Contra facit Hieremias Propheta, Attendite & videte vos omnes qui transitis per viam, videte. si est dolor vester sicut dolor meus. Concluditur dolorem Christi maiorem exstitisse omnibus doloribus, qui possunt accidere hominibus, in mortali corpore exsistentibus, Pœnæ enim infernales damnatorum, maiores sunt doloribus & passione Christi. Probatur quatuor rationibus.

Primo ex naturali complexione corporis Domini.

Secundo ex fine & intentione plenariæ satisfactionis.

Tertio ex modo passionis.

Quarto ex distincto sensu, omnium & singularũ pœnarum.

Ad primam rationem B. Chrysostomus dicit, longe esse perfectiora & meliora, quæ facit Deus per miraculum, ijs, quæ facit per ordinariam operationem naturæ. Sic vinum in cana Galileæ fuisse melius reliquo vino: sic panes quibus pauit quinque millia hominum, fuisse sapidiores & meliores, panibus ordinarijs. Quia igitur Christus habuit corpus concertum in vtero intemeratæ virginis, per operationem spiritus sancti, sequitur necessario, corpus Christi fuisse omni sui parte nobilius, purius, & magis sensitiuum cæteris omnium hominum corporibus: & ex consequenti, eiusmodi, quod citius & maiore dolore sensus, sentiret pœnas, sic quæ verbera equos & boues vix, ea homines grauissime affligunt: & inter ipsos homines, rustici minus sentiunt, quam nobiles, sic plantæ pedum non offenduntur iis, quæ ladunt manus, nec manus iis, quæ grauissime laderent oculos, si iis pungerentur. Ex quo sequitur dolores Christi fuisse acutissimos & sensui viuacissimo acerbissimos. Secunda ratio sumitur ex finali intentione, & ardenti desiderio Christi, satisfaciendi pro nobis peccatoribus. Luc. 19. Filius hominis ad hoc venit, vt quærat & saluum faciat quod perierat. *Et quia vniuersaliter totum genus humanum perierat, oportebat ex Dei iustitia, vt Christi passio, tam esset magna, vt satisfaceret pro saluatione & redemptione totius generis humani. Per peccatum vero Adæ quatuor acciderant humano generi.*

Infinitæ miseriæ, morbi, & calamitates, quæ sunt in hac vita mortali.

Innume-

Innumerabilia peccata, quæ faciunt homines.

Pœnæ æternæ, quas peccatis suis merentur homines.

Æterna tristitia, quam habent damnati in inferno.

Quia itaque Christus Dominus venerat plenissimus liberator, & qui totaliter erat satisfacturus pro omnibus malis, quæ per peccatum acquisiuerat sibi genus humanum, necesse erat vt pateretur pro ratione, & proportione istorum quatuor malorum.

Quoad primum probatur ex Isaia: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. *Cogitemus igitur in hominibus mortuis, viuis, & viturris, omnem singulorum famem, sitim, labores, angustias, cogitemus infinita genera morborum, tot genera cruciatuum, & supplicio-rum, nocentum & innocentum: Non habuit Dominus eos dolores, qui continent vel coniuncti sunt peccato: vt sunt iracundia, inuidia, pusillanimitas, immoderatus dolor, neque actualiter habuit vllos morbos corporis: verum si omnia mala, omnes dolores, omnes languores hominum possent conflari in vnum corpus doloris, dolor & passio Domini excederet hoc corpus doloris. Probatur scripturis, figuris, & rationibus, dicit Dauid de Domino.* Veni in profundũ maris & tempestas demersit me. *Et alibi:* Omnia excelsa tua & fluctus tui, super me transierunt. *Probatur figuris: quia primi parentes peccauerant omnibus suis sensibus, & sic commeruerant omnes pœnas, quas etiam in posteros transfuderunt: ideo fuit necesse, vt Dominus generaliter & virtualiter, pro nostrà satisfactione,* Cap. 53.

ſuſciperet in ſe omnes illos dolores. Peccauerunt primi parentes in viſu, videntes & per viſum concupiſcentes fructum vetitum, patitur Dominus flens amare & obtegitur ei ad ludibrium viſus eius. Peccauerunt auditu, in ſermone ſerpentis: patitur Chriſtus auditu, audiendo cõtumelias & opprobria. Peccauerunt olfactu, delectatione vetiti fructus: patitur Chriſtus odore cadauerum, in monte Caluariæ, & ſputorum in facie. Peccauerunt tactu & extenſione manus ad fructum: Paſſus eſt Dominus fixione manuum ad lignum crucis. Peccauerunt guſtu pomi: Dominus guſtauit fel, & acetum. Tranſtulerunt mortem in totum genus humanum: ideo Chriſtus mortuus eſt, & paſſus in omnibus membris ſuis. Tertio probatur generalitas Dominicæ Paſſionis, ratione. Paſſus eſt Dominus ab omni genere hominum, vnde dicit Propheta: Quare fremuerunt gẽtes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. *Paſſus eſt Dominus à gentibus, talis erat Pilatus, tales erant milites qui eum flagellauerunt, coronauerunt, & crucifixerunt, tales erant qui irridebant ei, pendenti in cruce. Paſſus eſt a populo Iudæorum: illi clamabant, crucifige, crucifige: dimitte nobis Barrabam: illi comprehenderunt, conſpuerunt, percuſſerunt, morte condemnarunt, & crucifixerunt. Paſſus eſt à Regibus & Principibus, Herode, & Pilato: à Principibus Sacerdotum, a ſummis Pontificibus, Anna & Caipha. Paſſus eſt a mulieribus, per quas negauit eum Petrus, & quæ operam ſuam prabebat inimicis eius, in domo Caipha. Paſſus eſt à diſcipulis: à diſcipulis deſertoribus, à Petro negatore, à Iuda proditore & traditore. Præterea generalitas paſſio-*

nis Dominicæ intelligitur, quia passus est Dominus in omnibus, quibus poterat Dominus lædi. Vide & attende ô anima mea, quia Iesus amor tuus, spes tua, consolatio tua, salus tua, passus est in toto tempore vitæ suæ, in toto corpore suo, in omnibus operibus suis. In infantia paupertatem & humilitatem stabuli, in quo natus est, præsepij in quo iacuit, fugam in Ægyptum. In adolescentia sua, morte turpissima & acerbissima occisus est, Deus meus, Dominus meus, passus es omni tempore, die ac nocte, hyeme & æstate, & omnibus horis. Tempore nocturno pessime tractatus, apud Caipham: diluculo condemnatus a concilio Iudæorum. Hora prima ductus ad Pilatum: à Pilato ad Herodem: inde rursus ad Pilatum, & vbiq; iniustissime accusatus. Hora tertia flagellatus, coronatus, & vocibus Iudæorum postulatus ad crucem. Crucifige, Crucifige. Hora sexta damnatus ad crucem, & crucifixus. Hora nona mortuus in cruce. Tristis esto ô anima, & fluant oculi tui fontes lachrymarum: quia tu Dominus Deus meus passus es etiam toto corpore, oculis tuis fleuisti, auribus audiuisti blasphemias, & contumelias, maxillis fuisti percussus, naribus odoratus es conspuentes, ore gustasti amaritudinem fellis & aceti, toto capite sensisti spineam coronam, in brachijs dura & immitia vincula, in manibus & pedibus crudeles clauos, in toto corpore sæuissimam flagellationem. Passus quoque es in operibus tuis: contrarij enim erant prædicationi & doctrinæ tuæ, contrarij sanctæ conuersationi, contrarij miraculis tuis. Considera ô anima mea, quod mortuus sit morte turpissima, morte acerbissima. Passa quoque est Domine fama nominis tui, dicebant quia dæmonium habes tu, medium inter duos latrones crucifixerunt te, pauca

bona temporalia quæ habebas, veſtes corporis tui diripuerunt ſibi, contriſtatus es in anima, in matre tua, in diſcipulis, in amicis tuis. In hanc ſententiam plura quoque dicebat deuotus ille: ô Deus Pater omnipotens, æterne Deus, quid aut dici poteſt, aut quid cogitari, in quo non etiam paſſus eſt vnigenitus tuus; & tu ô anima mea, vide an non etiam paſſio Domini tui maior ſit omnibus doloribus huius ſæculi, & ingreſſa in te compatere Domino ſaluatori tuo. gratias illi age ex toto corde tuo, & ex totis viribus, ne vindicetur iuſtè in te, ſanguis illius iniuſtè fuſus pro te. Secunda ratio qua æſtimatur magnitudo Dominicæ paſſionis, eſt magnitudo debiti; quod exſoluit Dominus. Soluebat Dominus pro omnibus peccatis, tam originali quam actuali, pro omnibus ante eius mortem factis, & quæ in finem vſque ſæculi facturi

Iſa. c. 53. *ſunt homines, quod expreſſe dicit Propheta: Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum: Non culpam, illam enim non poteſt habere, qui eam non admiſit, ſed pœnam debitam culpæ? Cogita igitur tecum & multitudinem & horrorem tot peccatorum, à condito mundo vſque ad eius conſummationem, quorum numerus & turpitudo ſoli Deo eſt nota: cogita deinde pœnam temporalem & æternam debitam iuſtitiæ Dei, pro iſta offenſa Dei, & cum iſta diligenter expenderis, rumina tecum, qualis fuerit illius pœna, qui eam commutando in temporalem ſuſtinuit eam in vita ſua, & hoc fecit Dominus: dicit enim expreſſe Beatus Petrus: Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo, ſuper lignum, & vt rem iſtam bene conſideremus, tria ſunt nobis cogitanda. Primo quod quilibet peccans*

morta-

mortaliter, pro quolibet eiuſcemodi peccato, reus eſt iuſtitiæ Dei, & quod pro offenſa infinitæ maieſtatis, debitor eſt pœnæ æternæ infernalis, ſi igitur alicui tali debitori remitteretur iſta pœna æterna, ea conditione, vt ea commutaretur in pœnam huius vitæ proportionatam illi pœnæ æternæ: certe proportio talis inueniri nulla poſſet: nulla enim eſt proportio finiti ad infinitum, fingamus nihilominus hoc dari huic debitori, vt remittatur ei: ſed hoc per pœnam in tantum proportionatam pœnæ æternæ, quantum id poteſt aliquo modo cogitari, certe omnes intelligunt pœnam iſtius debitoris futuram eſſe incredibilem, & talis neceſſario fuit pœna & afflictio Domini ſoluentis pro debitis omnium noſtrûm. Ex quo ſequitur, nec explicari nec cogitari poſſe Paſſionem Domini. Delicta quis intelligit dicebat Propheta, quis intelligit delictorum numerum, qualitatem, pœnam, ſolus ea nouit Dominus, & vniuerſorum & ſingulorum, omnium igitur illorum pœnas, qui per baptiſmum & pœnitentiam, in quibus eſt meritum crucis Chriſti, liberantur à pœnis æternis; illas omnes ſuſtulit in corpore ſuo Dominus, & quia Dominus omnes iſtas pœnas optime nouerat; idcirca tantum ſoluit Dominus pro iſtis meritis, & merendis pœnis æternis, quantum ſufficeret iuſtitiæ diuinæ, & quantum poterat ſolui à tali homine, qualis erat Chriſtus: tam vero homine, quam ſumus nos veri homines, ſed eo robuſtiore quo erat nobilior, & ſubſtantia humana & vnione diuina: nec ſolum ſoluit Dominus pro pœnis eorum, qui ab ijs per eius meritum liberantur, ſed pro pœnis totius generis humani, ſi totum genus humanum obtemperare illi voluiſſet,

& non potius contempto ſaluatore elegiſſet perditorem dæmonem, hac ſufficiente iuſtitia patientis Domini, ſaluari totum genus humanum potuiſſet : & ad hoc faciendum ex parte ſoluentis Chriſti, abunde eſt ſatisfactum. Et hac quidem in re oritur difficultas. Paſſio Domini erat finita, & ea ratione infinite minor pœnis inferni, quopacto igitur ſatisfecit iuſtitiæ Dei, requirentis pœnam infinitam, & hoc eſt ſecundum quod dicebamus eſſe cogitandum. Paſſio Domini fuit ſacrificium, pro vniuerſis peccatis ſecundum Dei iuſtitiam, & diuinum beneplacitum Dei Patris, acceptantis illud in ſua iuſtitia Primo propter liberrimam & profundiſſimam obedientiam Chriſti, qui factus eſt *inquit Paulus,* obediẽs vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. *Secundo propter profundam eius humilitatem, qui exiſtens verus Deus, coæqualis Deo patri, humiliauit ſe vſque ad ſubſtantialem & realem formam ſerui, & in illo ſtatu ſerui, elegit abiectiſſima illorum ſeruorum, natus in ſtabulo, reclinatus in præſepio, circunciſus vt peccator, humiliatus vſque ad omnimodum contemptum, contumelioſam conſputationem, vſque ad crucifixionem inter latrones, & quis digne poteſt cogitare quo pacto complacuerit Deus, in iſta immenſa & incomprehenſibili humilitate. Poſtremò quod eſt in hac re præcipuum, fuit accepta Deo iuſtitia, hac paſſio Domini, propter inæſtimabilem & non explicabilem dignitatem, nobilitatem, præſtantiam Chriſti Domini patientis : qui erat nobiliſſimus in ſubſtantia corporis & animæ, puriſſimus in dotibus animæ & corporis, ſine peccato: & quod eſt caput totius rei: Erat vnitus Deo, vna perſona, Deus & homo Ieſus Dominus, propter quam illius nobilitatem,*

tatem ſufficiebat minimum illius opus pro noſtra redemptione: ſed Dominus non voluit nos ſolummodo redimere per potentiam, ſed etiam per iuſtitiam, & ſic intelligitur ſaluatio pro pœnis æternis, ſecundum iuſtitiam & beneplacitum Dei: quæ fundatur ſuper vera & iuſta iuſtitia. Neque hic eſt cogitandum, diuinitatem ſaluatoris ſubleuaſſe aliquo modo grauitatem paſſionis eius: quin imo aliquo modo eius diuinitas aggrauauit paſſionem. Diuinitas enim aſſumpſerat nobiliſſimam, & qualis ex quatuor elementis creari poterat, ſubtiliſſimam ſubſtantiam corporis: ex quo ſequitur, vt oſtendimus, maior paſſio. Deinde Deus omnium ſeueriſsime & grauiſsime punit peccata, ex quo ſequitur quod in tali præſentia reali diuinitatis, fortius etiam vindicabantur peccata quæ ſuſceperat in ſe vindicanda, vnde etiam prorumpit in hanc vocem: Deus Deus meus, quare dereliquiſti me? quibus verbis clariſsime intelligimus, relictum fuiſſe Dominum in natura ſua humana ſine conſolatione diuina, ſub iuſtitia Dei, punientis in eo omnium noſtrum peccata. Tertio, diuinitas effecit vt corpus tamdiu duraret ad pœnam: fieri enim aliequi non poterat, vt ab horti triſtitia viueret in horam nonam per tot afflictiones & mala quæ paſſus fuerat Dominus. Quod cor, aut quis intellectus poteſt capere dolorem paſsionis Dominicæ, niſi Deus? Superbenedicte, Superdilecte Ieſu, cor meum, omnia interiora mea, præ anguſtia contremiſcunt ad cogitationem dolorosæ, benedictæ paſſionis tuæ: quid dicam? quo fugiam? cum requiretur à me roſeus ſanguis tuus, quem ego cum tanta ingratitudine toties contempſi, fugere neſcio, niſi ad te ſolum Dominum & Deum meum, vnicam ſpem animæ meæ: ad te igitur confugio, proſterno me humillime

lime coram potentia tua, & confiteor tibi, de profundiſſimo cordis mei, vniuerſa & ſingula peccata mea, quibus offendi diuinam bonitatem tuam: confiteor ingratitudinem meam per paſſionem, per dolores, per mortem tuam ſupplex oro, vt efficaciam benedicti ſanguinis tui effundas ſuper miſera anima mea, & purges eam ab omnibus maculis ſuis. Amen. Debuit quoque Dominus ſatisfacere pro æterna triſtitia, quam habent damnati ex priuatione æterni boni, nam ſicut pro quolibet mortali peccato fit homo ſeruus æterni ſupplicij: ſic etiam ob amiſſionem æterni boni, acquirit æternam triſtitiam. Quamobrem debuit Dominus ſecundum rationem, ſecundum iuſtitiam Dei & beneplacitum Patris, proportionaliter triſtari ad illam, quã diximus, vt ſic tolleretur ab hominibus illa triſtitia, & ei ſuccederet æterna lætitia, per apertionem cœlorum: qui in eum diem clauſi fuerãt hominibus. Si quis igitur digne poteſt cogitare præmium vitæ æternæ, gaudium beatarum animarum, gloriam corporum reſurgentium in vitam æternam: is quoque è cõtraria poterit aliquo modo æſtimare triſtitiam eorum qui ſunt intellecturi ob momentaneam voluptatẽ ſæculi, hæc ſe amiſiſſe: & ex vtriuſq; collatione poterit aliquo modo æſtimare magnitudinẽ Dominicæ paſſionis, quæ fuit ordinata & proportionata, ad ſatisfaciendum pro illo æterno & ineſtimabili dolore, proficiſcente ex amiſſione tantorum bonorum. & quis hoc intelligit niſi tu Deus? quis digne cogitat, niſi ille qui in gratiarum actione ſemper perſeuerat?

Explicauimus duas rationes, quibus æſtimatur magnitudo Dominicæ paſſionis: complexionem Dominici corporis, & rationem ſatisfactionis, quam ſuſcepe-

ſuſceperat in ſe Dominus. Sequitur tertia ratio, qua ſumitur ex ipſa forma & modo ſupplicij, quo mortuus eſt Dominus. Mortuus eſt enim Dominus omnium ſuppliciorum crudeliſſimo, & omnium maxime infami & præter ordinarium ſupplicium crucis, multa facta ſunt circa Dominum, quæ in cæteris damnatis ad crucem fieri non conſueuerunt, quæ res explicanda eſt preſsè, vt hiſtoria bene intellecta, pietate accendatur animus in ſic patientem pro nobis. Supplicium crucis tam ſemper fuit acerbum, Plerique ex libello Lipſij de cruce.
vt omnis grauis dolor, omnis animi angustia, omne malum, omnis interitus non origine Chriſtiana, ſed vetere Latina naturali, crux & cruciatus nominetur, ea vi verbi, vt ad rem iſtam ſignificandam, nulla vox æque, aut idonea aut grauis exſiſtat. Qua etiam ratione, Crux ea ſignificatione, qua eſt lignum, cui ad ſupplicium affiguntur Rei, veteres vocare conſueuerat, infelicem arborem infelix lignum, infamem ſtipitem: erat enim hoc ſupplicium in horrore pariter ex vilitate, qua ratione vocat in Verrẽ illud Cicero crudeliſſimum teterrimumq́, & Poëta Nonnus, peſſimum quoddam fatum; quin etiam Ioti nomine, Lipſius de cruce lib. 3. cap. 1. lib 5 ſen. tit. 21.
ſummi ſupplicij velut ob eminentiam deſignant iſtud Paulus ſummo ſupplicio, id eſt cruce afficiuntur. Ab eadem mente ſupremum Vlpianus l. 8 ad legem Cornel. de falſis.
dixit: Si liberi ſint ad beſtias dari, ſi ſerui ſupremo ſupplicio affici, cum enim aliud non exprimat, & de ſeruis reſponſum crucem recte intelligimus, cur non ignem inquies, cum Tertullianus etiam dixerit, & cenſuerit ſummam ignium pœnam. Quia ex Iuriſ. mente, Crux etiam ſupra ignem. Certe Paulus, hoc ordine, ſummi Ad Martyr. c. 4.
ſupplicij tria genera recenſet: Crucem, crema-

tionem,

tionem, de collationem. Præt Crux, & cum cauſa, ſi infamiam, magnitudinem, & præſertim diuturnitatem pœnarum in ea attendis: dicta hæc ipſa extrema pœna. Ita vero fuit infame hoc ſupplicium, vt eo fere, niſi in ſeruos non animaduerteretur: qua ratione cum legimus de ſeruili ſupplicio, crucem intelligimus. Lactantius cur ſi Deus fuit, & mori voluit, nõ ſaltem aliquo honeſto genere mortis affectus eſt? cur potiſſimum cruce? cur infami genere ſupplicij, quod etiam homine libero quamuis nocente, videatur indignum? Longum eſt vt explicemus verberationem, qua fiebat flagris & loris, ſæpe vſque ad internecionem, deductionem ad locum ſupplicij, in qua reus geſtabat ſuam ipſe crucem, vbi ſtimulis ad progrediendum per ſummum ludibrium exagitabatur, ipſam poſtremo violentam extenſionem totius corporis. fixionem clauorum in manibus pedibuſq;, illam manuum violentam protenſionem, illam poſtremo male hærentem vitam. qua de re ſic B. Augu. Cum eius obedientiam vſque ad mortem factam commemoraret Apoſtolus, parum illi fuit dicere, factus obediens vſque ad mortem, ſed addidit: mortem autem crucis, illa morte peius nihil fuit, inter omnia genera mortium. Deniq; vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, a cruce denominatus, pẽdentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibuſq; confixi, producta morte necabantur: non enim crucifigi, hoc erat occidi, ſed diu vinchatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, ſed quia mors ipſa protendebatur, ne dolor citius finiretur, mori voluit pro nobis, parum dicimus crucifigi dignatus, vſque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & peſſimum genus mortis, qui omnium fuerat ablaturus mortem. Sed hæc

Tract. 56 in Ioan.

Chriſto

Christo dicet aliquis communia cum tot crucifixis. Respondeo, Supplicia maxime æstimantur persona in quam animaduertitur, sic reos inter reos suspendi nihil habet noui, verum innocentissimum ad ludibrium, medium collocare inter famosos sicarios & latrones, hoc certe non auget modo, sed est quoddam nouum genus supplicij, & huiuscemodi multa sunt in Domini Passione, in qua etiam multa Domino sunt illata, quæ cæteris reis inferre nulla Tyrannorum crudelitas consueuerat, Iam inde enim ab ingressu in hortum, vsque ad mortem, vna fuit veluti continua Domini crucifixi: cum & a singulis membris pœnæ exigerentur, nec vllum ei temporis momentum, vacuum à grauissimis pœnis relinqueretur. Quarta ratio, ex qua æstimatur magnitudo Dominicæ Passionis, consistit in modo sensus qui fuit in Domino. Vulgo atque ordinarie sic est in nostro corpore, vt dolor cedat dolori, vt non sentiat paruum qui laborat maiore, non sentit leue vlcus, qui laborat podagra, qui ægrotat dentibus præ eo dolore, qui est acutissimus non sentit minores. In Christi corpore nulla fuit talis confusio, singula membra remanebant in suo particulari sensu, atque ea ratione simul sentiebat Dominus, & vniuersi corporis sui vnum quendam dolorem, & singulorum membrorum, singularem dolorem, si enim diuinitas ita singulariter in vnam personam vnita, non est operata vt corpus non doleret, qua ratione dicemus, hoc potuisse partem aliquam corporis? Præterea, si pars inferior animæ quæ erat tristis vsque ad mortem, non fuit impedita a superiore parte animæ, quæ petebat vt fieret voluntas Dei, cur non etiam eadem rationem sequemur in corpore? Cogitemus igitur quantus fuerit eius dolor, qui seorsim sentiebat singulas lacerationes

Tertio ex modo passionis.

Quarto ex distincto sensu, omnium & singularũ pœnarum.

Ad primam rationem B. Chrysostomus dicit, longe esse perfectiora & meliora, quæ facit Deus per miraculum, ijs, quæ facit per ordinariam operationem naturæ. Sic vinum in cana Galilææ fuisse melius reliquo vino: sic panes quibus pauit quinque millia hominum, fuisse sapidiores & meliores, panibus ordinarijs. Quia igitur Christus habuit corpus concertum in vtero intemeratæ virginis, per operationem spiritus sancti, sequitur necessario, corpus Christi fuisse omni sui parte nobilius, purius, & magis sensitiuum cæteris omnium hominum corporibus: & ex consequenti, eiusmodi, quod citius & maiore dolore sensus, sentiret pœnas, sic quæ verbera equos & boues vix, ea homines grauissime affligunt: & inter ipsos homines, rustici minus sentiunt, quam nobiles, sic plantæ pedum non offenduntur iis, quæ ladunt manus, nec manus iis, quæ grauissime laderent oculos, si iis pungerentur. Ex quo sequitur dolores Christi fuisse acutissimos & sensui viuacissimo acerbissimos. Secunda ratio sumitur ex finali intentione, & ardenti desiderio Christi, satisfaciendi pro nobis peccatoribus Luc. 19. Filius hominis ad hoc venit, vt quærat & saluum faciat quod perierat. *Et quia vniuersaliter totum genus humanum perierat, oportebat ex Dei iustitia, vt Christi passio, tam esset magna, vt satisfaceret pro saluatione & redemptione totius generis humani. Per peccatum vero Adæ quatuor acciderant humano generi.*

Infinitæ miseriæ, morbi, & calamitates, quæ sunt in hac vita mortali.

Innume-

Innumerabilia peccata, quæ faciunt homines.

Pœnæ æternæ, quas peccatis suis merentur homines.

Æterna tristitia, quam habent damnati in inferno.

Quia itaque Christus Dominus venerat plenissimus liberator, & qui totaliter erat satisfacturus pro omnibus malis, quæ per peccatum acquisiuerat sibi genus humanum, necesse erat vt pateretur pro ratione, & proportione istorum quatuor malorum.

Quoad primum probatur ex Isaia: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Cap. 53. *Cogitemus igitur in hominibus mortuis, viuis, & vituris, omnem singulorum famem, sitim, labores, angustias, cogitemus infinita genera morborum, tot genera cruciatuum, & supplicio-rum, nocentum & innocentum: Non habuit Dominus eos dolores, qui continent vel coniuncti sunt peccato: vt sunt iracundia, inuidia, pusillanimitas, immoderatus dolor, neque actualiter habuit vllos morbos corporis: verum si omnia mala, omnes dolores, omnes languores hominum possent conflari in vnum corpus doloris, dolor & passio Domini, excederet hoc corpus doloris. Probatur scripturis, figuris, & rationibus, dicit Dauid de Domino.* Veni in profundũ maris & tempestas demersit me. *Et alibi:* Omnia excelsa tua & fluctus tui, super me transierunt. *Probatur figuris: quia primi parentes peccauerant omnibus suis sensibus, & sic commeruerant omnes pœnas, quas etiam in posteros transfuderunt: ideo fuit necesse, vt Dominus generaliter & virtualiter, pro nostrâ satisfactione,*

ſuſciperet in ſe omnes illos dolores. Peccauerunt primi parentes in viſu, videntes & per viſum concupiſcentes fructum vetitum, patitur Dominus flens amare & obtegitur ei ad ludibrium viſus eius. Peccauerunt auditu, in ſermone ſerpentis: patitur Chriſtus auditu, audiendo cõtumelias & opprobria. Peccauerunt olfactu, delectatione vetiti fructus: patitur Chriſtus odore cadauerum, in monte Caluariæ, & ſputorum in facie. Peccauerunt tactu & extenſione manus ad fructum: Paſſus eſt Dominus fixione manuum ad lignum crucis. Peccauerunt guſtu pomi: Dominus guſtauit fel, & acetum. Tranſtulerunt mortem in totum genus humanum: ideo Chriſtus mortuus eſt, & paſſus in omnibus membris ſuis. Tertio probatur generalitas Dominicæ Paſſionis, ratione. Paſſus eſt Dominus ab omni genere hominum, vnde dicit Propheta: Quare fremuerunt gẽtes & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt Reges terræ, Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. *Paſſus eſt Dominus à gentibus, talis erat Pilatus, tales erant milites qui eum flagellauerunt, coronauerunt, & crucifixerunt, tales erant qui irridebant ei, pendenti in cruce. Paſſus eſt a populo Iudæorum: illi clamabant, crucifige, crucifige: dimitte nobis Barrabam: illi comprehenderunt, conſpuerunt, percuſſerunt, morte condemnarunt, & crucifixerunt. Paſſus eſt à Regibus & Principibus, Herode, & Pilato: à Principibus Sacerdotum, a ſummis Pontificibus, Anna & Caipha. Paſſus eſt a mulieribus, per quas negauit eum Petrus, & quæ operam ſuam præbebãt inimicis eius, in domo Caiphæ. Paſſus eſt à diſcipulis: à diſcipulis deſertoribus, à Petro negatore, à Iuda proditore & traditore. Præterea generalitas paſſio-*

nis Dominicæ intelligitur, quia passus est Dominus in omnibus, quibus poterat Dominus læsi. Vide & attende ô anima mea, quia Iesus amor tuus, spes tua, consolatio tua salus tua passus est in toto tempore vitæ suæ, in toto corpore suo, in omnibus operibus suis. In infantia paupertatem & humilitatem stabuli, in quo natus est, præsepij in quo iacuit, fugam in Ægyptum. In adolescentia sua, morte turpissima & acerbissima occisus est, Deus meus, Dominus meus, passus es omni tempore, die ac nocte, hyeme & æstate, & omnibus horis. Tempore nocturno pessime tractatus, apud Caipham: diluculo condemnatus a concilio Iudæorum. Hora prima ductus ad Pilatum: a Pilato ad Herodem: inde rursus ad Pilatum, & vbiq; iniustissime accusatus. Hora tertia flagellatus, coronatus, & vocibus Iudæorum postulatus ad crucem. Crucifige, Crucifige. Hora sexta damnatus ad crucem, & crucifixus. Hora nona mortuus in cruce. Tristis esto ô anima, & fluant oculi tui fontes lachrymarum: quia tu Dominus Deus meus passus es etiam toto corpore, oculis tuis fleuisti, auribus audiuisti blasphemias, & contumelias, maxillis fuisti percussus, naribus odoratus es conspuentes, ore gustasti amaritudinem fellis & aceti, toto capite sensisti spineam coronam, in brachijs dura & immitia vincula, in manibus & pedibus crudeles clauos, in toto corpore sauissimam flagellationem. Passus quoque es in operibus tuis: contrarij enim erant prædicationi & doctrinæ tuæ, contrarij sanctæ conuersationi, contrarij miraculis tuis. Considera ô anima mea, quod mortuus sit morte turpissima, morte acerbissima. Passa quoque est Domine fama nominis tui, dicebant quia dæmonium habes tu, medium inter duos latrones crucifixerunt te, pauca

bona temporalia quæ habebas, veſtes corporis tui diripuerunt ſibi, contriſtatus es in anima, in matre tua, in diſcipulis, in amicis tuis. In hanc ſententiam plura quoque dicebat deuotus ille: ô Deus Pater omnipotens, æterne Deus, quid aut dici poteſt, aut quid cogitari, in quo non etiam paſſus eſt vnigenitus tuus: & tu ô anima mea, vide an non etiam paſſio Domini tui maior ſit omnibus doloribus huius ſæculi, & ingreſſa in te compatere Domino ſaluatori tuo. gratias illi age ex toto corde tuo, & ex totis viribus, ne vindicetur iuſtè in te, ſanguis illius iniuſtè fuſus pro te. Secunda ratio qua æſtimatur magnitudo Dominicæ paſſionis, eſt magnitudo debiti; quod exſoluit Dominus. Soluebat Dominus pro omnibus peccatis, tam originali quam actuali, pro omnibus ante eius mortem factis, & quæ in finem vſque ſæculi facturi

Iſa. c. 53. *ſunt homines, quod expreſſe dicit Propheta: Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum: Non culpam, illam enim non poteſt habere, qui eam non admiſit, ſed pœnam debitam culpæ? Cogita igitur tecum & multitudinem & horrorem tot peccatorum, à condito mundo vſque ad eius conſummationem, quorum numerus & turpitudo ſoli Deo eſt nota: cogita deinde pœnam temporalem & æternam debitam iuſtitiæ Dei, pro iſta offenſa Dei, & cum iſta diligenter expenderis, rumina tecum, qualis fuerit illius pœna, qui eam commutando in temporalem ſuſtinuit eam in vita ſua, & hoc fecit Dominus: dicit enim expreſſe Beatus Petrus: Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo, ſuper lignum, & vt rem iſtam bene conſideremus, tria ſunt nobis cogitanda. Primo quod quilibet peccans*

moria-

mortaliter, pro quolibet eiuſcemodi peccato, reus eſt iuſtitiæ Dei, & quod pro offenſa infinitæ maieſtatis, debitor eſt pœnæ æternæ infernalis, ſi igitur alicui tali debitori remitteretur iſta pœna æterna, ea conditione, vt ea commutaretur in pœnam huius vitæ proportionatam illi pœnæ æternæ: certe proportio talis inueniri nulla poſſet: nulla enim eſt proportio finiti ad infinitum, fingamus nihilominus hoc dari huic debitori, vt remittatur ei: ſed hoc per pœnam in tantum proportionatam pœnæ æternæ, quantum id poteſt aliquo modo cogitari, certe omnes intelligunt pœnam iſtius debitoris futuram eſſe incredibilem, & talis neceſſario fuit pœna & afflictio Domini ſoluentis pro debitis omnium noſtrum. Ex quo ſequitur, nec explicari nec cogitari poſſe Paſſionem Domini. Delicta quis intelligit dicebat Propheta, quis intelligit delictorum numerum, qualitatem, pœnam, ſolus ea nouit Dominus, & vniuerſorum & ſingulorum, omnium igitur illorum pœnas, qui per baptiſmum & pœnitentiam, in quibus eſt meritum crucis Chriſti, liberantur à pœnis æternis; illas omnes ſuſtulit in corpore ſuo Dominus, & quia Dominus omnes iſtas pœnas optime nouerat; idcirca tantum ſoluit Dominus pro iſtis meritis, & merendis pœnis æternis, quantum ſufficeret iuſtitiæ diuinæ, & quantum poterat ſolui à tali homine, qualis erat Chriſtus: tam vero homine, quam ſumus nos veri homines, ſed eo robuſtiore quo erat nobilior, & ſubſtantia humana & vnione diuina: nec ſolum ſoluit Dominus pro pœnis eorum, qui ab ijs per eius meritum liberantur, ſed pro pœnis totius generis humani, ſi totum genus humanum obtemperare illi voluiſſet,

& non

& non potius contempto ſaluatore elegiſſet perditorem dæmonem, hac ſufficiente iuſtitia patientis Domini, ſaluari totum genus humanum potuiſſet : & ad hoc faciendum ex parte ſoluentis Chriſti, abunde eſt ſatisfactum. Et hac quidem in re oritur difficultas. Paſſio Domini erat finita, & ea ratione infinite minor pœnis inferni, quopacto igitur ſatisfecit iuſtitiæ Dei, requirentis pœnam infinitam, & hoc eſt ſecundum quod dicebamus eſſe cogitandum. Paſſio Domini fuit ſacrificium, pro vniuerſis peccatis ſecundum Dei iuſtitiam, & diuinum beneplacitum Dei Patris, acceptantis illud in ſua iuſtitia Primo propter liberrimam & profundiſſimam obediẽtiam Chriſti, qui factus eſt *inquit Paulus,* obediẽs vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum. *Secundo propter profundam eius humilitatem, qui exſiſtens verus Deus, coæqualis Deo patri, humiliauit ſe vſque ad ſubſtantialem & realem formam ſerui, & in illo ſtatu ſerui, elegit abiectiſſima illorum ſeruorum, natus in ſtabulo, reclinatus in præſepio, circunciſus vt peccator, humiliatus vſque ad omnimodum contemptum, contumelioſam conſputationem, vſque ad crucifixionem inter latrones, & quis digne poteſt cogitare quo pacto complacuerit Deus, in iſta immenſa & incomprehenſibili humilitate. Poſtremò quod eſt in hac re præcipuum, fuit accepta Deo iuſtitia, hac paſſio Domini, propter inæſtimabilem & non explicabilem dignitatem, nobilitatem, præſtantiam Chriſti Domini patientis : qui erat nobiliſſimus in ſubſtantia corporis & animæ, puriſſimus in dotibus animæ & corporis, ſine peccato: & quod eſt caput totius rei: Erat vnitus Deo, vna perſona, Deus & homo Ieſus Dominus, propter quam illius nobilitatem,*

tatem ſufficiebat minimum illius opus pro noſtra redemptione: ſed Dominus non voluit nos ſolummodo redimere per potentiam, ſed etiam per iuſtitiam, & ſic intelligitur ſaluatio pro pœnis æternis, ſecundum iuſtitiam & beneplacitum Dei: quæ fundatur ſuper vera & iuſta iuſtitia. Neque hic eſt cogitandum, diuinitatem ſaluatoris ſubleuaſſe aliquo modo grauitatem paſſionis eius: quin imo aliquo modo eius diuinitas aggrauauit paſſionem. Diuinitas enim aſſumpſerat nobiliſſimam, & qualis ex quatuor elementis creari poterat, ſubtiliſſimam ſubſtantiam corporis: ex quo ſequitur, vt oſtendimus, maior paſſio. Deinde Deus omnium ſeueriſſime & grauiſſime punit peccata, ex quo ſequitur quod in tali præſentia reali diuinitatis, fortius etiam vindicabantur peccata quæ ſuſceperat in ſe vindicanda, vnde etiam prorumpit in hanc vocem: Deus Deus meus, quare dereliquiſti me? quibus verbis clariſsime intelligimus, relictum fuiſſe Dominum in natura ſua humana ſine conſolatione diuina, ſub iuſtitia Dei, punientis in eo omnium noſtrum peccata. Tertio, diuinitas effecit vt corpus tamdiu duraret ad pœnam: fieri enim aliequi non poterat, vt ab horti triſtitia viueret in horam nonam per tot afflictiones & mala quæ paſſus fuerat Dominus. Quod cor, aut quis intellectus poteſt capere dolorem paſsionis Dominicæ, niſi Deus? Superbenedicte, Superdilecte Ieſu, cor meum, omnia interiora mea, præ anguſtia contremiſcunt ad cogitationem dolorosæ, benedictæ paſſionis tuæ: quid dicam? quo fugiam? cum requiretur a me roſeus ſanguis tuus, quem ego cum tanta ingratitudine toties contempſi, fugere neſcio, niſi ad te ſolum Dominum & Deum meum, vnicam ſpem animæ meæ: ad te igitur confugio, proſterno me humillime

ſuſceperat in ſe Dominus. Sequitur tertia ratio, qua ſumitur ex ipſa forma & modo ſupplicij, quo mortuus eſt Dominus. Mortuus eſt enim Dominus omnium ſuppliciorum crudeliſſimo, & omnium maxime infami & præter ordinarium ſupplicium crucis, multa facta ſunt circa Dominum, quæ in cæteris damnatis ad crucem fieri non conſueuerunt, quæ res explicanda eſt preſſe, vt hiſtoria bene intellecta, pietate accendatur animus in ſic patientem pro nobis. Supplicium crucis tam ſemper fuit acerbum, Plenaque ex libello Lipſij de cruce.
vt omnis grauis dolor, omnis animi anguſtia, omne malum, omnis interitus non origine Chriſtiana, ſed vetere Latina naturali, crux & cruciatus nominetur, ea vi verbi, vt ad rem iſtam ſignificandam, nulla vox æque, aut idonea aut grauis exſiſtat. Qua etiam ratione, Crux ea ſignificatione, qua eſt lignum, cui ad ſupplicium affiguntur Rei, veteres vocare conſueuerat, infelicem arborem infelix lignum, infamem ſtipitem: erat enim hoc ſupplicium in horrore pariter ex vilitate, qua ratione vocat in Verrē illud Cicero crudeliſſimum teterrimumq́, & Poëta Nonnus, peſſimum quoddam fatum; quin etiam Ioti nomine, ſummi ſupplicij velut ob eminentiam deſignant iſtud Paulus ſummo ſupplicio, id eſt cruce afficiuntur. Ab eadem mente ſupremum Vlpianus dixit: Si liberi ſint ad beſtias dari, ſi ſerui ſupremo ſupplicio affici, cum enim aliud non exprimat, & de ſeruis reſponſum crucem recte intelligimus, cur non ignem inquies, cum Tertullianus etiam dixerit, & cenſuerit ſummam ignium pœnam. Quia ex Iuriſ. mente, Crux etiam ſupra ignem. Certe Paulus, hoc ordine, ſummi ſupplicij tria genera recenſet: Crucem, crema-
Lipſius de cruce lib. 3. cap. 1. lib 5 ſen. tit. 21. l. 8 ad legem Cornel. de falſis.
Ad Martyr. c. 4.

tionem,

tionem, de collationem. Præt Crux, & cum causa, si infamiam, magnitudinem, & præsertim diuturnitatem pœnarum in ea attendis: dicta hæc ipsa extrema pœna. Ita vero fuit infame hoc supplicium, vt eo fere, nisi in seruos non animaduerteretur: qua ratione cum legimus de seruili supplicio, crucem intelligimus. Lactantius cur si Deus fuit, & mori voluit, nõ saltem aliquo honesto genere mortis affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicij, quod etiam homine libero quamuis nocente, videatur indignum? Longum est vt explicemus verberationem, quæ fiebat flagris & loris, sæpe vsque ad internecionem, deductionem ad locum supplicij, in qua reus gestabat suam ipse crucem, vbi stimulis ad progrediendum per summum ludibrium exagitabatur, ipsam postremo violentam extensionem totius corporis, fixionem clauorum in manibus pedibusq;, illam manuum violentam protensionem, illam postremo male hærentem vitam, qua de re sic B. Augu. Cum eius obedientiam vsque ad mortem factam commemoraret Apostolus, parum illi fuit dicere, factus obediens vsque ad mortem, sed addidit: mortem autem crucis, illa morte peius nihil fuit, inter omnia genera mortium. Deniq; vbi dolores acerrimi exagitant, cruciatus vocatur, a cruce denominatus, pẽdentes enim in ligno crucifixi, clauis ad lignum pedibus manibusq; confixi, producta morte necabantur: non enim crucifigi, hoc erat occidi, sed diu vi-

Tract. 36 in Ioan.

uebatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur, mori voluit pro nobis, parum dicimus crucifigi dignatus, vsque ad mortem crucis obediens factus. Elegit extremum & pessimum genus mortis, qui omnium fuerat ablaturus mortem. Sed hæc

Christo

Christo dicet aliquis communia cum tot crucifixis. Respondeo, Supplicia maxime æstimantur persona in quam animaduertitur, sic reos inter reos suspendi nihil habet noui, verum innocentissimum ad ludibrium, medium collocare inter famosos sicarios & latrones, hoc certe non auget modo, sed est quoddam nouum genus supplicij, & huiuscemodi multa sunt in Domini Passione, in qua etiam multa Domino sunt illata, quæ cæteris reis inferre nulla Tyrannorum crudelitas consueuerat, Iam inde enim ab ingressu in hortum, vsque ad mortem, vna fuit veluti continua Domini crucifixi: cum & a singulis membris, pœnæ exigerentur, nec vllum ei temporis momentum, vacuum à grauissimis pœnis relinqueretur. Quarta ratio, ex qua æstimatur magnitudo Dominicæ Passionis, consistit in modo sensus qui fuit in Domino. Vulgo atque ordinarie sic est in nostro corpore, vt dolor cedat dolori, vt non sentiat paruum qui laborat maiore, non sentit leue vlcus, qui laborat podagra, qui ægrotat dentibus præ eo dolore, qui est acutissimus non sentit minores. In Christi corpore nulla fuit talis confusio, singula membra remanebant in suo particulari sensu, atque ea ratione simul sentiebat Dominus, & vniuersi corporis sui vnum quendam dolorem, & singulorum membrorum, singularem dolorem, si enim diuinitas ita singulariter in vnam personam vnita, non est operata vt corpus non doleret, qua ratione dicemus, hoc potuisse partem aliquam corporis? Præterea, si pars inferior animæ quæ erat tristis vsque ad mortem, non fuit impedita a superiore parte animæ, quæ petebat vt fieret voluntas Dei, cur non etiam eadem rationem sequemur in corpore? Cogitemus igitur quantus fuerit eius dolor, qui seorsim sentiebat singulas lacerationes

rationes carnis, inflictis loris, singulas profundas punctiones coronæ capitis, simul perforationes magnorum ferreorum clauorum, per neruosissimas & tot ossibus compactas manus atque pedes: immitem illam postremo, atque ipsa morte crudeliorem brachiorum extensionem, ad quam sine periculo hernia durare diu nemo potest, deinde sensit Dominus suos dolores, sine externo solatio, nam præter dolorẽ horti, contra quem ab Angelo est confortatus, in cæteris doloribus vniuersis, relictus est Dominus naturæ suæ humanæ, illæ igitur consolationes Martyrum, qualis fuit B. Stephani videntis Christum stantem, qualis cæterorum, qui vel cogitatione inferni, vel spe præmij manserunt in confessione fidei, illis omnibus caruit Dominus: neque illas quoque potuit habere Dominus, quas habent nocentes, & quibus nonnulli se solantur cogitatione peccati sui, sicut latro: Nos digna factis accipimus, alij vel stupiditate vel proteruia contemnunt periculum, qualis fuit impietas latronis blasphemantis: cuiusmodi impij homines multi commemorantur, qui etiam in turpi & merita morte, laudem sibi captant ex impia, proterua, & scelerata audacia. Sicut itaque tradit Damascenus; in Domino dolores vniuersi, vniuersorum membrorum, ita integri fuerunt, ac si singulos seorsim, diuerso tempore, sano corpore accepisset. Præterea Dominus sensit simul & eodem tempore, mortem omnium partium corporis sui, quod non est in cæteris hominibus, qui morbo extinguntur, in quibus prius moriuntur partes extremæ, postremo cor. Christus vero conseruauit vitam suam mortalem integram in singulis membris, vsque ad expirationem: vt ostenderet Iudæis, & omnibus in se crediturus, quia volẽs mortuus est, oblatus est, quia ipse voluit. Propterea,

Ioan. 10

terea, *inquit*, me diligit Pater, quia ego pono animam meam vt iterũ ſumam eam: nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, *Et vt hoc probaret Dominus euidenti teſtimonio, clamauit voce magna, & ſic expirauit: quod eſt contra ordinem omnium morientium, quibus amputatur caput, vel præſcinditur gula: illi equidem ante ſectionẽ clamare ſic poſſunt, neque enim morientes, dici poſſunt, ante ipſam ſectionem, verum vt illi qui luctantur cum morte, vt ſunt agonizantes, vel morbo, vel qua alia lenta morte, puta crucifixione, letali vulnere, vt illi clamando emittant animam, hoc certe nec vidimus nec legimus: atque idcirco iuſtiſſime ad huius rei conſpectum clamabat Centurio: Vere filius Dei erat iſte. Si igitur in robuſtis & ſanis, qui ſubitâ quâ vi morbi opprimuntur, maiores ſunt dolores, quam in ceteris, qui non ſic agrotant, ſequitur neceſſario grauiſſimum fuiſſe Domini dolorem: in cuius corpore, ſic omnia membra ad vitam atque ſenſum perdurarunt. Et quidem iſtis rationibus iudica ô homo, num humanus intellectus poſſit concipere profunditatem & acerbitatem doloris, quem portauit Dominus in corpore ſuo. Quid igitur ô miſericors Jeſu dicemus? quid faciemus tibi. pro inenarrabilibus, & triſtiſſimis pœnis, quas ſuſtinuiſti pro nobis peccatoribus? Si fieri hoc poſſet, vt tu noſtri egeres, & nobis mille vitæ ſuppeterent, quæ morte poſſent expendi in obſequium tui, non equidem poſſet res ea venire, in aliquam rationem expenſi, pro tanta tua charitate, quam impendiſti nobis, diuinæ igitur bonitati tuæ, agimus gratias, cui eſt laus & honor, & gloria in æternum. Amen.*

EXPLICATIO OFFICII.

OFficium hodiernum totum est pœnitentiale. Introitus incipit ab humilitate confessionis, & patientia tribulationum: & ad instructionem pœnitentium per quam quærunt beatitudinem profertur Psalmus 118. quo pronunciantur beati, qui sunt immaculati in via, hoc est qui ambulant in lege Domini: non beati, inquinati in errore, qui ambulant in peruersitate sæculi, sed beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Talis pœnitens fuit illa mulier peccatrix in ciuitate, quæ aliquando quæsierat beatitudinem non in via, sed in errore: & nũc translata in viam, ambulat illam viam. Collecta continet pulchram antithesim mali, quod fecit immoderantia, & boni, quod facit studium medicinalis parsimoniæ: hoc enim reformat dignitatem humanæ conditionis, quam illa sauciauit, vehementer itaque diligere nos oportet hanc medicinam. Epistola est pulcherrima oratio ecclesiæ afflictæ & ad illam orationem accommodatæ subditur in graduali: Tollite hostias, introite in atria eius, adorate Dominum in aula sancta eius. O gentes si vultis intrare in atria eius, nolite vacuæ intrare, tollite hostias, quas hostias nobiscum apportaturi sumus? Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit: cum humili corde intra in domum Dei, & cum hostia intrasti, sic intrantibus reuelabuntur condensa, tolletur feritas, obscuritas, & error siluarum, & in templo eius omnes ei dicent gloriam. Euangelium est pulcherrimum, de conuersione Beatæ Magdalenæ: ad cuius lectionem cuidam sancto

magis

magis placebat flere, quam multa loqui. In Offertorio proponitur notissimus Psalmus: Super flumina Babylonis. Humiliati ergo in captiuitate nostra sedeamus super flumina Babylonis, non nos audeamus in illis fluminibus precipitare, nec nos audeamus in nostræ captiuitatis malo atque tristitia, superbe erigere: sed sedeamus, & sic fleamus; sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis, talis sit humilitas nostra, vt nos non mergat. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine; sed tamen sede, humilis loquere, non quomodo in Hierusalem: ibi enim statis. Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem, ibi erigeris, si te hic pœnitendo & confitendo humiliaueris, monent Durandus & Rupertus, apposite hoc die recitari hunc Psalmũ, in quo suspenduntur organa ad salices, in quo cessant cantica propter aduentum passionis Dominicæ: & ea etiam ratione nullum in posterum recitari in Ecclesia Euangelium, in quo Christus concionetur Iudæis. Qui se obtulerat Deo cum fletu, in recordatione Sion; ille communicatus maiore spe se erigit: Memento inquit verbi tui seruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti: hac me consolata est in humilitate mea.

MISSA FERIÆ V. POST DOMINIC. DE PASSIONE.

INTROITVS.

OMnia quæ fecisti nobis Domine, in vero iudicio fecisti: quia peccauimus tibi & mandatis tuis non obediuimus: sed da gloriam Dan. 3.

nomini tuo,& fac nobiſcum ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ.

Pſal. 118 *Pſal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.

OREMVS.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus, vt dignitas conditionis humanæ, per immoderantiam ſauciata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformetur. Per Dominum.

DEprecationem noſtram omnipotẽs Deus benignus exaudi: & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium.

Lectio Danielis Prophetæ.

Cap. 3. IN diebus illis: Orauit Daniel Dominum dicens: Domine Deus noſter ne quęſumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuũ, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abrahã dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſraël ſanctum tuum: quibus locutus es pollicẽs: quod multiplicares ſemen eorum, ſicut ſtellas cœli & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris. Quia Domine imminuti ſumus pluſquã omnes gentes: ſumuſque humiles in vniuerſa terra hodie, propter peccata noſtra. Et non eſt in tempore hõc princeps & Propheta & dux: neque holocauſtum, neque ſacrificium, neq; oblatio, neq; incenſum, neque locus primitiarum corã te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam: ſed in animo contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. Sicut in holocauſto arietum & taurorum & ſicut in millibus agnorum pinguium, ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, vt placeat

placeat tibi, quoniã non eſt confuſio confidentibus in te. Et nunc ſequimur te in toto corde: & timemus te & quærimus faciem tuam. Non confundas nos, ſed fac nobiſcum iuxta mãſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinẽ miſericordiæ tuæ, & erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine, & confundãtur omnes, qui oſtendunt ſeruis tuis mala: cõfundantur in omnipotentia tua, & robur eorũ conteratur: & ſciant quia tu es Dominus Deus ſolus, & glorioſus ſuper omnem terram, Domine Deus noſter.

Graduale. Tollite hoſtias, & introite in atria eius, adorate Dominũ in aula ſancta eius. *Verſ.* Reuelabit Dominus condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. *Pſal. 95.*

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Lucam.

IN illo tẽpore. Rogabat Ieſum quidã Phariſæus, vt mãducaret cũ illo. Et ingreſſus domũ Phariſæi diſcubuit Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quod Ieſus accubuit in domo Phariſæi attulit alabaſtrũ vnguẽti: & ſtans retro ſecus pedes eius; lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius, & vnguẽto vngebat. Videns autẽ Phariſæus quia vocauerat eũ, ait intra ſe, dicẽs: Hic ſi eſſet Prophera, ſciret vtiq; quæ & qualis eſſet mulier, quæ tãgit eum, quia peccatrix eſt. Et reſpõdẽs Ieſus dixit ad illũ: Simon habeo tibi aliquid dicere at ille: Magiſter dic: Duo debitores erant, cuidam feneratori: vnus debebat denarios quingẽtos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde red- *Cap. 7.*

derent,donauit vtriſque. Quis ergo eum plus diligit? Reſpondens Simon, dixit: Æſtimo, quia is, cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicaſti, Et conuerſus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuã: aquam pedibus meis non dediſti : hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis terſit. Oſculum mihi non dediſti hæc autem ex quo intraui , non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguẽto vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cęperunt qui ſimul accumbebant dicere intra ſe. Quis eſt hic, qui etiam peccata dimittit? dixit autem ad mulierem: fides tua te ſaluam fecit; vade in pace.

Pſal. 136 *Offertorium.* Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus , dum recordaremur tui Sion. *Verſ.* I. In ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra, quoniam illic interrogauerunt nos , qui captiuos duxerunt nos, verba cautionum: & qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion, quomodo cantabimus canticum Domini in aliena terra. *Verſ.* II. Si oblitus fuero tui Hieruſalem, obliuiſcatur me dextera mea: adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi tui non meminero. *Verſ.* III. Memento Domine filiorum Edom, in die Hieruſalem.

Secreta.

DOmine Deus noſter , qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ ſubſidium

sidium condidisti,tuo quoque nomini munera iussisti dicanda constitui: tribue quæsumus; vt & vitæ nobis præsentis auxilium, & æternitatis efficiant sacramentum.

Præfatio.

AEterne Deus,qui sic nos tribuis solemne tibi deferre ieiunium,vt indulgentiæ tuę speremus nos percipere subsidium;sic nos instruis ad celebranda Paschalia festa , vt per hæc acquiramus gaudia sempiterna.Per Christum.

Communio. Memẽto verbi tui seruo tuo Domine,in quo mihi spem dedisti,hæc me consolata est in humilitate mea.

Post. Communio.

QVod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus: & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per Dominum.

Super populum.

ESto quæsumus Domine propitius plebi tuæ: vt quæ tibi non placent respuentes; tuorum repleantur delectationibus mandatorum. Per Dominum.

SVccurre quæsumus Domine populo supplicanti, & operam tuam tribue benignus infirmis,vt sincera tibi mente deuotus,& præsentis vitę remedijs gaudeat & futurę. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

Gratia sua nos Dominus locupletet, & cœlesti benedictione multiplicet. *Amen.*

Ab omni nos aduersitate defendat, & pia semper miseratione custodiat. *Amen.*

Petitiones nostras placatus intendat, & culparum omnium nobis veniam clementer attribuat. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA VI. POST DOM. De Passione.

FAsciculus Myrrhæ præter ea quæ iam descripsimus, sic explicat grauitatem & multitudinem vulnerum, quæ suscepit Dominus in corpore suo. Quamuis soli Deo notus sit numerus vulnerum & verberum quæ pertulit Dominus in corpore suo: potest tamen res ea aliquo modo æstimari tribus cansis, crudelitate eorum, à quibus patiebatur, numero membrorum in quibus Dominus cruciabatur, & scriptis piorum & religiosorum hominum, de crudelitate dubitari nulla ratione potest, quin Iudæi, & eorum hortatu Gentiles, ea fecerint circa Dominū, quæ illi ad dolorem acerbissima, ad iniuriam grauissima, sibi ad vindictam iucundissima ad crudelitatem sæuissima viderentur, quod sic spiritu prophetico Dauid: Vim faciebant qui quærebant animam meam, *& alibi idem Propheta in persona Domini, dicit se humiliatum & afflictum nimis: & idcirco clamasse ad Dominum: quærebant itaque isti animam Domini, in omnibus partibus, in quibus illa potest inueniri: quærebant eam vt occiderent Dominum in capite Domini, percussione, coronatione, contusione: quærebant eam in omnibus partibus corporis, vt à planta pedis, vsque ad verticem capitis, non*

Psal. 37.

tis, non esset sanitas in eo: & singulariter in extensione super lignum crucis: cum omnes nerui & arteriæ sunt distractæ: quærebant animam eius in sanguine, per flagellationem & crucifixionem: & vt plane sibi constaret de inuenta anima, quam quærebant: lanceæ aperuerunt latus eius, vt vel sic vulnerato corde, non maneret apud eum anima eius. Secundo consideratur multitudo vulnerum Domini, ex multitudine membrorum corporis nostri: tot enim fuerunt Domini vulnera, quot fuerunt eius membra, & quidem quirem istam exactè tradiderunt; illi dicunt in corpore humano, inueniri ossa ducenta sex & septuaginta: neruos minores per quos fit motus, quingentos nouem & viginti: neruos maiores septem & septuaginta: venas & arterias innumerabiles. In omnibus istis membris passus est Dominus, & hoc principaliter pendens in cruce, cum sicut chorda in instrumento, tensa sunt omnia exteriora & interiora eius: quem etiam dolorem omnium membrorum sensit Dominus, cum humi affixus cruci, vna cum corpore affixo, eleuatum est lignum: & deinde demissum in foramen cui insisteret: ex ista enim conquassatione totius corporis, incredibilem illius dolorem extitisse facile omnes intelligimus, quin illæ partes corporis, quæ ab ijs vulneribus, quæ diximus, immunes existebant, vt lingua & gutur, felle myrrha & aceto sunt excruciatæ, vt igitur ista recte, & cum iudicio à nobis cogitentur, illud hic est repetendum, quod antea monuimus, non fuisse in istis doloribus eam confusionem, quæ in nostris corporibus inuenitur. sed mẽtẽ & corpus ita singula & cognoniſſe, & sensisse, ac si sola ea existerẽt. Quomodo ô misera anima mea, quæ rides,

quæ

quæ luxuriaris, quæ viuis in delicijs, in hoc seculo, quomodo non conturbaris in te ipsa, quomodo adista non exhorresci? Tertio cognoscitur hæc multiplicitas dolorum ex scriptis deuotorum hominũ. B. Anselmus dicit spineam coronam fecisse mille vulnera. B. Bernardus dicit caput Domini fuisse omni sui parte vulneratum: & corpus vniuersum, a planta pedis vsque ad verticem, ita fuisse laceratum, vt corium discindi cultro in minores portiones non potuerit. Præterea Bonauentura, Magister Iordanus, & doctor Ioannes Gritz, dicunt fuisse in corpore Domini vulnera, è quibus flueret sanguis, quinquies mille, quadringenta, septuaginta quinque: vulnera contusionis, quæ liuorem contraxerant, mille, centum, vnum, & nonaginta; Alapas in faciem duas, & ducentas: verbera pugnorum in humeris, & reliquum corpus centum viginti: consputiones in faciem, tres & septuaginta: cum comprehenderetur, trigesies fuisse percussum os benedictum, ante quam perduceretur Hierosolymam septies fuisse protrusum in terrã, & ad surgendum tractam illi fuisse barbam & capillos: in gestatione crucis, quinquies collapsum in terram, graui ligno vulnerasse caput, faciem, corpus denique totum. Præterea renouata fuisse ista tam multa vulnera, cum vestibus est exutus in monte Caluariæ, vt ibi crucifigeretur: & cum deinde non leuiter impositus, sed crudelissime ligno est iniectus, quis ista bene cogitat bone Iesu, nisi tu misereris, nisi tu das spiritum cogitandi spiritum meditandi. spiritum amandi & sequendi te, quem vt nobis largiaris, nobis custodias, te rogamus Domine Deus noster.

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

FEria sexta legitur hoc Euangelium: Collegerunt Principes & Pharisæi concilium aduersus Iesum, & dicebant: Quid facimus quia hic homo signa multa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credẽt in eum: causamq; suæ sollicitudinis quasi rationabilem adhibentes: Et venient inquiunt, Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. Nam sub imperio Romanorum erant, quia iam ablatum erat sceptrum de Iuda, & dux de femore eius: & Pilatum Romanæ potestatis præsidem habebant. At illi quia sic timuerunt pruinam, irruit super eos nix: & duplici contritione contriti sunt. Nam & locum & gentem perdiderunt, & deleti de libro viuentium, in terra scripti sunt. Bene ergo illa lectio Hieremiæ Prophetæ præmittitur, aduersus canes illos, qui Dominũ circundederunt, aduersus illud concilium malignãtium quod obsedit illum, Domine omnes qui te derelinquunt, confundentur: & recedentes à te, in terrã scribentur, & post pauca, prauam sollicitudinem eorum intuens, qua dicunt: Venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Paueant inquit illi, & non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos. Quod factum est per Titum & Vespasianum: quando regno Dei iam perdito, locum quoque & gentem perdiderunt. Quamuis autem multoties Iudæi Dominum quæsierunt occidere, nam & lapides non semel sustulerũt, vt illum lapidarent: ministros quoque miserunt Põtifices & Pharisæi, vt illum apprehenderent: recte tamen de hoc concilio dixit Euangelista: Ab illo ergo die

Reperitur hic.

die cogitauerunt vt interficerent eum, nunc enim quasi non tumultuarie vel populari seditione, aut cum præiudicio, sed legitima iudicij sessione sibi videbantur actitare, sollicitudinem suam (vt dictum est) prætendentes, ne cum rex appellaretur, ipsi Rei maiestatis apud Romanum Imperium, sub quo erant addicerentur. Toti quoque huic actioni optime conueniunt partes officij. Psalmus qui est in introitu pertinet ad Christum: quia dignatus est assumere formam serui, & in ea nos vestire se, qui non est dedignatus assumere nos in se, non est dedignatus transfigurare nos in se, & loqui verbis nostris, vt & loqueremur verbis ipsius, hæc enim mira commutatio facta est, & diuina sunt peracta commercia, mutatio rerum celebrata in hoc mundo à negotiatore cœlesti. Venit accipere contumelias, dare honores, venit haurire dolorem, dare salutem, venit subire mortem, dare vitam. Moriturus ergo ex eo, quod nostrum habebat, non in se, sed in nobis pauebat: quia ex hoc dixit tristem esse animam suam vsque ad mortem. In te Domine speraui, non confundar, dum tanquam homini simili cæteris, insultabitur. Videtis quia & pauet & sperat, loquitur ergo hic Christus in Propheta: audeo dicere Christus loquitur: dicturus est quædam in hoc Psalmo, quæ quasi Christo non videantur posse congruere, illi excellentiæ capitis nostri, maximeq; illi verbo, quod in principio erat Deus apud Deum: nec ei in forma serui fortasse videbantur verba quædam hic congruere, quam formam serui suscepit ex virgine, & tamen Christus loquitur, quia in membris Christi Christus. Graduale optime congruit hodierno officio. Pacifice mihi loquebantur inimici

mei

mei &c. Quæ patifica loquebantur? Magiſter ſcimus quia nullius perſonam accipis, & in veritate viam Dei doces, licet dari tributum Cæſari an non licet? Quid ergo eos tu non agnoſcebas? & fallebant oculis annuentes? imo agnoſcebat, ideo ait: quid me tentatis hypocritæ? & quod eſt in Euangelio: Ieſus ergo iam non palam ambulabat, poſtea in ira moleſti erant mihi: Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum, poſtea dilatauerunt in me os ſuum, clamantes: crucifige crucifige, & huic malo illorum concilio, quod eſt in Euangelio, opponit graduale. Verſ. Vidiſti Domine ne ſileas. Recte quoque in offertorio fit mentio ſuperborum, calumniatorum & de exprobantibus verbum, ſuper quæ laudat Dominum. Communio. Ne tradideris me in animas tribulantium me. Hoc & cætera dicit communicatus, ad memoriam illius iniqui iudicij. Ne tradideris me in animas tribulantium me; id eſt ne conſentiam tribulantibus me: ſi enim conſenſeris tribulantibus te in anima, quodammodo non deuorabunt carnem, ſed voluntate peruerſa animam tuam manducabunt. Ne tradideris me in animas tribulantium me. Trade ſi hoc placet in manus tribulantium. dixerunt hoc illi Martyres; & tradidit ſuos in manus tribulantium. Sed quid tradidit? Carnem, quod dicitur in libro Iob. Terra tradita eſt in manus impij: caro tradita eſt in manus perſecutoris, ne tradideris me, non carnem meam, ſed me. Anima tibi loquor, mente tibi loquor non dico, noli tradere carnem meam in animas tribulantium me: ſed noli me tradere in animas tribulantium. Et quomodo traduntur homines in animas tribulantium ſe? Quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui. Iam quia teſtes iniqui ſunt,

& multa

& multa mala in me dicunt, & in multis mihi detrahunt, si traditus fuero in animas eorum, mentiar, & ero socius eorum, non particeps veritatis tuæ, sed comparticeps mendacij aduersus te. Exsurrexerunt mihi testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi. Sibi non mihi, sibi semper mentiatur, mihi autem non mẽtiatur. Si tradideris mẽ in animas tribulantium mẽ, id est si consensero voluntatibus eorum, iam non sibi mentita est iniquitas, sed mihi. Si autem sæuiant quantum voluerint, & conentur impedire cursus meos, non tamen tu me des in animas eorum, non cõsentiendo voluntatibus eorum, remanebo ego & permanebo in veritate tua, & mentietur iniquitas non mihi, sed sibi. Sicut Caiphas mentitus est sibi, nõ Deo; neque illi ordini, quem habebat à Deo.

MISSA FERIÆ VI. POST DOM. De Passione.

Psal. 30. MIserere mei Domine quoniam tribulor: libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorum, & à persequentibus me. Domine non confundar quoniam inuocaui te.

Psal. Inte Domine sperani nõ confundar in æternum: in iustitia tua libera me.

OREMVS.

COrdibus nostris quæsumus Domine gratiam tuam benignus infunde: vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, tẽporaliter potius maceremur, quam supplicijs deputemur æternis. Per Dominum.

Auerte

AVerte quæsumus Domine iram tuã propitiatus à nobis:& facinora nostra quibus indignationem tuam prouocamus,expelle.Per Dominum.

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis,dixit Hieremias:Domine omnes qui te derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra scribentur:quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sana me Domine,& sanabor: saluum me fac, & saluus ero: quoniam laus mea tu es. Ecce dicunt ad me : vbi est verbum Domini? Veniat.Et ego non sum turbatus,te pastorẽ sequens:& diem hominis non desideraui.tu scis, quod est egressum de labijs meis , rectum in conspectu tuo fuit.Non sis mihi tu formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur, qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego . Induc super eos diẽ afflictionis;& duplici contritione contere eos Domine Deus noster. *Cap. 17.*

Graduale. Pacifice loquebantur mihi inimici mei:& in ira molesti erant mihi. *Vers.* Vidisti Domine ne sileas,ne discedas à me. *Psal. 34.*

Tractus. Domine non secũdum peccata nostra quæ fecimus nos,neque secundum iniquitates nostras,retribuas nobis. *Vers.* Domine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum. : cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis . Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos; & propitius esto peccatis nostris , propter nomen tuum. *Psal. 102* *Psal. 78.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

Cap. 11. IN illo tempore: Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersum Iesum & dicebant. Quid facimus? quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credẽt in eum. Et venient Romani & tollent nostrum locum & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetauit: quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos: sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum discipulis suis.

Psal. 118 *Offertorium.* Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas, & non tradas calumniantibus me superbis; & respondebo exprobrantibus mihi verbum. *Vers.* I. Vidi non seruantes pactum & tabescebã: Domine quando facies de persequentibus me iudicium? *Vers.* Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: confundantur & reuereantur qui iniuste iniquitatem fecerunt in me.

Secreta.

PRæsta nobis misericors Deus: vt digne tuis seruire semper altaribus mereamur: & eorum

rum perpetua participatione ſaluari. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus, cuius nos miſericordia prę-uenit, vt bene agamus: ſubſequitur ne fruſtra agamus: accendit intentionem, qua ad bona opera peragenda inerdeſcamus: tribuit efficaciam, qua hæc ad perfectum deducere valeamus. Tuam ergo clementiam indefeſſis vocibus obſecramus: vt nos ieiunij victimis à peccatis mundatos, ad celebrandam vnigeniti filij tui Domini noſtri paſſionem, facias deuotos. Per quem maieſtatem.

Communio. Ne tradideris me Domine in animas perſequentium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Poſt-Communio.

SVmpti ſacrificij Domine perpetua nos tuitio nō derelinquat, & noxia ſemper à nobis cuncta depellat. Per Dominum.

Super populum.

COncede quæſumus omnipotens Deus, vt qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati à malis omnibus, ſecura tibi mēte ſeruiamus. Per Dominum.

OMnipotens ſempiterne Deus, clementiā tuam ſuppliciter exoramus: vt qui mala noſtra ſemper præuenis miſerando, facias nos tibi placitos, & pijs actionibus & ieiunijs ſalubribus expiando. Per.

Benedictio.

BEnedictio nos Domini comitetur vbique, libiq́ue ſemper nos faciat inhærere. *Amen.*

Ipſe nos ſua benedictione ſaluificet, qui dignatus eſt plaſmare potenter. *Amen.*

Atque ita nos præſtet: feliciter viuere, vt cęleſtis beatitudinis faciat cohæredes *Amen.*

Quod ipſe &c.

SABBATHO POST DOMINIC. DE PASSIONE.

Continuatio tertiæ meditationis Dominicæ Paſſionis, de doloribus quæ fuerunt in anima Domini.

SVperiores meditationes verſatæ ſunt circa dolores, quos pertulit Dominus in benedicto mortali & humano corpore ſuo: proximum eſt vt explicemus dolorem, quem ſenſit Dominus in anima. Habuit Dominus verum mortale & terrenum corpus, minore miraculo formatum a Deo quam fuit Adami & Euæ, & vt eſſet verus homo, habuit quoque Dominus veri nominis ipſam formam hominis, vere ſubſiſtentem animam, nobiliorem propter iuſtitiam originalem, & propter vnionem verbi, eſſentialiter nihilominus eiuſdem generis animam, qualis eſt cæterorum hominum, in qua ſicut in corpore ſuſceperat etiam Dominus infirmitates & defectus naturales, quæ non ſunt peccatum, qua ratione legimus Dominum triſtem lachrymantem, infrementem ſpiritu, commotum & accenſum Zelo iuſtitiæ, lenem, & commotum miſericordia ea mutatione animæ, quæ non eſt futura in cœlo. In iſta igitur anima creata à Deo, & vna cum conceptione infuſa à Deo, in iſta

ista anima, quæ cœpit vna cum Christo, quæ non fuit ante Christum, quæ fuit separata à corpore Christi, per mortem, in ista anima passus est Dominus grauissimos dolores grauiores omnibus doloribus omniũ animarum non separatarum à corpore, de huiuscemodi enim doloribus quæritur in Domini Passione, non etiam de ijs doloribus, quos sentiunt animæ separatæ à corpore: & istos grauissimos dolores sensit Dominus, & in inferiore & in superiore parte animæ. Inferiores vocamus eas potentias, quæ non sunt intellectus: Superiorem vero ipsum intellectum. Et quidem de inferiore clarissima sunt verba Euangelistarum. Matth. cœpit contristari & mœstus esse, tunc dixit illis: tristis est anima mea vsque ad mortem, & quod sequitur de trina oratione: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste. Marcus, cœpit pauere & tædere & ait illis : Tristis est anima mea vsque ad mortem, & quod sequitur, de intentissima oratione procidentis super terram, & orantis: vt si fieri posset, transiret ab eo hora. Lucas: Positis genibus orabat dicens: Pater si vis transfer calicem istum à me, apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum, & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis, decurrentis in terram. In superiore vero parte animæ grauissimus quoque fuit dolor, qui enim apposuit scientiam, apponit & dolorem dicit sapiens, & hunc dolorem vocat fasciculus myrrhæ dolorem compassionis. Possidonius scribit B. Augustinum antequam ægrotaret, diu fuisse in maximis & grauissimis animi doloribus, & hoc propter prudentiam, qua præuidebat, quæ mala habitura esset ecclesia Africana, à Vandalis, qui Africæ imminebant, cum igitur tanta esset, tam excellens Christi anima, sequitur neces-

sario vidisse Dominum dolorem benedictæ matris suæ, cuius animam pertransibat gladius doloris: vidisse fugam & lapsum discipulorum, afflictiones, tot futurorum Martyrum: perfectissime quoque intellexisse Dominum innocentiam suam, iniustitiam hostium suorum: vidisse tot hominss pro quibus factus esset homo pro quibus moreretur, & ex illis tot, tam multos contempta sua salute, liberrima voluntate vltro in dæmonis potestatem se tradituros, atq; hæc quo perfectius intellexit, eo plus dolere Dominum fuit necesse, si pia & religiosa mater certe intelligeret filium a se genitum, damnandum, morte aeterna, omnino inter summas filii fœlicitates, licet eum cerneret totius orbis terrarum potentissimum Monarcham, inter illos nihilominus triumphos, & populorum gaudia; sola mater tristissime semper vel doleret, vel fleret, & hoc propter dilectionem & scientiam, quî potuit igitur accidere, vt non etiam ea parte animæ grauissime doleret Dominus? accedit huic considerationi authoritas scripturæ, quæ dicit in per-

Psal. 87. *sona Domini: Repleta est malis anima mea, quod vtique intelligitur de doloribus, quibus anima carni compatitur, vel malis pereuntis populi compatiendo. Probat quoque rem eandem ipsa ratio. Si Dominus inuitus passus fuisset, nullum fuisset eius passionis meritum: quia igitur volens se obtulit, & passus est: sequebatur vt eiuscemodi medicinam assumeret, quæ esset proportionata fini & malo, cui medendo adhibebatur. Peccauerat homo omnibus potentiis animæ, inferioribus & superioribus: sanare igitur eum debebat Christus, & pro eo soluere debebat Christus, omnibus etiam animæ suæ potentiis, & quia in summo gradu offensa fuerat diuina iustitia, debuit illa quoque in perfectissimo gradu pœna satisfieri ab eo,*

qui

qui ſolutionem debiti in ſe vltro ſuſceperat: Sed huic ſententiæ videtur refragari, quod anima Domini ſemper fruebatur viſione Dei; atque ea ratione non videtur potuiſſe incidere in eam partem animæ, vllus vel leuiſſimus dolor. Reſpondeo. Verum eſt quod præmittitur, ſed non recte ſequitur quod inde colligitur: Chriſti enim anima, dum viueret Dominus in carne, licet haberet continuam viſionem Dei, quam habent Angeli, in eo tamen erat diuerſa ab illa conſtitutione beatorum ſpirituum, quod corpori mortali eſſet connexa: atque ea ratione ad eum etiam pertinerent dolores: & potentiæ iſtæ inferiores annexæ corporibus, quas non habent Angeli: quin hoc multis rebus animaduertimus, vt anima in vno atque eodem negocio, ſimul gaudeat & triſtetur, in morbo ſi cui ſecandus eſt pes vel manus, quia ſine ea ſectione non poteſt retineri vita, ſimul & dolet anima, propter dolorem & amiſſionem membri, & gaudet anima, quia ſic conſeruat vitam, tanto gaudio, vt grauiſſime contra doleret, ſi intelligeret vel neminem reperiri, qui ſecare id poſſet, vel eo progreſſum eſſe malum, vt ſectio inutilis ſit futura, videmus idem in pœnitentibus, qui ex eodem luctu ſimul & dolent & gaudent. Præterea hoc fuit ſingulare in Domini paſſione, vt neque diuinitas, neque ſuperior pars animæ ſapientia nimirum & conſolatio intellectus, effunderet ſe in partem animæ inferiorem: ſingulæ enim potentiæ relinquebantur naturali ſuæ operationi & dolori: quod clare diſcimus ex iis quæ acciderunt Domino in horto, vbi Dominus non fuit conſolatus, vel ab intellectu videre Deum, nec a verbo vnito humanæ naturæ, ſed ab Angelo. præterea ſi hoc fuiſſet neceſſarium, vt ſemper diuinitas id ageret, quod illi competebat:

non fuisset in Domino proprietas humanæ naturæ, quæ sententia repugnat fidei & religioni Christianæ. Habuit igitur Dominus in anima simul, eodem tempore & negocio, summum gaudium propter visionem Dei, & summum dolorem: & assumptum voluntarie, & simul proficiscentem ex ipso supplicio, supplicijq; varijs & crudelissimis circunstantijs, & isti dolores erant puri, nulla admixta consolatione, qua occasione clamauit Dominus in cruce: Deus Deus, quare dereliquisti me; quod certe dicere Dominus non potuisset, si dolorum suorum consolationẽ a Domino accepisset, potuisset Dominus nos liberare à malis animæ nostræ, & a doloribus inferni leui dolore animæ suæ: nam propter dignitatem personæ suæ, res ea fuisset infiniti valoris: sed Dominus in liberatione nostra, non solum habuit rationem potentiæ suæ, sed multo etiam magis iustitiæ Dei, tantũ enim dolorem assumpsit Dominus in anima sua benedicta, quantus si diuideretur æqualiter in omnes homines, mori singulos esset necesse, & hoc multi deuoti sic religiose & dicunt & sentiunt. Ex omnibus vero doloribus, quos pertulit Dominus in anima sua, summus & præcipuus fuit ille, quem dicebamus dolor compassionis, & hoc ea ratione: quia iste dolor plures habuit causas: certum vero est crescere dolorem multitudine causarum. Si matri moritur filius, dolet mater, si moritur non morbo sed vel cæde vel qua alia iniuria magis etiam dolet, si moritur supplicio adhuc grauius, si præterea accedat magna turpitudo criminis, magna supplicij acerbitas filij, postremo in morte impœnitẽtia omnino pro rei gravitate crescit & dolor, eadem fuit ratio in Domino, dolor quæ fuit in inferiore parte animæ, proficiscebatur ex consensu corporis & animæ: dolor vero intellectus

lectus plures habuit causas. Compassionem benedictæ matris suæ, discipulorum suorum, & singulariter tristitiam de peccatis nostris, primo quia per ea fit iniuria Deo patri. Secundo quia peccata nostra tam erant mala, vt pro ijs expiandis & satisfaciendum iustitiæ diuinæ necesse esset, sic pati filium Dei. Tertio quod licet sic pateretur & moreretur, multi tamen essent carituri fructu tanti sui beneficii. Quarto quia videbat nostram ingratitudinem. Quinto quia videbat priuationem regni cœlestis, a quo multi sese essent excluſuri. Sexto quia intelligebat immensitatem pœnæ infernalis, præparatam tam multis ingratis. Cum itaque consideratio nostrorum peccatorum tam habeat multa, certo tenendum est peccata nostra præcipuam fuisse causam dolorum Domini. Cogita itaque si potes, & recogita si vales, quoties per nostra peccata violatur nomen Dei, quoties per nostra peccata iterum crucifigitur filius Dei, quot animæ separatæ sunt, & adhuc peribunt à consortio Dei, quanta sit hominum ingratitudo, quot peccata mortalia hactenus commissa sunt, & adhuc facient homines, quot homines iam acceperint, & adhuc sunt accepturi iudicium damnationis, quantum bonum amiserint, quãtum malum acceperint, & si tu ô anima non potes istud examinare, hoc certe optime & exactissime faciebat anima Domini tui, quæ pro singularum earum rerum magnitudine, satisfaciebat diuinæ iustitiæ in dolore animæ suæ. Quomodo igitur ô anima mea effunderis in gaudia sæculi, in voluptates terrenas, ita dolente anima Domini tui, quis ferat filios exultantes inter cruciatus parentum, multis beneficiis beatos, illo sic lugente, qui dedit. Absit, tu hoc corrige Domine Deus meus, tu sana palatum cordis mei: vt sapiat dolo-

rem pœnitentiæ, & ſapiat dolorem operantem ſalutem. Amen.

HISTORIA HVIVS Sabbathi.

Rup lib. 5. cap. 6.

HOdiernum Sabbathum in libro Sacramentorum & Antiphonario hanc habet inſcriptionem: Sabbatham vacat, Dominus Papa eleemoſynam dat, de quo titulo ſic ſcribit Rup. Sabbatho vacat, quãdo Dominus papa eleemoſynam dat, hoc ſabbathum illud eſt, quo Dominus Bethaniam venit, & in domo Lazari, quem ſuſcitauerat cœnam habuit, ſicut Euangeliſta refert, Ieſus ergo ante ſex dies ſolemnitatis Paſchæ venit Bethaniam: vbi fuerat Lazarus mortuus, quem ſuſcitauit. Fecerunt autem ei cœnam ibi, Lazarus vero vnus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici, & vnxit pedes Ieſu, & exterſit capillis ſuis, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Ibi celebri myſterio commendatum eſt odoriferum opus eleemoſynæ. Maria namq; typum geſſit eccleſiæ, pedes autem Domini pauperes ſunt infimi, qui quamuis extrema, tamen eius membra ſunt, per coniunctionem & vnitatem fidei, mulier pedes Domini vngit, & capillis ſuis qui vtiq; ſuperfluunt, exterſit: quoties diuites qui ſunt in eccleſia, pauperes fideles miſericordiæ blandimento refouent: & de ijs quæ ſibi abundant, illorum inopiam ſupplent. Vt ergo Romanus Papa celebrem cum Maria Domino cœnam exhibeat, hoc ſabbatho eleemoſynam dat, atque ita circa pedes Domini occupato eo, ſabbathum vacat. In memoriam itaque iſtius cœnæ, quæ facta eſt Domino in Bethania in domo Simonis le-

proſi, Dominus Papa facit cœnam, dat eleemoſynam Chriſto in membris eius: & ob illam occupationem vacat à ſtatione; forſan etiam vt ſufficiat ſolemnitati diei ſequentis, quia in re non incongrue hoc videtur quæri poſſe: qua ratione ſit effectum poſterioribus tẽporibus, cum huic ſabbatho aſſignatum eſt officium, vt non etiam iſta cœna fuerit propoſita in Euangelio. Reſpondeo. Cum ſabbathum iſtud reuera eſſet vacans, placuit vt proxima feria non impedita, proponeretur, iſta cœna; nempe feria ſecunda maioris hebdomadæ. Deinde cum hoc ſabbathum accepit officium, magis placuit vt hoc aliunde ſumeretur, quã vt vetus ordo turbaretur: quod erat futurum, ſi feriæ ſecundæ ſubſequenti, tolleretur vetus Euangelium: & eius loco quæreretur nouum, & hæc mihi videtur probabilis coniectura, poſteriores enim collectores officii, licet varie vſurparint officium huius ſabbathi, nullus tamen eorum eſt inuentus, qui hanc cœnam à feria ſecunda, in hoc ſabbathum tranſtulerit. Ordo Romanus huic ſabbatho tribuit officium ex feria quarta præcedente, liberator meus de gentibus, lectionem Zachariæ: Hæc dicit Dominus, exulta ſatis filia Hieruſalem. Euangelium ſecundum Lucam: Cũ appropinquaſſet Ieſus ad Betphage & Bethaniam. Officium vero quo nunc vtimur, longe aliter eſt diſpoſitum. Durandus quoque iſto loco alias quoque recenſet ab vtriſq; diuerſas conſuetudines, in diſpoſitione hodierni officij. Præterea hoc etiam quæri his oportet. An cœna quam narrat Ioannes factam Domino ante ſex dies Paſchæ in Bethania, ſit illa eadem, quam narrant Matthæus & Marcus, factam Domino in Bethania in domo Simonis Leproſi. Ianſenius multis argumentis docet vnã eſſe & eandem cœnam:

Matth. cap. 26. Marcus cap. 14. Commẽt. in cõcord. c. 104.

que

quæ ſuo ordine hiſtorico narretur à Ioanne, & à cæteris duobus, per recapitulationem; vt oſtenderent cauſam offenſi Iudæ proditoris. Baronius diligens lector & laudator Ianſenii, affirmat duas eſſe diuerſas cœnas, priorem exibitam Domino ſexta die, alteram biduo antè paſcha, pro Baronio hoc eſt præcipuum, quod in cœna Matthæi & Marci ſolũ legitur vnctum caput Domini, in cœna Ioannis ſolí pedes. Cæterum cuius ſententia melior exiſtat non eſt noſtri iudicii.

Hoc Sabatho Durandus dicit fieri ſextum ſcrutinium Electorum, cui rei conuenit vacatio hodierni officii. In Miſſa Ambroſiana hoc ſabbathum dicitur in traditione Symboli, & totum officium pertinet ad Baptiſmum electorum. Super populum eſt ibi hæc oratio. Deus qui humani generis ita es conditor, vt ſis etiam reformator: propitiare populis adoptiuis, & nouo teſtamento ſobolem nouæ prolis aſſcribe, vt filii promiſſionis quod non potuerunt aſſequi per naturã, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam: & ſuper oblatam. Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos ad æternã vitã in cõfeſſione tui nominis, baptiſmatis reparas ſacramento: ſuſcipe tuorum munera & vota famulorũ: vt in te ſperantium & deſideria iubeas perfici, & peccata deleri. Per. Inter opera B. Aug. inuenitur ſermo, in traditione ſymboli, ſed qui aſſcribatur Dominicæ ſequenti, prout etiam alii duo ſermones ad Competẽtes de bona vita, certe vox capitolauii quæ tributa eſt Dominicæ ſequenti, probat eo die eccleſiam fuiſſe occupatam circa competentes. Ordo Romanus ponit ſextum ſcrutinium hebdomada ſubſequente, & ſabbatho ſancto, ſeptimum: quæ res probat, quod antea monuimus varie obſeruatum fuiſſe tempus ſcrutinii.

EXPLI-

EXPLICATIO OFFICII.

IN isto officio repetuntur Psalmi diei præcedentis: Lectio est de Hieremia Propheta, continens malas cogitationes impiorum Iudæorum, contra iustum; & eorum punitionem. Cur vero tempore passionis nobis proponitur Propheta Hieremias, hæc scribit Rupertus. Hieremias quoque Propheta competenter per hos dies legitur. Hic enim non solum dictis, sed & passionibus suis, redemptoris nostri passionem præfigurauit: & in eo quoque, quod in eisdem tribulationibus suis non decessit; sed ruinæ ciuitatis vel templi superstes fuit, quamuis post hæc à populo descendente in Ægyptum lapidatum illum Iudæi autument: & in eo, quod secundum prophetiam eius captus est Sedechias, & occisis filiis eius, oculos quoque ipsius eruit Rex Babylonis, nam & redemptor noster cum putaretur & desideraretur exstingui & conteri de terra viuentium, iuxta illud: Inimici mei dixerũt mala mihi quando morietur & peribit nomen eius? *cunctis tribulationibus suis & morti atque inferis emersit & superstes fuit, imo est atque erit peccatrici ciuitati, quæ cum vocaretur Hierusalẽ, pars illius meritis effecta est, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, & secundum prophetiam eius qua dixit. In iudicium ego veni in hunc mundum, vt non videntes videant, & videntes cæci fiant: captus est in superbia sua Iudaicus populus, & occisis filiis eius, id est carnalibus legis operibus, in quibus nihil vitalis gratiæ Dei remãsit, insuper oculos eruit spiritualis Nabuchodonosor scilicet diabolus, & obscurati sunt oculi eorum, ne videant: & dorsum eorum*

rum ſemper incuruatur. Bene itaque Hieremias Propheta per hos dies legitur, Chriſti Domini paſſionem in ſuis preſſuris deſignans, futuramq; abiectionem gẽtis Iudaicæ ſub typo eius captiuitatis, quæ tunc accidit, lachrymoſis lamentationibus deplorans, Euangelium proponit malas cogitationes impiorum Principum Sacerdotum, qui in odiũ Chriſti cogitauerunt de interficiendo Lazaro. Proponit quoque eorum inuidiam concitatam ex ſplendido ingreſſu Chriſti in vrbem Hieroſolymam. Præterea idem Euangelium tractat profundam materiã paſſionis Domini, occaſione quorundam gentilium, qui volebant videre Ieſum: mirabili enim ſermone docet Dominus clarificationem ſuam, deinde mortem ſuã, deinde neceſſitatem noſtram, ſequendi ipſum in hanc mortem: vt cuſtodiamus animam noſtram in vitam æternam. Deinde rurſum redit ad eadem, aliis maioribus & grauioribus ſententiis: orat patrem vt clarificet nomen ſuum. Venit vox de cœlo dicens: & clarificaui & iterum clarificabo, & iterum poſt exaltationem ſuam dicit, ſe omnia tracturum ad ſe, de morte vero ſua ſicut oſtendit clarificationem re & verbis; ſic etiam tractat eam materiam. Nunc anima mea turbata eſt. Et quid dicam pater ſaluifica me ex hac hora, & quod poſtea ſubijcit de ſua exaltatione, quam ita clare expreſſit, vt etiam Gentiles intelligerent eum loqui de crucifixione. Poſtremo quod pertinet ad nos, loquitur de iudicio huius mũdi, de eiectione Principis huius mundi, de ambulatione in luce, vt ſimus filij lucis. Docet itaque nos Euangelium, iſta tria neceſſario ſimul debere examinari, Chriſti mortem, Chriſti clarificationem, & ad vtraq; noſtram conformationem, ita ſimul, vt qui vnum ſine altero fecerit, illi perierit omnis labor Chriſtianiſmi.

stianiſmi. Poſtulemus itaque quod eſt in collecta. Vt plebs Deo dicata proficiat piæ deuotionis affectu, vt ſic ſacris actionibus erudita, fiat quotidie diuinæ maieſtati gratior: & conſequenter pro ratione gratiæ creſcentis, in dies donis potioribus augeatur.

MISSA SABB. POST DOM. DE PASSIONE.

INTROITVS.

MIſerere mei Domine quoniam tribulor, libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorum, & à perſequentibus me: Domine non confundar quoniã inuocaui te. *Pſal.* 30.

Pſal. In te Domine ſperaui non confundar in æternum, in iuſtitia tua libera me. Miſerere.

OREMVS.

PRoficiat quæſumus Domine plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu, vt ſacris actionibus erudita, quanto maieſtati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum.

MEmor eſto quæſumus Domine fragilitatis humanæ, & qui iuſte verberas peccatores, parce propitiatus afflictis Per.

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis, dixerunt impij Iudæi ad inuicem: venite cogitemus cõtra iuſtũ cogitationes: Cap. 18.

nes: Non enim peribit lex à sacerdote, nec consilium à sapiente, nec sermo à Propheta. Venite percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius: Attende Domine ad me, & audi vocem aduersariorũ meorum. Nunquid redditur pro bono malũ, quia foderũt foueam animæ meæ. Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij, fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ eorum interficiantur morte; Iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio, audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repẽte, quia foderunt foueam, vt caperent me: & laqueos absconderunt pedibus meis: Tu autem Domine scis omne consilium eorum, aduersus me in mortem, ne propitieris iniquitati eorum: & peccatum eorum à facie tua non deleatur. Fiant corruentes in conspectu tuo: in tempore furoris tui abutere eis, Domine Deus noster.

Psal 34. *Graduale.* Pacificè loquebantur mihi inimici mei, & in ira molesti erant mihi. *Vers.* Vidisti Domine ne sileas: ne discedas à me.

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

Cap 12 IN illo tempore. Cogitauerunt Principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebãt in Iesum. In crastinũ autem turba multa

quæ

quæ venerat ad diem festũ; cum audissent, quia venit Iesus Hierosolymam: acceperunt ramos palmarum, & processerũt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israël. Et inuenit Iesus Asellũ, & sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus venit sedẽs super pullum Asinæ. Hæc nõ cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia hæc scripta erant de eo: & hæc fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam venit & turba, quia audierũt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerũt: Ecce mundus totus post ipsum abit. Erant autem quidam Gentilés ex his qui ascenderant, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserũt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogábant eum dicentes: Domine volumus Iesum videre. Venit Philippus & dixit Andreæ Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu, Iesus autem respondit eis, dicẽs: Venit Hora vt clarificetur filius hominis, Amẽ amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solũ manet: Si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Qui amat animam suam perdet eã: & qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex

hac

hac hora. Sed propterea veni in horam hanc; Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo dicés: Et clarificaui & iterum clarificabo. Turba ergo quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruum factum eſſe, alij dicebant, Angelus ei locutus eſt: Reſpondit Ieſus & dixit: Non propter me venit hæc vox, ſed propter vos, nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mũdi eijcietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum, (hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moriturus) reſpondit ei turba: nos audiuimus ex lege quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis? dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Ambulate dum lumen habetis, vt non tenebræ vos comprehẽdant, & qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat, dum lucem habetis credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt Ieſus, & abijt, & abſcondit ſe ab eis.

Offertorium. Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas, & non tradas calumniantibus me ſuperbis; & reſpondebo exprobrantibus mihi verbum.

Secreta.

ACunctis nos quæſumus Domine reatibus & periculis propitiatus abſolue: quos tanti myſterij tribuis eſſe conſortes. Per Dominum.

Præfatio.

AEterne Deus cuius nos fides excitat, ſpes erigit, charitas iungit, cuius miſeratio gratuita

gratuita purificat, quos conſcientiæ reatus accuſat. Te igitur cum interno rugitu deprecamur, vt carnalis almonię refrænatione caſtigati, ad celebrandum Paſchale myſteriũ inueniamur idonei. Per.

Communio. Ne tradideris me Domine in animas perſequentium me, quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Poſt-Communio.

DIuini muneris largitate ſatiati quæſumus Domine Deus noſter, vt huius ſemper participatione viuamus. Per.

Super populum.

TVeatur quæſumus Domine dextera tua populum deprecantem, & purificatũ dignanter erudiat, vt conſolatione preſenti ad futura bona proficiat. Per.

DA nobis obſeruantiam Domine legitima deuotione perfectam, vt cum refrænatione carnalis alimonię, ſancta tibi conuerſatione placeamus. Per.

Benedictio.

OMnipotens Deus peccatorum noſtrorum maculas expurget, & ſua nos benedictione illuſtret. *Amen.*

Repleat nos ſpiritualium donis virtutum, & perſeuerare faciat in bonis propoſitum noſtrum. *Amen.*

Sicque humilitatem noſtram benignus acceptet, vt ſuæ nos pietatis remuneratione locupletet. *Amen.*

Quod ipſe &c.

DOMINICA IN PALMIS.

De varijs nominibus iſtius Dominicæ.

ISta Dominica eſt ſingularis, & quæ variis nominibus appellatur, dicitur enim Dominica in Palmis, Dominica Ramorum ſeu florum, vulgo Paſque fleuries, & Oſanna: quæ appellationes ſumptæ ſunt ex ſolemni ingreſſu Domini in vrbem Hieruſalem. Celebris item erat olim hæc dominica nomine indulgentiæ, quod hac hebdomada abſoluerentur, qui in capite ieiunij pœnitentiam ſuſceperant, & tota quadrageſima peregerant, dicebatur quoque Paſcha petitum, ſeu competentium: quod hoc die traderetur ſymbolum competentibus, vt ſit quoddam Paſcha eorum qui petunt, ſeu ſimul petunt gratiam Baptiſmi:. cuiuſcemodi traditionis multa ſunt exempla paſſim apud veteres ſcriptores. Vulgo quoque hæc dominica dicebatur Capitolauium: quod eo die lauarentur capita eorum, qui ſabbatho ſancto eſſent baptizandi, addunt ſcriptores, ne forte obſeruatione quadrageſimæ ſordidata, ad vnctionem accederent, quæ res oſtendit in quadrageſima vel negligentius habitum fuiſſe corpus, vel cineribus aliàne quâ ratione humiliare ſe homines per id tempus conſueuiſſe. Præter has tam varias peculiares compellationes huius dominicæ, tota quoque hebdomada peculiari nomine dicitur hebdomada maior: cuius nominis duas habet rationes ordo Romanus. Quoniam in ea inquit maxima adhibenda eſt parſimonia, ſiue

Iſid. de eccl. offic l. 1. c. 27.

quod

quod maius officium celebratur in ea. Addi poterat & tertia, quod ex diebus huius hebdomadæ, cæteri dies omnes totius anni sint religiosi. Feria quarta per totum annum, vniuersæ ecclesiæ orientis, & multis per occidentem est sacrata ieiunio, propter Iudæ proditionem, & eius sceleratum pactum cum Iudæis. Feria quinta vbique per ecclesias est solemnis, propter institutionem cœnæ Domini: qui fuit vltimus dies temporalis vitæ Domini sicut & eadem feria in Domini ascensione, fuit vltimus dies visibilis præsentiæ Domini in terris. Feria sexta omnibus ecclesijs est religiosa ieiunio, propter mortem Domini, Sabbathum quoque toto Occidente ieiunatur, propter tristitiam mortis Domini: quæ erat in Apostolis & cæteris fidelibus. Et dominica quæ sequitur, dominica resurrectionis, quæ aliquo modo pertinet ad hanc hebdomadam: quamuis verius sit primus dies hebdomadæ sequentis, est dominica princeps, fons, & origo omnium dominicarum: cuius etiam typus & figura fuit hodiernus Domini in vrbē Hierosolymam aduentus, dicitur quoque vulgò hæc hebdomada pœnosa, & hebdomada sancta, ob rationes omnibus notas.

DE PROCESSIONE HVius Dominicæ.

HEsterna feria, quæ erat sexta ante Pascha, facta est Domino cœna in Bethania; vt die præcedenti est explicatum, nunc sequitur historia earum rerum, quæ crastino illius diei acciderunt, cuius crastini expresse facit mentionem Beatus Ioannes: quod crastinum erat dies quintus ante Pascha, atque ea ratione dies decimus primi mensis qui erat Exod. 12.

Iudæis commendatus, vt eo die adducerent in domũ suam agnum anniculum, quem immolarent die decima quarta ad vesperam, quod est initium decimæ quintæ lunæ, futurus itaque Dominus pascha nostrum, impleturus & hãc figuram, venit hodie Hierosolymam & sua sponte venit, & gaudens atque exultans venit, & nobis venit, & mansuetus venit, & triumphans venit, sicut eodem die Iosue transiuit Iordanem, transducens populum in terram promissionis. Oblatus est quia ipse voluit, & ipse Dominus hanc suam liberrimam voluntatem & desiderium, aliis verbis expressit: Baptismo habeo baptizari (nẽpe baptismo sanguinis, quo nos lauaremur) & quomodo coarctor, donec perficiam: rursum: desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, ante quam patiar, & iterum magna alacritate prædixit suis discipulis: ecce ascendimus Hierosolymam, vbi filius hominis tradetur in manus peccatorum, necesse itaque erat, vt Dominus nõ modo non inuitus, sed volens & libens traderetur: necessariæ enim & coactæ operationis, nulla sunt merita, ne tamen has sua voluntate coegisse Iudæos, ad sui necem crederetur hodierna die in domum immolationis, vltro ingreditur; sed ea forma atque habitu, qua Iudæos summopere deterreri oportebat, ab eo occidendo, neque enim ab iniuria inferenda res vlla tam valet, atque authoritas, & honestis rationibus quæsita maiestas, multorumq; in eam authoritatẽ maiestatemq; grauis consensus, fecit itaque Dominus omnia recte, sed quia erat potestas tenebrarum, relicti sunt illi suæ malæ voluntati, & exista Christi dignitate, creuit eorum inuidia; & metum illius quem diximus consensus, sustulit eis Iudas, & sic conceperunt dolorem inuidiæ & pepererunt iniquitatẽ homicidij, summa,

& in perfectissimo gradu summe perfecta erat Christi Domini humilitas, nihilominus tāta erat in terris Christi gloria, tanta dignitas, tanta maiestas; quāta maior nullius hominis vel fuit, vel futura est vnquā; qua de re scripsit pium libellum Ioannes Bondinius: quæ res non pugnat cum humilitate, cuius contrarium est superbia, non etiam gloria & maiestas. Vidimus inquit Ioannes gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti a patre, quæ gloria licet per omnem vitam secuta sit Dominū, maxime tamen eo tempore, quod præcessit eius mortem; cum Lazarus quartum iam diem mortuus, homo magnæ dignitatis, habitans in Bethania, milliari & dimidio vicinus vrbi Hierosolymorum, est a Domino resuscitatus, & ad eius rei non dubiam famam, sed certam scientiam, in eius admirationem rapta est tota Iudæa; quæ tum Hierosolymam aduenerat, atque eius rei occasione, hodierna die celeberrimo triumpho, Dominum in vrbem adduxit: cuius triumphi hæc est historia. Hierosolymis magnum fuerat hominum murmur, quod Christus ad festum non veniret, cum itaque intellexerunt venisse Christum Bethaniam, turba multa eo est profecta, non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum quoque viderent, quem suscitauit a mortuis, id est, occasione tanti miraculi turba multa venit Bethaniam: cuius rei causa & in Lazarum conceptum est odium, a principibus Sacerdotum: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum, cum itaque iturus Dominus Hierosolymam venisset Bethphage, ad montem Oliuarum, vicum distantem ab vrbe, mille passus: ex vicino quodam castello, iubet Dominus sibi adduci pullum asinæ, super quem nullus adhuc sedisset; quem repertum, ligatum ante ianuam foris in biuio

adduxunt ei discipuli, consentiente Domino pulli, ea authoritate, quam narrat Euangelista, impositisq; pullo ab Apostolis suis vestibus, conscendit Dominus pullum, prosequente & comitante eum, non solũ ea turba, quæ eum in Bethania inuenerat; sed obuiam se quoque ei effundit ingens hominum multitudo, quam Bondinus, grauissimis rationibus ostendit, ad minus fuisse trigesies centena millia hominũ, quanta multitudo ex Hierosolymis obuiam est egressa Cestio Gallo, præsidi Syriæ, imperante Nerone, dicit enim Ioannes venisse obuiam Christo, nõ multos ex ea turba, quæ venerat Hierosolymam sed turbam multam, quæ venerat ad diem festum, quæ verba indicant, pauços fuisse qui manerent intra vrbem, quinimo omnem turbam quæ venerat ad festum, egressam esse obuiam Domino; turbam multam quæ venerat ad diem festum: quod etiam probat indignatio Phariſæorum: Videtis, inquiunt, quia nihil proficimus: ecce mundus totus post eum abijt. Quanta autem hominum multitudo consueuerit venire ad Pascha, ostendit Ioſephus de bello Iudaico lib. 7. cap. 17. qui certa supputatione ostendit, non fuisse pauciores quadragesies centenis millibus. Accedit quod Christi gloria hoc potissimum tempore, ad summum fastigium conscenderat; vt id ferre iam nec dæmon, nec eius membra diutius possent. Quod autem de pullo asinæ commemoratur: sic plerique accipiunt, vt in vsu tam vilis iumenti, magnam dicant habitam fuisse a Domino rationem humilitatis, quæ eorum sententia, licet reprehendi non debeat, quod ea sit magnorum virorum, & ad pietatem conducat: cogitandum tamen est vecturam asinorum fuisse ordinariam, Iud. 10. triginta filij Iaïr, ascendunt super triginta pullos asinarum & Iud. 12.

quadra-

quadraginta filij Abdon, & triginta eius nepotes, aſcendunt ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, id eſt iuuenes aſinos, iam idoneos equitationi, & generaliter de aſinorum & aſinarum vectura, plena ſunt omnia; quin humilitatis & manſuetudinis rationem melius fortaſſis probaremus, ex fletu Domini, cum in iſto triumpho deſcenderet è monte Oliuarum, & iam vrbem conſpicaretur: tria enim tempora huius triumphi commemorant Euangeliſta. Initio aſcenſum montis Oliuarum; deinde deſcenſum; Tertio ingreſſum in vrbem, Ad primum pertinet adductio pulli & aſinæ. Deinde quod dicit Lucas de ſtratis veſtimentis, eunte illo, & vocibus laudantium, cum appropinquaret iam ad deſcenſum montis Oliueti, cœperunt inquit omnes turbæ diſcipulorum gaudentes laudare Deum, voce magna, & quod dicit Ioannes de turba, quæ geſtans ramos palmarum, obuiam ei proceſſit. Ad deſcenſum pertinet fletus Domini ſuper Hieroſolymam: ad ingreſſum in vrbem quod dicit Matthæus, & cum intraſſet Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas, dicens: Quis eſt hic? ἐσείστη πᾶσα ἡ πόλις veluti terræ motu a fundamentis concuſſa eſt, deinde quod ingreſſus templum Dei magno & incredibili teſtimonio ſuæ authoritatis, & maieſtatis, eiecit inde vendentes & ementes. Quo pacto autem ſe geſſerit erga Dominum iſta turba, toto tempore iſtius triumphi, oſtendunt Euangeliſtæ: Matthæus dicit diſcipulos ſtrauiſſe veſtes ſuas, ſupra iumenta, atque iis veſtibus Dominum inſediſſe: aliam plurimam turbam ſtrauiſſe veſtimenta ſua in via; alios qui forte veſtes ſeu pallia, quæ ſibi detraherent non habebant; amputaſſe ramos de arboribus, & ſtrauiſſe in via. Turbæ quoque quæ præcedebant & ſequebantur, clamabāt dicētes: Oſanna

filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis, & quod addit Marcus: benedictum quod venit regnum in nomine Domini Patris nostri Dauid. Et vt ostendit Lucas, variæ fuerunt voces acclamantium: cœperunt gaudentes turbæ omnes laudare Deum, voce magna, super omnibus quas viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini: pax in cœlo, & gloria in excelsis. Et Ioannes: In crastinum ante turba multa quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Iesus Hierosolymam; acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei & clamabant: Osanna benedictus qui venit in nomine Domini, rex Israël, Christi triumphus non erat similis principum triumphis; qui ambitiose, multo tempore ante, variis rationibus componuntur: sed quod est in omnibus triumphis, & in omni gloria summum; magnus honorantium, laudantium, & applaudentiũ non emeritus consensus, præstitũ est Domino non vulgari, sed diuina plane pompa, complanant vias saxosi montis, hi suis ipsi vestibus, hi frondibus arborum; vnusq; erat omnium consensus, tam eorum qui præcedebãt, quam qui sequebantur, laudantium & acclamantium faustis vocibus: Osanna, id est saluum fac, viuat, bene prosperare, est enim, Osanna, vox lætitiæ & exultationis, qua cum gratiarum actione, ob beneficia à Deo præstita, petitur & imprecatur earundem rerum conseruatio, bene itaque precantur filio Dauid: non enim his verbis sibi a Christo salutem precantur sed gaudentes de Messia, de filio Dauid, de Rege Israël, de eo, qui venit rex in nomine Domini. Talem enim salutantes, talem recognoscentes, precantur illi à Deo omnem prosperitatem & felicitatem, benedictus sit à Deo, qui venit in nomine

Domi-

Domini, qui nunc hic coram venit Rex noſter: Deus illi benedicat, benedicat regno eius, Pax illi & nobis cum Deo cœli, & illi gloria in excelſis. Magna quoque & diuina illa erat gloria, quod cum ramis palmarum obuiam procedentes, acclamarent ei: Oſanna, hoc enim ritu coli ſolet Deus à Iudæis, in feſto tabernaculorum, cum ramos & frondes manibus tenentes ad varias Dei laudes, identidem acclamabant: Oſanna, quod etiam annotauit Baronius, qui citatis authoribus Hebræis, dicit: Oſanna ſignificare proprie ramos ſalicum, verum vſurpari etiam pro ramis aliarum arborum; & hinc in ſcenopegia moris fuiſſe, portare Hoſanna, ac circuire cum Hoſanna, hoc eſt cum ramis arborum, nec eum honorem niſi Deo tribui conſueuiſſe, vt factum eſt cum Simon recuperata Hieroſolyma temploq; purgato laudans Deum, cum ramis palmarum & canticis, eam eſt ingreſſus, & rurſus, cum idem eſt factum à Iuda Machabæo, & hac forſan occaſione, vt cætera diuina, ſic hunc honorem ramorum Græci, & eos ſecuti Romani, ad triumphos ſuos tranſtulerunt, hoc igitur comitatu atque iſtis vocibus deductus Dominus, in eam montis oliuarum altitudinem, vnde erat deſcendendum in vallem Cedron, & vnde vrbs primum ſpectabatur, inter tantos honores, humilis, manſuetus & miſericors Dominus fleuit ſuper illam, dicens: hæc & hæc venient ſuper te, eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ, & fortaſſis occaſione iſtius fletus, compatiens illi eccleſia, hoc die vtrumq; proponit: & hunc Chriſti triumphum, & illius breui poſt ſecutam paſſionem. Ingreſſo poſtremum Domino in vrbem, commota eſt tota ciuitas, dicens: quis eſt hic? populi autem dicebant, Hic eſt Ieſus Propheta, à

Naza-

Nazareth Galileæ quin tota iſta turba laudantium ſequebatur Dominum in ipſa vrbe, vnde & Phariſæi cum in templo audirent pueros acclamantes illi: Oſanna filio Dauid indignati ſunt, & dixerunt ei: Audis quid iſti dicunt, quam infinitos & indebitos honores iſti tibi tribuant, Ieſus autem dixit eis: vtique nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Atque hæc eſt hiſtoria dominici triumphi, quem eccleſia Latina, veluti obviam procedens Domino, effuſa in eius laudem, variis precibus, recitatione euangelij, homilia ad populum, geſtatione ramorum, multis canticis populo Chriſtiano religiosè commendat, vt quod fecit ille populus, adhuc carnalis, affectu humano; id nos faciamus ſpiritualiter, ita demum bene procedendo, ſi Chriſtum ad nos venientem ſuſcipimus; cum pueris obuiando, ſi innocentiam ſeruamus: oliuas gerendo, ſi pacis & miſericordiæ operibus indulgemus: Palmas portando, ſi de vitiis & diabolo, victoriam obtinere omni ſtudio contendimus: virentes flores & frondes geſtando, ſi virtutibus exornamur: veſtimenta ſternendo, ſi carnem mortificamus: ramos carpendo, ſi ſanctorum veſtigia imitamur: Benedicuntur quoque & diſtribuuntur rami per ſacerdotem; licet hoc factum non fuerit à Chriſto, qui non honorauit eos, ſed per eos fuit honoratus: quia illi corporaliter & temporaliter præſtiterunt hunc honorem Chriſto; nos ſacramentaliter & ſpiritualiter, ad effectum qui in eorum benedictionibus exprimitur. Illi namq; ferentes ramos, triumphum Chriſti nondum completum, ſed tempore reſurrectionis complendum præfigurabant. Vnde non oportuit ramos diſtribui, vel benedici à Chriſto: quia nondum figura fuerat impleta. Eccleſia vero per talés, repræſentat triumphũ

Chriſti

Christi iam completum, secundum illud Col. 2. Exspolians principatus & potestates, transduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Quia ergo non solum ipse triumphator est, sed etiam per ipsius gratiam & sanctificationem triumphabunt omnes electi; conuenienter & benedictio ramorum, & distributio per sacerdotem, qui Christum repræsentat, debet expleri, fuit quoque admirabilis & solemnis processio hoc die, cum arca Domini, & populus duce Iosue, transiuit siccis pedibus per Iordanem, & intrauit terram promissionis.

ORDO PROCESSIONIS.

BEatus Bernardus sic inter cætera scribit de hodierna processione: Celebraturi sumus hodie processionem, & paulo post audituri passionem. Quid sibi vult mirabilis ista conjunctio, aut quid cogitauerunt patres nostri, passionem addentes processione? Nam processio quidē merito repræsentatur hodie, quæ facta est hodie, passio vero cur addita est, quam sexta feria constat esse secutam? Deinde idem Beatus multas subdit rationes, istius coniunctionis, inter cæteras istam, quæ sequitur, Sed quid fuit, inquit, quod processionem habere voluit, qui mox futuram nouerat passionem? Fortè vt amarior esset passio, quam processio præcessisset. Ab eodem enim populo, in eodē loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis, primo cum tanto triumpho susceptus, postea crucifixus est. O quàm dissimile est: Tolle Tolle, crucifige eum: &, Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.

Quam

Quam dissimile; Rex Israël, & non habemus regem, nisi Cæsarem. Quam dissimiles rami, virentes, & crux, flores & spinæ, cui prius sternebantur vestimenta aliena, ecce suis exuitur; & sors mittitur super ea. Væ tibi amaritudo peccatorum nostrorum, propter quæ soluenda tanta amaritudo necessaria est. *Atque hæc Bernardus. Ista itaque processio est singularis, ab omnibus rituum ecclesiasticorum scriptoribus, diligenter commendata, ordo vero procedendi varius existit, monent nonnulli scriptores, eam vt plurimum progredi extra ciuitatem, & si locus id permittit, ad promontoria seu loca eminentia. Alcuinus describit quandam formam, quæ nunc non est in vsu: nostrum Missale habet istam formam.* Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. O Rex Israël, Osanna in excelsis.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

DEus quem diligere, & amare iustitia est, ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica, & qui feçisti nos in morte filij tui sperare, quæ credimus; fac nos eodem resurgente peruenire, quo tendimus. Qui teçum.

Lectio libri Exodi.

Cap. 15. IN diebus illis, venerunt filij Israël in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castra metati sunt iuxta a-
Cap. 16. quas. Profectique sunt de Elim & venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai: quinto decimo die, mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congre-

gatio

gatio filiorum Israël contra Moysen & Aaron, in solitudine. Dixeruntq; ad eos filij Israël: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud: vt occideretis omnem multitudinem fame? dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce ego vobis pluã panem de cœlo. Egrediatur populus & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies: vt tentem eum, vtrum ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent quod inferant: & sit duplum quã colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israël: Vespere scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam eius. Deinde cantatur pro Graduali *Resp.* Collegerunt Pontifices & Pharisæi con- *Ioan. 11.* cilium & dixerunt: quid facimus? quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.

Vnus autem ex illis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius prophetauit dicens: Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo die cogitauerunt interficere eum dicentes: & venient.

In monte Oliueti orauit ad patrem: pater, si *Matt. 26* fieri potest transeat à me calix iste, spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, fiat voluntas tua.

Vigilate

Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est; caro autem infirma: fiat voluntas tua.

Sequentia sancti Euangelij secundum Matthæum.

Cap. 21. IN illo tempore: cum appropinquasset Iesus Hierosolymis, & venisset Bethphage ad mõtem Oliueti, tunc misit duos discipulos suos, dicens eis. Ite in castellum, quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea. Soluite & adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, & pullum filium subiugalis, euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Iesus: Et adduxerũt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via. Alij autem cedebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

AVge fidem in te sperantium Deus, & supplicum preces clementer exaudi; veniat super

ſuper nos multiplex miſericordia tua, benedicantur & hi palmites palmarum ſeu oliuarum: & ſicut in figura eccleſiæ multiplicaſti Noë egredientem de arca, & Moyſen exeuntem de Ægypto cum filijs Iſraël; ita nos portantes palmas, & ramos oliuarum, bonis actibus occurramus obuiam Chriſto, & per ipſum in gaudium introeamus æternum. Qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus. Per omnia ſecula ſeculorum. *Amen.*

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Domino Deo noſtro.

℟. Dignum & iuſtum eſt.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte pater omnipotens, æterne Deus: qui gloriaris in conſilio Sanctorum tuorum: tibi enim ſeruiunt creaturæ tuæ, quia te ſolum auctorem & Deum cognoſcunt: & omnis factura tua te collaudat, & benedicunt te ſancti tui: quia illud magnum vnigeniti tui nomen, coram regibus & poteſtatibus huius ſeculi, libera voce confitentur, cui aſſiſtunt Angeli & Archangeli, Throni & Dominationes, cumque militia cęleſtis exercitus, hymnum gloriæ tuæ concinunt, ſine fine dicentes.

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloria tua: Oſanna in excelſis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.

Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cũ ſpiritu tuo.

OREMVS.

PEtimus Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, vt hanc creaturam oliuæ, quã ex ligni materia prodire iuſſiſti, quamque columba rediens, ad arcam proprio pertulit ore, benedicere & ſanctificare digneris: vt quicunque ex ea receperint, accipiant ſibi protectionem animæ & corporis, fiatque Domine noſtræ ſalutis remedium, tuæ gratiæ ſacramentum. Per Dominum. *Amen.*

OREMVS.

DEus qui diſperſa congregas, & congregata conſeruas, qui populus, obuiam Ieſu ramos portantibus, benedixiſti: benedic etiam & hos ramos palmæ & oliuæ, quos tui famuli ad honorem nominis tui, fideliter ſuſcipiunt; vt in quemcumque locum introducti fuerint, tuã benedictionem habitatores loci illius conſequantur: & omni aduerſitate effugata, dextera tua protegat; quos redemit Ieſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter. Qui.

OREMVS.

DEus qui miro diſpoſitionis ordine, ex rebus etiam inſenſibilibus, diſpenſationem noſtræ ſalutis oſtendere voluiſti: da quæſumus, vt deuota tuorum turba fidelium, ſalubriter intelligat, quicquid myſticè deſignatur in facto: quæ hodie cęleſti lumine afflata redemptori obuiam procedens, palmarum atque oliuarum ramos, veſtigijs eius ſubſtrauit. Palmarum igitur rami, de mortis principe triumphos

phos expectant: ſurculi vero oliuarum, ſpiritalem vnctionem aduenisſe quodammodo clamant. Intellexit enim iam tunc illa hominum beata multitudo præfigurari; quia redemptor noſter, humanis condolens miſerijs, pro totius mundi vita, cum mortis principe eſſet pugnaturus, ac moriendo triumphaturus. Et ideo talia obſequens adminiſtrauit; quæ in illo, & triumphos victoriæ, & miſericordiæ pinguedinem, declararent. Quod nos quoque plena fide, & factum & ſignificatum retinentes, te Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſuppliciter exoramus: vt in ipſo atque per ipſum, cuius nos membra fieri voluiſti, de mortis imperio, victoriam reportantes, ipſius gloriæ reſurrectionis participes eſſe mereamur. Qui tecum.

Oremvs.

DEus qui per oliuæ ramum, pacem terris columbam nunciare voluiſti: præſta quæſumus, vt hos oliuæ, cęterarumque arborum ramos, cœleſti benedictione ſanctifices; vt cũcto populo tuo proficiãt ad ſalutem. Per Chriſtum Dominum.

Oremvs.

BEnedic quæſumus Domine hos palmarum ſeu oliuarum ramos, & præſta: vt quod populus tuus in tua veneratione, hodierna die corporaliter agit; hoc ſpiritualiter ſumma deuotione perficiat; de hoſte victoriam reportãdo, & opus miſericordiæ ſummopere diligẽdo. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Aſperges me. Dominus vobiſcum.

OREMVS.

DEus qui filium tuum Iesum Christum Dominum nostrum, pro salute nostra, in hũc mũdum misisti; vt se humiliaret ad nos, & nos reuocaret ad te, cui etiam dum Hierusalem veniret, vt adimpleret scripturas, credentium populorum turba fidelissima, deuotione vestimẽta sua cum ramis palmarum, in via sternebant: præsta quæsumus, vt illi fidei viam præparemus, de qua remoto lapide offensionis, & petra scandali, frondeant apud te opera nostra iustitiæ ramis: vt eius vestigia sequi mereamur. Qui tecum.

Pueri Hebræorum portantes ramos oliuarum, obuiauerunt Domino, clamantes & dicẽtes: Osanna in excelsis.

Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via; & clamabant dicentes: Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.

Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Dominum nostrum Iesum Christum, super pullum asinæ sedere fecisti: & turbas populorum vestimenta vel ramos arborum in via sternere, & Osanna decantare in laudem ipsius docuisti: da quæsumus, vt illorum innocentiam imitari possimus, & eorum meritum consequi mereamur. Per eundem.

CVm appropinquaret Dominus Hierosolymam, misit duos ex discipulis dicens: Ite in castellum, quod est contra vos, & inuenietis pullum

pullum asinę alligatum, super quem nullus hominum sedit: soluite & adducite mihi. Si quis vos interrogauerit, dicite, opus Domino est. Soluentes adduxerunt ad Iesum, & imposuerunt illi vestimenta sua; & sedit super eum, alij expandebant vestimenta sua in via, alij ramos de arboribns sternebant, & qui sequebantur clamabant: Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna, Benedictum regnum patris nostri Dauid. Osanna in excelsis: miserere nobis fili Dauid.

Cum audisset populus, quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & exierunt ei obuiam; & clamabant pueri dicentes. Hic est qui venturus est in salutem populi. Hic est salus nostra, & redemptio Israël. Quantus est iste cui Throni & Dominationes occurrunt? Noli timere filia Sion: ecce rex tuus, venit tibi sedens super pullum asinæ: sicut scriptum est Salue rex fabricator mundi, qui venisti redimere nos.

Ante sex dies solemnis Paschæ, quando venit Dominus in ciuitatem Hierusalem, occurrerunt ei pueri: & in manibus portabant ramos palmarum, & clamabant voce magna dicentes. Osanna in excelsis: Benedictus qui venisti in multitudine misericordiæ tuæ: Osanna in excelsis.

Occurrunt turbæ cum floribus, & palmis redemptori obuiam, & victori triumphanti, digna dant obsequia. Filium Dei ore gentes prædicant, & in laudem Christi voces: tonant, per nubila: Osanna in excelsis.

Cum angelis & pueris, fideles inueniamur triumphatori mortis, clamantes, Osanna in excelsis.

Turba multa quæ conuenerat ad diem festum, clamabant Domino: benedictus, qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis.

Gloria, laus, & honor tibi sit rex Christe redemptor:

Cui puerile decus, prompsit osanna pium.

Israël es tu rex, Dauidis & inclyta proles;

Nomine qui in Domini, rex benedicte venis.

Cœtus in excelsis te laudat cælicus omnis,

Et mortalis homo, cuncta creata simul.

Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit:

Cum prece, voto hymnis, adsumus ecce tibi.

Hi tibi passuro soluebant munia laudis,

Nos tibi regnanti, pangimus ecce melos.

Hi placuere tibi, placeat deuotio nostra;

Rex bone, rex clemens cui bona cuncta placent.

Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis almi,

Nos facit Hebræos transitus ecce pius.

Sis pius ascensor tu, nos & simus asellus;

Tecum nos capiat vrbs veneranda Dei.

Vestis apostolicæ tutilo fulgore tegamur,

Te bene docta, vt ea, nostra caterua vehat.

Tegmine sic animæ sternamus corpora nostra;

Quo per nos semper sit via tuta tibi.

Sit pia pro palmæ nobis victoria ramis:

Vt tibi victrici sorte canamus ita.

Ingredien-

Ingrediente Domino in ſanctam ciuitatem, Hebræorum pueri reſurrectionem vitæ prænunciantes: Cum ramis palmarum Oſanna clamabant in excelſis. *Verſ.* Cum audiſſet populus, quod Ieſus veniret Hieroſolymam, exierunt obuiam ei cum ramis.

Ordo Romanus in deſcribenda iſta proceſſione, eſt longe prolixior; & preces quæ ibi reperiuntur ſunt valde deuotæ, cuiuſmodi ſunt iſtæ ad benedictionem frondium, oliuę, & palmarum.

DOmine ſancte pater omnipotens æterne Deus, mundi conditor, omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor, qui inter ipſa mundi primordia, cum ex nihilo cuncta conderes, ligna quoque fructifera, & diuerſo vſui congrua, terram producere iuſſiſti: ac poſt maledictum interdictæ arboris, vniuerſa nobis per obedientiam vnigeniti tui, in benedictionem conuertiſti: benedic etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas præcipue arbor oliuæ, pinguedine cunctas præcellit, per quam etiam cum mũdi crimina diluuio quondam expiarentur effuſo, columba ramum eiuſdem deferens, pacem terris redditam nunciauit: nec non & innocens turba, ſpiritu ſancto afflata, vnigenito tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, pro totius mundi ſalute paſſuro, obuiã currens: palmarum & huius arboris ramos abſcindens, ac veſtigijs eius ſubſternens, iam quaſi triumphatorem, de mortis principe oſtendebat, te Domine ſuppliciter deprecamur, vt qui annua deuotione, eiuſdem redemptoris noſtri, ſacratiſſimam paſſionem pręuenire niti-

mur, ipſa adiuuante, palmam victoriæ tenentes, atque oleo miſericordiæ intrinſecus refulgentes, in eius ſancta reſurrectione, præmium vitę & immortalitatis coronam percipere mereamur. Per eundem Dominum.

OMnipotens ſempiterne Deus redemptor, qui de cœlis ad terram deſcendere, & ad paſſionem voluntatis tuæ venire dignatus es, vt humanum genus tuo precioſo ſanguine liberares, adeſto eccleſiæ tuæ votis & ſupplicationibus noſtris. Tu enim Domine manſuetus, manſueti aſelli terga inſidens, ad paſſionem redemptionis noſtræ, ſpontaneus aduenisti: cumque tibi ramis arboreis occurrentibus diſcipulorum turbis, certatim ſterneretur in via, & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurrerent plurimorum caterue, reſultantes pariter & dicentes: Oſanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini; tibi in monte Oliueti via conſtrata eſt. Tu quondam Noë in arca, ſuper vndas diluuij gubernaſti, & columbæ miniſterio, per oliue ramum, pacem terris redditam nunciari voluiſti. Sed & Iacob Patriarcha, in miniſterium gloriæ tuæ, erigens lapidem, ex huius arboris ramis, oleum benedictionis in cacumen tituli fudit, vnde vnxiſti Reges & prophetas tuos. Tu enim es Chriſtus filius Dei, tibi competit fructus vnctionis & pacis, in cuius ineffabilem laudem pſalmiſta cecinit, dicens: Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis. Quapropter ſupplices te Domine deprecamur, vt benedicas hos ramos arborum, quos tui famuli, in ſuis ſuſcipientes manibus, in occurſum tui

prope-

properare, teque benedicere & glorificare desiderant. Ecce Hierusalem, sedens super asinã, rex mãsuetus adueniſti. Adueni ergo rogamus, & nobis, & in medio noſtri conſiſte, vt te aduenire in noſtris cordibus ſentiamus, & qui nos tunc reparaſti per crucem, iterum lapſos, repara per eandem beatificam paſſionem. Oris noſtri confeſſionem ac ieiunij humiliationem libens ſuſcipe, & fructum nos viriditatis habere concede; quatenus tuis imbribus irrigati, mereamur tibi ſuauium fructuũ vbertate placere. Et ſic vt illi tibi proceſſerũt obuiam cum arboreis frondibus egreſſi; ita nos te redeunte in ſecundo aduentu, cum palmis victoriæ læti mereamur occurrere, Saluator mũdi, qui cum patre in vnitate ſpiritus ſancti, viuis & regnas Deus. Per omnia ſecula ſeculorũ. *Reſp.* Amen. Dominus vobiſcum. *Reſp.* Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. *Reſp.* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. *Reſp* Dignum & iuſtum eſt.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare. Te Domine inter cætera mirabilium tuorum præcepta laudare, & benedicere: qui Lamech ſemen iuſtum dediſti Noë, cui reuelaſti, per ſpiritum, aquas diluuij futuras cognoſcere, cuius arcam ad noſtram ſalutem teſtatur mater eccleſiã, de qua emiſſa columba volans, ſpiritalis oliuæ fructuoſum ſurculum retulit: quam ad ſe reuertentem Noë gaudens ſuſcepit. De cuius rami vnctione Iacob electus, titulum erexit, Domino votum vouit, & oleum deſuper fudit. Hæc eſt indicio rami illius manantis de cœlis gratiæ, ſeu & populi vaſa replentis: hęc eſt

gratia, quæ & viduam benedixit in oleo. Hæc est indicio rami illius plantati ſecus decurſus aquarum, cuius folium non defluit, per quod quotidie per lauacrum baptiſmatis, eccleſia procreatur, & noſtra delentur peccata. Hæc tua Domine, plantatio bona valde: & tu es vita & reſurrectio mortuorum, qui quatriduanum Lazarum reſuſcitaſti à mortuis. Propterea & turba cum ramis palmarum obuians tibi, clamabat: Oſanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Iſraël. Quapropter quæſumus Domine clementiam tuã, vt nos famulos tuos, qui huius rei gratiam & fidem veritatis percępimus, eruas de ore inferni & adiutorium gratiæ tuæ nobis tribuere digneris: vt iuſte & die ſancteque viuentes, cum electis & ſanctis tuis, facias habere conſortium. Per.

SERMO B. IVONIS.

QVi vult hominem exhibere perfectum, in Chriſto reperiet omnia documenta virtutum. Inter quas humilitate & patientia, ſe tanquam potentioribus armis accinxit: cum quibus mundum intrauit, cum quibus de mundo migrauit, per quas mundum ſubiugauit, his etenim diabolum ſtrauit, & nos de eius poteſtate liberauit: Cum his fortem armatum alligauit, & ipſe fortior vaſa, quæ in poteſtate & pace poſſidebat, eripuit; & ſibi mundata retinuit. Humilitas fuit, qua inter homines degens, cum publicanis & peccatoribus manducauit: qua fatigatus ex itinere, à muliere Samaritana, potum poſtu-

poſtulauit, quod peccatricis mulieris tactum non recuſauit: quod diſcipulorum pedes lauit. Humilitas & patientia ſimul, quod corpus ſuum percutientibus dedit, quod faciem ſuam a conſpuentibus non auertit: quod maledicentes non maledixit, quod etiam vſque ad ignominioſam mortem, mortem videlicet crucis, quæ tantummodo ſceleratis debebatur, ſe tãdem inclinauit, vnde per Prophetam dicitur: Et cũ ſceleratis deputatus eſt: Et in Pſalmo: Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras. Hæc arma, ſerpens ille antiquus non cognouit. Hæc arma per ſuperbiam dedignatus eſt, & incautus per hæc ſuperatus eſt. Eſcam ſenſit & momordit, ſed hamus eum diuinitatis aduncauit, maxillam eius perforauit, & à poteſtate ſolida reliquit. Accubuit catulus leonis ad vocem patris cum fortitudine ſurrecturus, pro humilitate ſua nomen, quod eſt ſuper omne nomen accepturus. Hunc exaltationis modum, ſcribarum & Phariſæorum ſuperſtitio ſuperba, non credidit; venientem ad ſe Dominum in humilitate contempſit: ſuperbiam eorum redarguentem, dæmonia eijcientem, miracula facientem, tanquam in Beelzebub iſta faceret, blaſphemauit. Sola eum pauperum turba proſequitur, puerorum innocentia, comitatur: quia complectitur innocentia innocentiam, humilitas humilitatem, ac per hoc illuminari meretur, vt intus agnoſcat maieſtatem. Sic enim dicit ſcriptura: Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Tales Domino hodie ad locum paſſionis ſuæ venienti occurrunt, hominem humilem, ſuper aſinam ſedentem viderunt, & tamẽ triumphalẽ ei gloriã, ramos arborũ portando, & per viã ſternendo exhibuerunt; laudes, ei imperiales cecinerunt: quia præſago ſpiritu,

cum

eum triumphatorem diaboli & mortis, & vitæ largitorem cognouerunt. Huius turbæ, charissimi fratres formam repræsentatis, cum virentes ramos arborum, post vexillum sanctæ crucis in manibus portatis, & bene repræsentatis, si quod virore signatur in manibus, semper teneatur in moribus, si non hyeme decidat, si non æstate marcescat, vt dicere possitis cũ Psalmista: Benedicam Domino in omni tempore; semper laus eius in ore meo. Sed mementote quia nõ inuitantur ad has laudes, nisi pueri: Laudate pueri Dominum dicit Psalmista. Qui vero sint isti pueri, Apostolus exponit, dicens: Malitia paruuli estote, sensibus autem perfecti. Et Dominus ad discipulos: Nisi quis se humiliauerit sicut iste paruulus, non intrabit in regnum Dei, Paruulum seipsum vocat, ad cuius imitationem nos monet humiliari, vt introire mereamur regnum Dei: Non enim sunt membra quæ non sequuntur caput. Quibus igitur armis diabolum vicit Christus, vincere debet & Christianus. Sicut per humilitatem exaltatus est Christus, exaltari debet & Christianus. Sic enim Dominus dicit: Qui se humiliat exaltabitur, & Petrus: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tribulationis: Humiliauit se Christus pro nobis, humiliemus nos ipsos pro nobis. Inclinauit se, sicut Camelus subijt onera peccatorum nostrorum, transiuit per foramen acus, quia pertransijt angustias passionis, vt nos in latitudinem gaudiorum educeret. Humiliemur & nos ad portanda onera proximorum, nemo nostrorum sublime sapiat, nec speret in incerto diuitiarum, sed deposita quasi struma cupiditatis, & superbiæ, tanquam per foramen acus ingrediatur id est arctam & arduam viam aggrediatur. Quod enim his diebus passio Domini in ecclesia

recitatur,

recitatur, quod signa Dominicæ passionis in ecclesia producuntur, hoc intenditur, vt Dominica passio per hoc ad memoriam reuocetur, & fidelium deuotio ad compatiendum excitetur: vt ille sanguis digne suscipiatur ab ore fidelium, qui indigne effusus est manibus infidelium. Hoc sanguine agni immaculati vtriq; postes signentur id est mentes & frontes, vt corde credatur ad iustitiam, ore autem confessio fiat ad salutem, & memoria crucis, suauiter inhæreat menti: cuius signum imprimatur & fronti. Ergo fratres in hac recordatione Dominicæ passionis, Christo digne compatiamur, vt Christo resurgenti, consuscitari mereamur. Dimittamus debita sua debitoribus nostris, quia ipse Christus, qui ad imitandum nobis propositus est, cum pateretur orauit pro persecutoribus suis: sic enim ipse Dominus iubet: Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Si autem filj, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Iesu Christi.

EXPLICATIO OFFICII.

ILla Domini nostri traditio, qua pater illum tradidit, sicut Apostolus ait, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: illa inquam traditio, materia vel causa tam magni, tamq; solemnis est officij. Hac enim die pater, illum tradidit, in eo, quod ex voluntate patris in manus inimicorum venit, qui hactenus multoties, cum seditiose quereretur, omnes eorum frustrauerat impetus. Obediens namq; voluntati patris, calicem passionis bibere venit, & cum caro infirma esset, adhibendum spiritum Rup. Rom. 8.

ſpiritu prompto dicebat: Veruntamen non mea vo-
lũtas,ſed tua fiat. Quia ergo pater illum hac die tra-
didit, & calicem paſſionis dedit illi:recte paſſio legi-
tur,cum eiſdem cum quibus exceptus eſt palmarum
ramis,totiq́; officio venerandam ipſa prebuit mate-
riam. Nam ex eo quod ait pendens in cruce: Deus
meus, Deus meus,vt quid dereliquiſti me: conſtat
viceſimum primum Pſalmum, totum ex ipſius eſſe
perſona conſcriptum propter quod hac ipſa die pœne
totus in eiuſdem nihilominus perſona, decantatur.
Primum in introitu, Domine ne longe facias auxi-
lium tuum a me,orat ipſe, qui tanquam vermis &
non homo,abſque vllo reſpectu leuiter cõcalcabatur,
propter nos relictus ad tempus,orat inquam patrem,
ne elonget auxilium ſuum,id eſt feſtinet reſurrectio-
nem ſuam,& a poteſtate eorum qui ſunt vnicornes,
id eſt ſingularis ſuperbiæ,liberet humilitatem ſuam,
deinde in tractu hoc ipſum amplius egit ipſe noſter
Dauid.ſecundum titulum eiuſdem Pſalmi,tendens
in finem,id eſt,in victoriam,pro aſſumptione matu-
tina,id eſt pro reſurrectione,vt fiat valde mane,ſicut
& facta eſt,cum adhuc tenebræ eſſent ad monumẽ-
tum,epiſtola quoque non dubio paſſionem legendam
præcurrit præconio. Nam quod orat Dominus ſecũ-
do in paſſione, dicens: Mi pater,ſi non poteſt hic calix
tranſire niſi bibam illũ, quod ſummus Deus in ſum-
ma humilitate hominis illuditur,conſpuitur,dorſum
ſuum dat percutientibus,& genas ſuas vellẽtibus &
cætera patiẽter fert,obediens voluntati patris, vſque
ad mortẽ crucis. Hæc omnia nobis Paulus in epiſtola
manifeſte proponit imitanda,dicẽs: Hoc ſentite in vo-
bis,quod & in Chriſto Ieſu &c. Itẽ in graduali,dum
dicit: Tenuiſti manũ dexterã meã,& in volũtate tua
deduxiſti me,pulcherrime illud inſinuat quod Deus

pater

pater quasi læua, manu sua dexterã illius tenuerit, id est, diuinam potentiam eius, ne se defenderet quodam modo compresserit, & in potestatem inimicorũ, id est in ciuitate Hierusalẽ, in volũtate sua deduxerit. Quæri potest cur graduale hoc cantetur hoc die, cum non totum, eius personæ conueniat. Neque enim illi congruit vt dicat: Mei enim pœne moti sunt pedes, & pœne effusi sunt gressus mei. Sed sciendũ, quia Psalmus, de quo sumptum est, correptio illorum est, qui pro sospitate corporis, & prosperitate vel affluentia rerum temporalium, Deum tãtummodo laudabant. Huiusmodi autem laudes non defecerãt. priusquam Dominus noster, rex omnium seculorũ aduenire, & ex his quæ passus est, cõfirmaret nos, ne scãdalizaremur malos prosperari, bonis autem nõ rectè succedere videntes. Quis enim iustus videns ipsam iustitiam esse crucifixã, ab his quorũ iniquitas, quasi ex adipe prodiit, qui in labore hominũ non erant, & cũ hominibus non flagellabantur, quis inquã, iustus, cũ sibi aliquid simile acciderit dicat iã: ergo sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocẽtes manus meas. Nam si narrauerit sic, ecce nationẽ filiorũ Dei, imo ipsam filii Dei passionẽ reprobauit. Bene ergo in ostensione flagellati & crucifixi iusti cantatur: Quã bonus Israël Deus rectis corde; vt nõ moueantur pedes nostri, id est ratio & iudicium nostrũ, quando pacem peccatorum videmus. Offerenda quoque cũ versibus, sumpta de Psalmo sexagesimo octauo, qui totus ex persona saluatoris orantis in passionis agone, conscriptus est: indicat, cũ quanto desiderio caritatis, illa susceperit, quæ in passionis serie prælecta sunt; dũ dicit: Improperiũ exspectauit cor meũ, & miseriam: improperiũ scilicet in verbis exspectauit, id est desiderauit cor meũ; & miseriã scilicet in factis, & sustinui

id est exspectaui, qui simul contristaretur, videlicet de perditione sua mecum doleret, & non fuit: subauditur qui id faceret, consolantem me quaesiui, id est bene operantem per pœnitentiam, & non inueni. Et dederunt in escam meam fel, hoc est amaros se mihi reddiderunt.

MISSA DOMINICA IN PALMIS.

INTROITVS.

DOmine ne longe facias auxilium tuum à me, ad defensionem meam aspice: libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam.

Psal. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longe à salute mea verba delictorum meorum. Domine ne longe.

OREMVS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exẽplum, Saluatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti: concede propitius, vt & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem.

Lectio epistolæ Beati Pauli Apostoli, ad Philippenses.

Cap. 2. FRatres: Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu: Qui cũ in forma Dei esset, non

non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Graduale. Tenuisti manum dexteram meã, & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria assumpsisti me. *Vers.* Quam bonus Israël Deus, rectis corde: mei autem pene moti sunt pedes, pæne effusi sunt gressus mei: quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. *Psal. 72.*

Tractus. Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti. *Vers.* Longe à salute mea verba delictorum meorum. *Vers.* Deus meus clamabo per diem, nec exaudies in nocte: & non ad insipientiam mihi. *Vers.* Tu autem in sancto habitas, laus Israël. *Vers.* In te sperauerũt patres nostri: sperauerunt & liberasti eos. *Vers.* Ad te clamauerunt, & salui facti sunt; in te sperauerunt & non sunt confusi. *Vers.* Ego autem sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. *Vers.* Omnes qui videbant me, aspernabantur me, locuti sunt labijs & mouerunt caput. *Vers.* Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam vult eum. *Vers.* Ipsi vero considerauerunt & conspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, *Psal. 21.*

& super

& ſuper veſtem meam miſerunt ſortẽ. *Verſ.* Libera me de ore leonis, & à cornibus vnicorniũ humilitatem meam. *Verſ.* Qui timetis Dominum, laudate eum: vniuerſum ſemen Iacob, magnificate eum. *Verſ.* Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cęli iuſtitiam eius. *Verſ.* Populo qui naſcetur, quẽ fecit Dominus.

Paſſio Domini Ieſu Chriſti, ſecundum Matthæum.

Cap. 26. IN illo tempore: dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Scitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur. Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, & ſeniores populi, in atrium principis ſacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & concilium fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent, dicebant autem, non in die feſto: ne forte tumultus fieret in popũlo. Cum autem eſſet Ieſus in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier, habens alabaſtrum vnguenti pretioſi, & effudit ſuper caput ipſius recumbentis. Videntes autem diſcipuli indignati ſunt dicẽtes: Vt quid perditio hæc? Potuit enim vnguentum iſtud venundari multò, & dari pauperibus, ſciens autẽ Ieſus ait illis: Quid moleſti eſt is huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me. Nã ſemper pauperes habitis vobiſcum: me autem non ſemper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum: ad ſæpeliendũ me, fecit, Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur

dicetur & quod hæc fecit in memoriam eius. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicitur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum: & ait illis, quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet, Prima autem die azymorum, accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha? At Iesus dixit: Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei; Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus: & parauerũt Pascha. Vespere autem facto discumbebat cũ duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit. Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est. Et contristati valde cęperũt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet, filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autẽ homini illi, per quem filius hominis tradetur: Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panẽ, & benedixit ac fregit: deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit: & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamẽti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorũ, dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud

bibam vobiſcum nouum in regno patris mei, & hymno dicto exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Ieſus: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus, ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequã Gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & omnes diſcipuli dixerunt. Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani; & dixit diſcipulis ſuis: Sedete hic donec vadam illuc, & orem. Et aſſumpto Petro & duobus filijs Zebædei, cępit contriſtari & męſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Suſtinete hic, & vigilate mecum. Et progreſſus puſillum procidit in faciem ſuam, orans & dicẽs: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes: & dicit Petro; Sic? Non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Iterum ſecundo abijt, & orauit dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum: fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis iterum abijt, & orauit tertio, eundem ſermonem dicens: Tunc venit ad diſcipulos ſuos & dicit illis

illis: Dormite iam & requiescite: Ecce appro
propinquauit hora, & filius hominis tradetur
in manus peccatorum. Surgite eamus: ecce ap-
propinquauit qui me tradet Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero ipse est: tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum dixit: Aue rabbi: Et osculatus est eum. Dixitque illis Iesus, Amice ad quid venisti? Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum, exemit gladium suum: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait ei Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare patrem meum: & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Iesus turbis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me. Quotidie apud vos sedebam docens in templo: & non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. At illi tenentes Iesum duxerunt ad Caipham Principem sacerdotum, vbi scribæ & seniores conuenerant; Petrus autem sequebatur eum à longe, vsque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat

cum miniſtris: vt videret finem. Princeps autem ſacerdotum, & omne concilium, quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt eũ morti traderent: & non inuenerunt. Cũ multi falſi teſtes, acceſſiſſent, nouiſſime autem venerunt duo falſi teſtes & dixerunt. Hic dixit, poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud. Et ſurgens princeps ſacerdotum, ait illi: Nihil reſpondes ad ea, quæ iſti aduerſum te teſtificantur? Ieſus autem tacebat. Et princeps ſacerdotum ait illi. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus, filius Dei. Dicit illi Ieſus, tu dixiſti: Veruntamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli. Tunc princeps ſacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus. Ecce nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? at illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis, tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt. Alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit? Petrus vero ſedebat foris in atrio, & acceſſit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens: neſcio quid dicis. Exunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & ait his, qui erant ibi: & hic erat cum Ieſu Nazaræno. Et iterum negauit cum iuramẽto, qnia non noui hominem, & poſt puſillum acceſſerunt, qui ſtabant, & dixerunt Petro: Verè & tu ex illis es; nam & loquela tua manifeſtũ te facit. Tunc cœpit deteſtari & iurare; quia

quia non nouisset hominem. Et continuo Gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: priusquam Gallus cantet ter me negabis. Et egressus foras fleuit amare, manè autem facto, cõsilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, & tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Iudas, qui tradidit eum, quod damnatus esset: pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt. Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum, propter hoc vocatus est ager ille Haceldema, hoc est ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Israël, & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Iesus autem stetit ante præsidem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es Rex Iudæorum? dicit ei Iesus; tu dicis. Et cũ accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respõdit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur præses vehementer. Per diem

autem ſollemnem conſueuerat præſes dimittere populo vnum vinctum, quem voluiſſent: Habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis autem illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis? Barabbam an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod per inuidiam tradidiſſent eum. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad illum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum per viſum hodie, propter eum. Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt populis, vt peterent Barabbam; Ieſum vero perderent. Reſpõdens autem præſes ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus: quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus? dicunt omnes: Crucifigatur. Ait illis præſes: quid enim mali fecit? at illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius: Vos videritis. Et reſpondens vniuerſus populus, dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Tunc dimiſit illis Barabbam: Ieſum autem flagellarum tradidit eis, vt crucifigeretur. Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorio, congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei. Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius; & arundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundi-

arundinem,& percutiebāt caput eius, & postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde: & induerunt eum vestimentis eius & duxerunt eum vt crucifigerent Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyreneum,nomine Simonem. Hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus,& dederunt ei vinum bibere cum felle, mixtum . Et cum gustasset, noluit bibere . Postquam autem crucifixerunt eum diuiserunt vestimenta eius, sortem mittentes ; vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Diuiserunt sibi vestimenta mea , & super vestem meam miserunt sortem: & sedentes seruabant eum : & imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam.Hic est Iesus rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones ; vnus à dextris, & vnus à sinistris . Prætereuntes autem blasphemabant eum , mouentes capita sua & dicentes: Vah qui destruis templum Dei , & in triduo reædificas illud:Salua temetipsum. Si filius Dei es, descēde de cruce. Similiter & principes sacerdotum,illudentes cum scribis & senioribus dicebant:Alios saluos facit, se ipsum non potest saluum facere. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce,& credimus ei.Confidit in Deo liberet eum nunc, si vult; dixit enim, quia filius Dei sum : Idipsum autem & latrones,qui crucifixi erant cum eo improperabant ei. A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonā. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna,dicens:Eli Eli lamma sabacthani:hoc est

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me. Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currens vnus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini,& dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant: Sine,videamus an veniat Elias liberans eum. Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum: & terra mota est, & petræ scissæ sunt,& monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis,post resurrectionem eius venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant,custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant timuerunt valde,dicentes: Vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathia,nomine Ioseph: qui & ipse discipulus erat Iesu. Hic accessit ad Pilatum,& petijt corpus Iesu: Tunc Pilatus iussit reddi corpus, & accepto corpore Ioseph inuoluit illud in sindone, munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra:& aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt. Erant autem ibi Maria Magdalene,& altera Maria,sedentes contra sepulchrum.

Altera autem die quæ est post parasceuen, con-

conuenerunt principes ſacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium, ne forte, veniãt diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: ſurrexit à mortuis. Et erit nouiſſimus error peior priore: Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiã ite cuſtodite, ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cũ cuſtodibus.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Improperium expectauit cor meum & miſeriam, & ſuſtinui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non fuit: conſolantem me quæſiui, & non inueni: & dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea, potauerunt me aceto.

Secreta.

COncede quæſumus Domine, vt oculis tuę maieſtatis munus oblatum, & gratiam nobis deuotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum noſtrum.

Præfatio.

AEterne Deus, qui ſalutẽ humani generis, in ligno crucis conſtituiſti: vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret: Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur. Per.

Communio. Pater ſi nõ poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

Poſt-

Post Communio.

PEr huius Domine operationem mysterij, & vitia nostra purgentur: & iusta desideria cõpleantur. Per.

POpulum tuum quæsumus Domine, ad te toto corde conuerte: quia quos defendis, etiam delinquentes, maiori pietate tueris, sincera mente deuotos.

Ad Benedictionem.

BEnedicat nobis omnipotens Deus, cui & ieiunij maceratione, & præsentium dierum obseruatione placere studemus. *Amen.*

Concedatque nobis, vt sicut ei cum ramis palmarum, ceterarumve frondum præsentari studuimus, ita cum palma victoriæ & fructu bonorum operum, ei post obitum apparere valeamus. *Amen.*

Quique vnigeniti filij eius passionem puro corde credimus, mente deuota venerati studemus, ad resurrectionis festa & nostræ remunerationis præmia, ipsius fulti munimine, veniamus. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA II. HEBDOMADÆ MAIORIS.

Meditatio Passionis Dominicæ, per horas.

PRæter istas formulas meditandæ passionis, quæ a nobis iam sunt propositæ; celeberrima est illa, quæ distinguitur per horas nocturnas, & diurnas.

Eccle-

Ecclesiarum vetus ordo ad disciplinam precum ecclesiasticarum diem & noctem ita distinxit, vt noctem partiretur in quatuor vigilias, In nocturnam, Primum, Secundum Tertium, & laudes: diem vero in Primam Tertium Sextam, Nonam, Vesperam, & totius diei conclusionem (completorium. Non est huius instituti ea commemorare, quæ ad rem istam proprie pertinent: id solum est explicandum inter cæteras rationes, huius partitionis Passionem Domini præcipuam semper exstitisse, qua in re sic Græci de horis canonicis loqui consueuerunt. Hora quoque prima inquiunt illi; ideo psallitur, quia tunc temporis Iudæi, de prodendo Domino consilium inierunt. Hora itidem tertia, quia tunc eundem Dominum Iudæi iudicarunt; Pilatoq; dixerunt: Crucifige eũ, illi tradentes. Sexta porro, quia tunc Christus in crucem ascendit, & tenebræ factæ sunt vsque ad horam nonam Nona insuper quia tunc Dominus Spiritum emisit. Vespertinum denique tempus, quia cum discipulis cænauit, nouumq; testamentum, nouo Pascha instituto tradidit, item quia eadem hora Domini corpus e cruce sublatum est. Quin ipsi Euangelistæ in narratione dominicæ Passionis, diserte nominant vesperam, primum & secundum Galli cantum, tempus matutinum horas, tertiam, sextam, & nonam, omnes præterea qui de horis ecclesiasticis tradiderunt hoc quod dicimus, de Domini passione adferre semper consueuerunt. Verum quæ est ingeniorum diuersitas, non est omnium hac in re eadem partitio: nobis ista videtur plenissima; licet mos Romanus, quo vtimur auspicetur diem a media nocte: ecclesia nihilominus more Apostolico, & forsan e vetere religione Iudæorum, incipit diem a vespera, quæ ab initio vere noctis; sed ab eo tempore lucis diurnæ

In libello de liturgia B. Marci.

diurna, quod proximum est nocti, & iam vergit in noctem: quod tempus dicimus Vesperam. Deinde sub ipsum initium noctis, habemus completorium: à quo currit prima, inde secunda, & reliquæ vigiliæ noctis; seu vt nos loquimur, Nocturnum primum, secundum, tertium, Laudes. Deinde ad ortum solis, pertinet prima; ad tempus medium inter ortum & meridiem tertia; ad meridiem sexta; ad tempus medium inter meridiem & occasum, nona; cui deinde succedit iterum vespera: quæ naturali ratione & ecclesiastica consuetudine, pertinet ad diem vtrumq; qua etiam ratione eo more semper vtimur, vt in ecclesia eiusdem festi, duas habeamus vesperas; primas & secundas, quin etiam ita large rem eam accipimus, vt completorium, quod secundis vesperis succedit, retro quoque trahamus ad diem præteritum. Potest itaque plenissime ita diuidi, per horas ecclesiasticas, Domini Passio. vt

Ad primas vesperas pertineat esus Agni Paschalis, ablutio pedum, Institutio noui testamenti, Iudæ discessus & pactum eius cum Iudæis.

Ad Completorium, omnes illi sermones, quos habuit Dominus cum discipulis post discessum Iudæ, vsque ad hymnum, quem dixit discedens è triclinio.

Ad primum nocturnum, seu primam vigiliam noctis, pertinent egressus Domini e Hierosolymis, transitus per torrentem Cedron, in hortum oliueti: & cætera quæ acciderunt Domino in illo horto.

Ad secundum nocturnum pertinet, comprehensio Domini, duce Iuda, & Domini adductio ad Annam.

Ad tertium nocturnum, quod incidit in mediam noctem,

noctem, pertinet adductio Domini in domum Caiphæ, quo etiam venit Petrus, qui istic etiam audiuit sed non animaduertit primum Galli cantum, qui fit media nocte; & mansit eo loco vsque ad secundum Galli cantum: a quo incipit quarta vigilia, quæ respondet illi officio ecclesiastico, quod laudes vulgo nominamus, ad tertiam itaque & quartam vigiliam noctis pertinent ea omnia, quæ nocte acciderunt Domino, in domo Caiphæ, dico nocte, orto enim sole, adhuc erat Dominus in domo Caiphæ; & ea ibi passus est, quæ pertinent ad horam primam.

Ad laudes seu quartam vigiliam noctis videtur propriissime pertinere, aduentus summorum sacerdotum Phariſæorum & scribarum, qui citati venerunt in domum Caiphæ: vt summo mane haberent concilium contra Dominum: à quibus iudicibus, & eorum ministris grauissimas, verborum factorumq; iniurias passus est Dominus.

Ad primam pertinet condemnatio Domini: nam summo mane fuit Dominus à Synedrio iudicatus reus blasphemiæ in Deum & locum sanctum: & ea sententia pronunciata ductus fuit ad Pilatum: vt ille præterea more Romano, in reum seditionis, & maiestatis animaduerteret, cætera quoque vniuersa pertinent ad horam primam, quæ passus est Dominus apud Herodem, & apud Pilatum in flagellatione & coronatione, vsque in id tempus, quo sententia Pilati, datus est Dominus in crucem.

Ad horam tertiam pertinent ea, quæ acciderunt Domino à sententia crucis, vsque ad corporis sui, crucifixionem: cum eductus est e prætorio Pilati, in montem Caluariæ, vt ibi crucifigeretur.

Ad

Ad sextam pertinet ipsa Crucifixio, & vini pendentis in cruce septem Domini sermones, latronis pœnitentia, aterorumq; contumelia, solis deliquium.

Ad nonam mors Domini, veli & montium scissura, apertio lateris, centurionis admiratio.

Ad vesperam depositio corporis & eius sepultura, quæ necessario a Ioseph o fuerunt paulo maturius procurata: sabbatho enim, quod sequebatur, facere hoc illi per legem non poterant, quo etiam tempore, vel empta, vel composita fuerunt à mulieribus aromata, quibus condirent corpus Domini.

Ad completorium pertinet officium Christianorum, quos in tantarum rerum deuota meditatione, finire diem oportet: exemplo religiosarum feminarum, quæ sepulto Domino, de vnguendo corpore, pro eius temporis conditione, minore forsan fide, plena nihilominus religiosa & Deo placente deuotione, in isto completorio sanctissime cogitabant.

DE RELIGIONE HEBDOmadæ Maioris, & de hac eius Feria Secunda.

INter cæteras rationes, cur ista hebdomada dicatur Maior, eam Dom. præcedēte explicauimus: quod in illa requiratur maior abstinentia ieiunij, hæc enim feria secunda, & dies reliqui huius maioris hebdomadæ, summa ieiunij & pœnitentiæ religione colit, vetere more a Christianis consuetudine qua de re sic

re, ſic Epiphanius ſcribẽs cõtra Aërianos hæreticos. *In diebus autem Paſchatis, quando apud nos fiunt humi dormitationes, caſtitates, afflictiones, ſiccorum eſus, preces, vigilia, ieiunia, & omnes animarum ſalutes per ſanctas afflictiones, ipſi a ſummo mane obſonantur; ridentes ac ſubſannantes eos, qui ſanctum hunc cultum hebdomadæ paſchatis perficiunt, & alibi. Per ſex dies ipſius paſchatis, omnes populi in ſiccorum eſu perſeuerant, pane inquam & ſale, & aqua, nunc vtentes ad veſperam. Et Clemens conſtituit, apoſtolicarum libro 5 cap 17. Ieiunate igitur diebus Paſchæ, incipientes a ſecunda feria, vſque ad ſextam, & ſabbathum: ſex diebus pane tantum, oleribus & aqua menſe adhibitis. Abſtinete his diebus vino & carne. dies quippe luctus, & non feſti ſunt, ſexta tamen feria, & ſabbatho, ex toto manete ieiuni, qui ita firmi viribus eſtis, vt ferre poſſitis: nihil prorſus guſtantes, vſque ad nocturnum galli cantum, cuius etiam ieiunij exemplum commemorat Procopius in Iuſtiniano Imp. qui his ſex diebus non pane & vino ſed ſola braſſica & agreſtibus herbis; longo tempore ſale & aceto maceratis vtebatur: cui potus aqua erat, ſola: neque his ad ſaturitatem veſcebatur, ſed petitum cibum paulliſper deguſtatum, mox dimittebat: non eo ſumpto quod naturæ ſatis erat. Et quidem huius tam arcti ieiunii ratio erat ſermo Domini, qui reprehendentibus Iudæis, quod diſcipuli eius non ieiunarent, ſicut diſcipuli Ioannis: venient, inquit, dies; cum ablatus fuerit ab illis ſponſus, & tunc ieiunabant in illis diebus, quem pium cultum, ſeueriſſime obſeruant omnes eccleſiæ Orientis, quibus vt faciliores, ſic etiam omni tempore leges ieiuniorum religioſiores ſemper exſtiterunt. Præterea Rupertus, & alii ſacrorum rituum ſcriptores,*

tores, magnitudinem eam tribuũt huic hebdomadæ, quod respondeat primæ septimanæ creationis mundi; atque ea occasione dicunt quoque eam vocari maiorem. Magnum inquit Rupertus, illud est & admiratione dignum, quod die Dominica, quæ prima est, in qua creationem mundi cœpit Deus operari, ingreditur salvator ad laborem passionis, & per totam hanc hebdomadam, quæ maior hebdomada dicitur, salutem nostram operatus: die septimo cessauit, & in sepulchro requieuit. Tot diebus salutem hominis operatus est, quot diebus hominem, & quidquid propter hominem creauit, in mundo disposuit. Et prout operum diuersorum, creatione, alij plus, alij minus, rerum & officiorum diuersa quantitate consecrati sunt. Primus hic dies, quia cum tanta claritate opus ingreditur salutiferæ passionis, dignitate illius respiẽdet, in qua dixit: Fiat lux, & facta est lux, de ista vero Feria secunda, sic scribit idem Rupertus: Feria secunda minus ornata videtur, cæteris huius hebdomadæ diebus: quarum omnium officia, lectione passionis, vel cæteris dominicæ mortis insignibus purpurata sunt. Nec mirum: Nam & eius primæ hebdomadæ, qua cuncta creata sunt, cuius hæc similis est, vt supra dictum est, dies secundus, minus aliquid quam ceteri creatoris placito commendatur. Cum enim dixisset. Fiat firmamentum in medio aquarũ; & diuidat aquas ab aquis: non est additum, sicut in operibus cæterorum dierum: Et vidit Deus quod esset bonum: Hoc enim in Septuaginta quidem additum est, sed in Hebraico non habetur. In hoc quoque (vt ait Hieronymus) binarius numerus infamatur, quia primus ab vnitate degenerat, & diuisionis initiator est. Et quia diuisio aquarum superiorum atque inferiorum, diuisionem significat bonorum, & malo-

malorum: quamuis iustam, tamen propter pœnam, ipsorum qui diuidantur, malam; ipsaq; diuisio secũda die facta est, ipsumq; quod dicimus, secundum à binario, non voce, sed sensu proficiscitur, recte iuxta Hebraicam veritatem non est additum in opere diei secundi: & vidit Deus quod esset bonum. Igitur cum secunda dies mundanæ creationis, laude operis minus illustrata sit, non mirum est quod huius hebdomadæ, quæ illam respicit, secunda dies; minus passionali officio purpurata sit. Hesterna die intrauit Dominus triumphans in Hierusalem: & eius diei vespere egressus vrbe, pernoctauit in Bethania deinde mane huius diei, rursum reuersus est Hierosolymã, in quo suo reditu ad vrbem, maledixit Dominus ficui; quæ non habebat fructus, sed tantum folia, & ingressus Hierosolymam secundum quosdam, hoc die eiecit Dominus ementes & vendentes e templo, quæ sententia placet Iansenio, & rationibus & authoritate Marci Euangelistæ, quamuis ab eo plerique hac in re dissentiant; qui eiectionem istam putant factã die hesterno, qua in re notandum, quod hæ duæ Domini actiones, optime conueniunt secundæ diei creationis, qua diuiduntur aquæ ab aquis, sicut hodie distinguitur domus orationis, à domo negociationis, arbor virens sine fructu, ab arbore fructuosa, quod etiam conuenit Dominicæ Passionis quæ optime diuidit seculum à seculo seculum huius mundi, a seculo seculorum.

EXPOSITIO OFFICII.

IN troitus dicit: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me. Iudicauit Dominus Iu-

dæos, qui nocuerunt Christo, & iudicio temporali per totius gentis dispersionem; & æterno, per pœnam inferni, quam sustinent, expugnati sunt impugnantes eum. Iudæi non expugnauerunt Dominum, eo vsque enim non potuit peruenire potestas tenebrarum sed impugnarunt eum; & pro illa sua impugnatione ipsi acceperunt pœnam expugnationis, id est, vt per omnia in potestatem redigerentur, vt omnis facultas impugnandi, illis iam sit sublata. Apprehende arma, & scutum, de istis armis sic scribit sapiens: Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile, æquitatem: acuet autem diram iram in lanceam, Exurge in adiutorium meum, quod vtique euenit resurrectione matutina, qua surrexit à mortuis. Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui persequuntur me. Effudit Dominus frameam suam, id est gladium vindictæ suæ, & conclusit aduersus persequentes se, per Impp. Titum & Vespasianum; & multo etiam seuerius in die postremi iudicij, cum erit plenissima effusio framea: & talis conclusio vt nullum sit plane effugium. Ad istam comminationem Introitus, anxia anima: dicit se deficere, & orat vt per vnigeniti passionem, liceat ei respirare. Deinde vt intelligatur quanti meriti sit ista Passio Domini, quam sit potens & valida ista medicina, quæ resocillat deficientem animam; ex Propheta Isaia exponitur grauitas Dominicæ Passionis: Corpus meum dedi percutientibus. Fuit Christus Deus noster positus direptioni. Vt enim castellum à militibus & hostibus captum diripitur, & in illa expugnatione & direptione nulla est in militibus pietas, nulla misericordia, sed hic deijcit, ille subleuat, & quidam frangit, quidam pedibus conculcat, quidam rapit quidam secum affert,

fert, & omnes truculento vultu omnia furibundis clamoribus implent : sic lata a Pilato horribili illa, immanissima atque iniustissima sententia, vt Christus crucifigeretur, & Iudæorum voluntati traderetur; omnes in eum irruerunt, & impetum fecerũt: Hic autem alapis cædebat, ille capillos exstirpabat: Quidam eum proijciebant in terram, alij eum conculcabant pedibus: quidam sputis preciosissimam ac pulcherrimam eius faciem deformabant, ac alij eius barbas euellebant, & in manibus eas asportabant; & omnes denique vociferabantur, suam impiam immanitatem exercentes, & innocentissimum agnum ad crudelissimam, & acerbissimam mortem vocantes. Quid plura? fuit Deus noster commissus direptioni, & voluntati suorum hostium traditus : & in medio luporum mitissimus agnus constitutus. Quid vnquam sub sole factum fuit indignius? Quod fuit vnquam tam impium facinus? Lege Euangelicam historiam, & videbis indignissimas contumelias, acerbissimos cruciatus , quibus homines sceleratissimi, Christum sanctissimum affecerunt. Verum id quod hic scribitur, nempe, genas meas dedi vellentibus, non memini legisse in Euangelijs; sed credendũ est factum fuisse quoniam fuit in hoc loco a Propheta sancto prædictum . Multa enim perpessus est Christus, quæ Euangelistæ particulariter non expressérunt. Satis fuit dixisse diuum Lucam, Pilatũ tradidisse Iesu voluntati eorum. Cogita igitur quot & quam immania supplicia, iis verbis comprehendantur. Si Iesus crudelissimorum hostium suorum voluntati tradebatur, qui in illum inaudito odio ardebant, perpende, quot vulneribus, quibus iniuriis, qualibus opprobriis eum afficerent, & quam impie & immaniter, eum ad supplicium raperẽt. Ad gra-

uitatem quoque passionis pertinet innocentia Domini: Iuxta est qui iustificat me, quis cõtradicet mihi? Stemus simul, quis est aduersarius meus, quod aliis verbis sic dixit ipse Dominus: Quis ex vobis arguet me de peccato? Graduale ex eodem Psalmo respondet lectioni: nam sicut ibi post commemorata opprobria sua dicit Dominus. Et scio quoniam non cõfundar; sic in Graduali exponit causam, cur hoc sciat, nempe, quod causa sua iusta exsistat, & iudicium de se, nisi bonum, fieri nullum possit: & idcirco confidenter debeat dicere: Exsurge Domine & intẽde iudicio meo, certus quoque sit ob causæ suæ iustitiam, quod effusurus sit Dominus frameam, & concluſurus eos, qui se persequuntur Euangelium est de cœna facta Domino, in Bethania, sexto die ante Pascha, causa cur hoc die, & non etiam sabbatho praecedente proponatur hæc cœna, ibi est à nobis explicata, optime vero conuenit hæc cœna Passioni: continet enim causam proditoriæ traditionis, factæ a Iuda. Expresse quoque dicit Dominus in Euangelio: hanc vnctionem esse vice illius vnctionis, quæ mortuo debebatur & quam illi præstitisset Maria ante sepulturam, si non etiam fuisset impedita religione Sabbathi, per quam factum est, vt Dominus subitaneæ operæ inuolueretur sindoni mundæ, adiunctis aromatibus, quod enim hic dicitur: Sinite eam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud, hoc alijs verbis sic dicunt alii Euangelistæ: Quid molesti estis huic mulieri? mittens enim hoc vnguentum in corpus meum, præuenit vngere corpus meum in sepulturam, & ad sepeliendum me fecit: nempe hoc operante per eam spiritu sancto. In offertorio deuotus precator, ad memoriam Dominicæ passionis, dicit ex postremo psalmo pœnitentiali: Eripe me de inimicis meis,

meis, de tentationibus huius seculi, carnis meæ, & hostis mei diaboli. Domine ad te, ad tuam protectionem confugi. Et quia pœnitentibus præter auersionem a malo, necessaria est in posterum diuinorum mandatorum custodia addit: doce me facere voluntatem tuam, illam doctrinam, me doce, qua per charitatem affectus, confortatur & incenditur. Quia Deus meus es tu hoc igitur fac Domine, propter temetipsum. Communio ex eodem Psalmo 34. prædixit confusionem & generalem infamiam Iudæis: qui sibi gratulantur de malis Domini, qui tantam sustinent infamiam, vt sint veluti induti pudore & reuerentia, eo quod maligna loquuntur aduersus Dominum.

MISSA.

INTROITVS.

IVdica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exsurge in adiutorium meum, Domine virtus salutis meæ. *Psal.* 34.

Psal. Effunde frameam & conclude aduersus eos, qui persequuntur me, dic animæ meæ: salus tua ego sum. Iudica Domine.

DA quæsumus omnipotens Deus, vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente vnigeniti filij tui passione, respiremus. Per eundem.

CVnctis nos quęsumus Domine reatibus & periculis clementer absolue; quos per lignum sanctæ crucis, redimere dignatus es.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Cap. 50. IN diebus illis, dixit Isaias: Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam, non auertiab increpantibus, & conspuētibus; Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus, ideo posui faciem meā, vt petram durissimam: & scio quoniā non confundar. Iuxta est qui iustificat me: quis contradicet mihi. Stemus simul, quis est aduersarius meus? Accedat ad me: Ecce Dominus Deus, auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Deū, audiens vocem serui sui? Quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur super Dominum Deū suum.

Psal. 54. *Graduale.* Exsurge Domine, & intende iudicio meo, Deus meus & Dominus meus in causam meam. *Vers.* Effunde frameam, & conclude aduersus eos, qui me persequuntur.

Psal. 102 *Tractus.* Domine non secundum peccata nostra quæ fecimus nos, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Vers.* Do-

Psal. 78. mine ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. *Vers.* Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine, libera nos: & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Sequen-

Sequentia ſancti Euangelij ſecundum Ioannem.

ANte ſex dies Paſchæ, venit Ieſus Bethaniá; vbi Lazarus fuerat mortuus: quẽ ſuſcitauit Ieſus. Fecerũt autẽ ei cœnã ibi, & Martha miniſtrabat: Lazarus vero vnus erat ex diſcũbentibus cũ eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes Ieſu, & extерſit capillis ſuis, pedes eius, & domus impleta eſt ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius, Iudas Iſcariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum nõ venit trecentis denarijs, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habẽs, ea quæ mittebantur portabat. Dixit ergo Ieſus: Sine illam vt in diem ſepulturæ meæ ſeruet illud: Pauperes enim ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Cognouit ergo turba multa, ex Iudæis, quia illic eſſet: & venerunt non propter Ieſum tantum, ſed vt Lazarum viderent, quem ſuſcitauit à mortuis. *Cap. 12.*

Offertorium. Eripe me de inimicis meis Domine: ad te confugi, doce me facere voluntatẽ tuam: Deus meus es tu. *Pſal. 142.*

Secreta.

HÆc ſacrificia nos omnipotens Deus, potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Per Dominum Ieſum Chriſtum.

Præfatio.

PEr Christum Dominum nostrum : Cuius nos humilitas erigit, traditio absoluit, pœna redimit, crux saluificat, sanguis emaculat, caro saginat : per quem te summe pater cum ieiuniorum obsequio obsecramus, vt ad eius celebrandam passionem purificatis mentibus accedamus.

Psal. 34. *Communio.* Erubescant & reuereãtur simul, qui gratulantur malis meis, induantur pudore & reuerentia, qui maligna loquuntur aduersum me.

Post-Communio.

PRæbeant nobis Domine, diuinum tua sancta feruorem ; quo eorum patiter & actu delectemur & fructu. Per Dominum nostrum Iesum.

Super populum.

ORemvs. *Humiliate capita vestra Deo.*

ADiuua nos Deus salutaris noster: & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per Dominum.

Ad Benedictionem.

OMnipotens Deus, adaperiat cor nostrũ in lege sua, & humiliet animas nostras, ad capienda mandata cœlestia. *Amen.*

Quicquid nobis pro salute animarũ nostrarum enarratur, acceptum, nobis pietas diuina efficiat. *Amen.*

Vt diuinis sermonibus animati, cum eis qui pro nobis inuigilant ad æternam beatitudinẽ, mereamur peruenire illæsi. *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA III. HEBDOMADÆ MAIORIS.

Meditatio Dominicæ Passionis ex ligno Crucis.

EST quædam & hæc præclara Meditatio Dominicæ passionis, quæ sumitur nõ ex corpore Christi vulnerato, neque ex anima Christi, tristi vsque ad mortem; sed quæ rem eandem examinat ex ligno crucis, cui Dominus fuit affixus: quod genus meditationis nobis cõmendatur ratione naturali: cõtinua omniũ ecclesiarũ totius orbis terrarũ vniuersali cõsuetudine: Ipsa postremo sacra scriptura. Forma eius supplicij quo mortuus est Dominus, & pœnæ acerbitate, & ignominiæ turpitudine, grauissima semper fuit atque hæc ante ea tempora, quibus mũdus factus fuit Christianus, fuit omniũ populorũ de hoc supplicio sententia, tamẽ si quod est in rerũ natura occulte verũ, hoc intelligere per se homines potuissent, plane hoc inuenissent; formã crucis, salutis & signũ & instrumentũ existere, quæ res ab ijs authoribus studiose explicatur, qui cõtra Paganos, crucis dignitate tueri consueuerunt, qua ratione hoc contra Paganos recte dixit Minutius fœlix. Signo crucis aut ratio naturalis innititur, aut vestra religio formatur, & apud B. Hieronymũ. Ipsa species crucis quid est nisi forma quadrata mũdi. Aues quãdo volãt ad athera formã crucis assumũt: Homo natãs per aquas, vel orãs forma crucis visitur. Minutius, Signũ sane crucis naturaliter visimus in naui, cũ velis tumẽtibus vehitur, cũ expansis palmulis labitur, & cũ erigitur iugũ, crucis

In Marc. cap 11.

In dial. octauo.

signum

signum est, & cum homo porrectis manibus, Deum pura mente veneratur. Maximus Taurinensis, grande est crucis sacramentum, & si intelligamus, per hoc signum mundus ipse saluatur. Nam cum à nautis scinditur mare, prius arbor erigitur, velum distenditur, vt cruce Domini facta, aquarum fluẽta rumpantur. Sed & bonus agricola, cum parat terræ solum vertere, non nisi per signum crucis id facere conatur: Dum enim aratro dentale subijcit, assigit aures, stiuam inserit, figuram crucis imitatur, cœlum quoque ipsum, huius signi figura dispositum est: nam cum quatuor partibus distinguitur; Oriente, Occidente, Meridiano, & Septentrione, quatuor quasi crucis angulis continetur, Ipsius etiã incessus hominis, cum manus leuauerit, crucem pingit, atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu, passionem Domi-

Apol. 11. *ni fateamur. Iustinus, considerate omnia quæ in mundo sunt, an sine signo hoc crucis gubernentur, aut possint præbere sui vsum: Mare enim non scinditur, nisi tropheum istud quod malus appellatur, saluum in naui maneat: Terra non aratur sine eo; fossores vero opus non absoluunt, neque alij item operarii mechanici, nisi per instrumenta, quæ formam hanc referant. At humana figura non alia re a belluis differt, quam quod & recta sit, & manuum extensionem habeat, & in facie à fronte protensum nasum, per quem & respiratio animalibus est, neque aliud demonstrat quam signum hoc crucis. Verissime igitur dixit Minutius: Signo crucis, ratio naturalis innititur. Quod vero subdit: aut vestra religio formatur, hoc illi ipsi atque alii authores in labaro, in trophæis, in victoriis, aliisq; in rebus multis, ostendunt: quæ idcirco omittimus, quod ad institu-*

tum

tum minus pertineant. Illud vero obiter hic eſt notandum, antiquiſſimis laudatiſſimiſq; eccleſiæ temporibus, probatam fuiſſe conſuetudinem orandi, quæ ipſo mẽbrorũ geſtu paſſionẽ Domini fatetur. Pertinet quoque ad naturalem rationem, quod in Ægyptiorum Hieroglyphicis hoc fuerit ſignum ſalutis, quod illos vel ex iſtis naturæ occultis, vel ex quadam diuinitate accepiſſe eſt neceſſe, vel quod mihi probatur, omnium diuinarum & humanarum rerum, eſt certa quædam & occulta proportio ſympathia: quæ intelligi niſi a beatis tota nequeat, & quam quiſque, quo eſt mente defæcatior, eo clarius & videt & intelligit. Et forſan ex iſto lumine eſt hæc illa Ægyptiorum ſacra pictura. Certe iſta ratione hoc eſt effectum, vt in Domini Paſſione ſimul intelligeremus & ſatisfactionis magnitudinem, & ſalutis operationem, per eam formam, quæ in omni re naturali ſumme eſt ſalutaris. Quod erat proximum de catholica conſuetudine, vniuerſarum eccleſiarum, illa equidem eſt eiuſmodi: vt ea nobis omnibus & locis, & temporibus proponat ſolas ligneas cruces, ſine affixione corporis. ſumma quoque religione, ſingulari veneratione, & colat & adoret fruſta illius ligni, in quo Dominus pependit, quod certe nunquam faceret, niſi intelligeret, quanta hac in re verſaretur authoritas, quam eſſet ea res accomodata, ad excitandas hominum mentes, in illam ſacroſanctam & auguſtam cogitationem Dominicæ Paſſionis, vulgares cruces ex quouis fiunt ligno, & nihil ſunt niſi lignũ, forma quoque, quam illi ligno dedit artifex, ex iis rebus exiſtit, de quibus dicitur: opera manuum hominum. Quin illud ipſum lignum, quod Dominus humeris ſuis geſtauit, cui fuit affixus, quod ſanguine ſuo perfudit, nihil eſt, niſi purum putum lignum,

ſubſtantia

ſubſtantia inanimata inſenſibilis: hoc tamen ſic colimus, ſic adoramus tanquam viuaciſſimam ac ſingulariſſimam repræſentationem eius rei, quod ſupremo cultu latriæ coli à nobis oportet. Vxor languēs deſiderio abſentis mariti, gaudet eorum ſermonibus, qui narrant vidiſſe, magis etiam eorum, qui nunciant imperata, multo etiam magis, ſi videt epiſtolas, ſi certo agnoſcit manum ſcribentis: tum enim exultat, tum oſculatur ſcripturam tum flet præ gaudio, currit ad amicos, oſtēdit literas, voluit, renoluit, ſtudioſe recondit, nec ante mariti aduentum deponit cogitationem literarum. Et hoc eſt, quod facimus in adoratione crucis, hæc eſt ſcriptura quam ſcripſit Dominus vtraq; manu ſua: calamus fuerunt claui, atramentum fuit ſanguis, papyrus fuit lignum, tota crux pulpitum, cui eſt innixus: hanc igitur papyrum obuoluimus oculis, hanc oſculamur ore, huic figimus genua, huic multa diçimus quæ non ligno, ſed illi cōueniunt quem exſpectamus, quem deſideramus, & quia verum lignum ipſius crucis ad myſteriū ſalutis propius pertinet: idcirco illud religioſius colimus cæteris lignis, ex quibus crucium formæ ſunt confectæ: ſi enim illi, quam diximus vxori, conſtaret; maritum hanc ſibi papyrum ſua manu feciſſe, eo ſtudio vt ſic ſe commendaret vxori, omnino plus etiam tribueret iis litteris. Neque illud hac in re mouere deuotos homines oportet, quod tot omnibus locis reperiantur fruſta veræ crucis, quanta ex illo ligno abſcindi non potuiſſe videantur: Sciendum enim ex illa portione crucis quæ Hieroſolymis relicta eſt, fidelibus eò peregrinantibus, pietatis ergo, & pro mercede longi itineris, aliquid ex dominica crucis ligno ſibi impertiri obnixe petentibus, à loci epiſcopo ſolere fruſtum concedi. Sed operante diuina virtute ingi miraculo, (vt

ſcribit

ſcribit S. Paulinus epiſtola 11.) crux in materia inſenſata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pœne quotidie hominum votis, lignum ſuũ commodat, vt detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie diuiduam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus: Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem, de illius profecto carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem nõ vidit corruptionem. Hæc Paulinus. Certiſſime igitur ſcimus ex vrbe Hieroſolymitana, in totum orbem Chriſtianum translatas fuiſſe partes veræ crucis, cuius rei præter Paulinũ iam citatum, grauiſſimus & certiſſimus nobis eſt author Cyrillus, qui a temporibus Conſtantii Aug. vſque ad aliquot annos Theodoſij fuit epiſcopus Hieroſolymitanus: qui catecheſi decima volens probare veritatem de Chriſto, ex iis quæ Hieroſolymis & in Paleſtina exiſtebãt poſt nominatum Iordanũ, mare Tiberiadis, Gethſemani, Golgatha, Palmam in Pharinge, lignũ, inquit, crucis teſtatur ad hodiernũ diem apud nos apparens, & apud eos, qui ſecundum fidem ex illo capientes, hinc vniuerſum orbẽ fere iam replerunt, & rurſum catecheſi 13. Paſſio itaque vera, vere enim crucifixus eſt, & non confundimur, neque negamus ſed potius in eo gloriamur, ſi enim nunc negare, arguet me hic Golgathas, cui nunc omnes proxime aſſiſtimus arguet me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco per vniuerſum orbem ſparſum eſt. Præterea eccleſia nobis teſtatur ſenſum ſuum, non ſolum illo honore quẽ exhibet forma crucis, in publico eccleſiarũ officio; verum etiã eo honore, quẽ Chriſtianorũ principum leges cruci tribuerunt è quibus Conſtantinus Imp. primus illud e ſuppliciis tulit, cõſtante ſequentiũ tẽporũ obſeruãtia. Victor: vetus veterrimũq; ſupplicii In Conſt.

patibu-

Lipsius l. 3. c. 14

patibulorum, & crucibus suffringendis primus remo uit. Cassiodorus: Supplicium crucis quod primitus apud Romanos erat in usu, lege prohibuit, Augusti. Quæst. in vetus t. ſt. Antea homines cruci figebantur quod postea edicto prohibitum manet. Nec solum exempta a supplicio, sed maximi illi etiam honores sunt attributi: translatæ eum sunt cruces in labarum, in signa militaria in capita, in manus Imperatorum. Hieronymus in epist. ad Letam, Regum purpuras, & ardentes diadematum gemmas, patibuli saluatoris pictura condecorat, quæ res tam est admiranda quam nũc existeret nouum, si Rex Galliarum relictis signis gentilitiis liliorum, furcam sibi totiq; suæ genti assumeret, & hoc in gratiam alicuius suspensi Regis: id enim si fieret, tum hoc profiteri esset necesse, incredibile fuisse illius Regis in regnum Galliæ, & admirandum beneficium: in cuius gratiam, tanta infamia in tantum honorem transierit. Cum itaque Christi infamia, facta sit nostra gloriatio, factum sit signum filii hominis; sequitur quod dicebamus hoc illud signum crucis maximas cogitandi, meditandi, memorandi rationes atque causas continere, quæ è scriptura sacra, duo potissimum occurrunt: e quibus vna pertinet ad totam crucem, altera ad singulas eius partes, ad totam pertinet quod legimus passim de exaltatione & sublatione Domini in excelsum lignum. Nam quoniam inquit Lactantius, is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus; & cæteris altior, crux potius electa est, quæ significaret illum tã conspicuum, tamq; sublimem futurum: vt ad eum cognoscendum pariter & colendum, cunctæ nationes, ex omni orbe concurrerent. Ex hoc dixerat Dominus: Ego cum exaltatus fuero, omnia traham ad me. Vtrumq; igitur significat crux, & eleuationem in altum

Lib 4. c. 26.

tum, & humilitatem passionis, sicut serpens in deserto sublatus in altum, & propter humilitatem animalis repentis per terram, & propter elevationem vtrumq; præsignabat, & hac consideratione sic monet Paulus: Deponentes omne pondus & circunstans nos peccatum: per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextra sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit, a peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes. Sed plenior est illa meditatio, quam sumunt patres ex capite tertio ad Ephesios, vbi dicit Apostolus, flectere se genua sua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi: vt det nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem, corroborari per spiritum eius in interiore homine, Christum habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicati & fundati, vt possimus comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Hanc enim charitatem Christi, quæ superat omnem scientiam & intellectum hominum, quã optat Paulus nos totam intelligere: ita totam, vt sciamus omnes eius dimensiones, vt sic impleamur in omnem plenitudinem Dei: hanc dicunt Patres inueniri in cruce, in qua sunt istæ quatuor dimensiones, latitudo in ligno transuerso, vbi extensa sunt brachia, & affixæ manus, longitudo in ea parte, quæ est à terra vsque ad lignum transuersum, Sublimitas in ea parte, quæ est à ligno transuerso sursum, vbi est caput crucifixi. Profundum in ea parte, quæ terræ

est

Ad Honoratum ep. 120.

est infossa. B. Augustinus: Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. In hoc mysterio figura crucis ostenditur, qui enim, quia voluit, mortuus est, quomodo voluit mortuus est. Non frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi in eo quoque latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno, quod transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extendnntur manus. Longitudo in eo, quod ab ipso ligno vsque ad terram conspicuum est, ibi enim quodammodo statur, id est persistitur & perseueratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, qua ab illo quod transuersum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est ad capita crucifixi: quia bene sperantium superna exspectatio est. Iam vero illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totum illud exsurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ, in quo multorum ingenia conterunntur id vestigare conantia: vt ad extremum eis dicatur: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? & iterum eadem epistola:

Cap. 36

Intelligentes igitur peregrinationem nostram in hac vita, mundo crucifigamur: extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate vsque in finem perseuerantes, atque habentes cor sursum, vbi Christus est in dextera Dei sedens, totumq; hoc non nobis, sed illius misericordiæ tribuentes; cuius profunda iudicia, omnem scrutatorem fatigant. Hæc est enim non inaniter fabulosa, sed vtiliter verax latitudo, longitudo, altitudo, profundum, vnde perueniemus etiam ad supereminentem scientiam charitatis Christi, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Repetit idem aliis verbis August. epist.

epiſt. 112. cap. 14. & hoc dicit eſſe ſacramentum crucis. Iterum pulchrè alio loco loquens de hyſſopo. Hæc herba, inquit, mitis & humilis eſt, nihil ſortius & penetrabilius eius radicibus, vt in charitate radicati & fundati poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo & longitudo, & altitudo, & profundum, id eſt crucem Domini, cuius latitudo dicitur in tranſuerſo ligno, quo extenduntur manus, longitudo a terra vſque ad ipſam latitudinem, quo à manibus & infra, totum corpus affigitur; altitudo à latitudine ſurſum, vſque ad ſummum, cui adhæret caput; profundum vero quod terræ infixum abſconditur, quo ſigno crucis, omnis actio Chriſtiana deſcribitur, bene operari in Chriſto, & ei perſeueranter inhærere, ſperare cœleſtia, ſacramenta non prophanare per hanc actionem purgati, valebimus cognoſcere etiam ſupereminente ſcientiam charitatis Chriſti: qua æqualis eſt patri, per quẽ facta ſunt omnia, vt impleamur in omnẽ plenitudinẽ Dei. Amalarius ad paraſceuen tribuit fidẽ illi parti crucis, quæ eſt in fundo ſpẽ altitudini caritatem latitudini, & perſeuerantiã in his tribus, longitudini. Tractat rem eãdem B. Auguſt. Tract. 118. in Ioannẽ, quo loco tres adfert ſignificationes crucis, Primã eã quã diximus, quatuor dimenſionum, quas eo loco eodẽ modo interpretatur vt ſignificẽt, quo pacto cõformari nos oportet cruci Chriſti; bene viuendo, in latitudine charitatis operãdo, in longitudine perſeuerãdo, in altitudine ſperando: quoniam cuncta, quæ latitudine ac lõgitudine bene & perſeueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda ſunt præmiorũ in profunditate: bona enim noſtra de profunditate gratia Dei, qua comprehendi ac diiudicari non poteſt vniuerſa procedunt. Secundam, vt hoc ſignificet quod ait

De doctr. chriſt. lib. 2. cap. 1.

Apostolus: Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis. Tertio dicit hoc esse signum Christi: Quid est, inquit, quod omnes nouerũt signum Christi, nisi crux Christi, quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium; siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo alũtur; nihil eorum rite perficitur. Hæc Aug. qui crucem vocat signum Christi, sicut alibi, quod dicitur de extremo iudicio: appariturum signum filij hominis: id ecclesia semper intellexit de visibili & conspicua forma crucis, hinc enim cœpit regnare Christus: Regnauit a ligno Deus: de cruce sua vicit reges, & subiugatis eis, ipsam crucem in fronte fixit, & gloriantur de illa, quia ibi est salus eorum. B. Bernardus has quatuor dimensiones dicit esse crucem Christi singulasq; sic tribuit Deo: In sublimitate nota potentiam, in profundo sapientiam, in latitudine charitatem, in longitudine æternitatem seu veritatem quæ quatuor dicit esse in Deo; & illis quatuor deberi a nobis duo. Potentiæ & sapientiæ timorem verum, id est quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis. Simulatio est quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. Charitati & veritati debemus amorem verum, id est quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis. Atque isto modo conformabat se cruci B. Bernardus. Præterea quis iure reprehendat eum deuotum meditatorem, & osculatorem crucis: vt in eius profunditate cogitet humilitatem crucifixi, humiliati vsque ad mortem, vsque ad sepulturam infra terram, vsque ad descensum ad inferos: in latitudine latitudinem charitatis, qua se totum effudit, qua extensis bra-

De natura & dig. diuini amoris cap. 11.

brachiis, omnia est complexu: in longitudine dilectionem, qua in finem dilexit nos: vt perueniremus ad altitudinem vbi est caput, vbi est scriptum: Rex Iudæorum, vbi profitemur: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram patris. Ista itaque atque alia mutra sunt in hoc signo Christi, quod omnes nouerant tempore Augustini, & nunc summa impietate vel si quod est verbum grauius, flagitiosissimo contemptu Dei, execranda blasphemia, de mente, de corde, de cogitatione, & e manibus ex oculis subducitur.

HISTORIA HVIVS DIEI.

ISta die mane reuersus est Dominus rursum è Bethania in Hierusalem: In quo itinere cum discipuli cum Domino mane transirent viderunt ficum aridam factam a radicibus, & videntes discipuli mirati sunt: Quomodo continuo aruit, & recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit: postea ingressus Dominus Hierosolymam, tota ea die docuit in templo, rogatur à Pharisæis & scribis in qua potestate hæc faceret, respondet Dominus per interrogationem de Ioanne, loquitur in multis parabolis, de duobus filiis, vno recusante obedientiam, & postea pœnitente; altero contra faciente, de locata vinea, de nuptiis filij soluitur quæstio de tributo Cæsari dando, quæstio Sadducæorum de resurrectione, quæstio Pharisæorum de maximo mandato, quæstio de Christo, cuius filius sit, docet audiendos & cauendos Scribas, præfertur oblatio vidue, cæterorum oblationibus, egresso de templo, ostendunt illi discipuli ædificationes templi: deinde Domino egresso vrbem, & sedente eo super montem oli-

neti, contra templum, rogant enim secreto discipuli, de euersione templi & Hierosolymorum, vbi multa eis & hac de re, & de futuro iudicio Dominus respondet: proponit parabolam de decem virginibus, de distributis talentis.

EXPLICATIO OFFICII.

B. Aug. inter frag. serm. 27

CONtra ignominiam crucis, hodie auspicamur officium à gloriatione, quam habemus in Cruce: est enim gloria nostra in Domino, & hoc in Domino Christo Crucifixo, vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita; si vis ad illa venire, noli ista contemnere. Hæc est Christiana doctrina, humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, vt non gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Noli erubescere de Cruce Christi, ideo in fronte tanquam in sede pudoris, signum ipsius accepisti, signum veteris testamenti, circumcisio, in latente carne, signum noui testamenti, Crux in libera fronte, ibi enim occultatio est, hic reuelatio, illud est sub velamine, hoc in facie. Recte igitur in Introitu ex Apostolo dicimus, gloriationem nostram collocari a nobis oportere in Cruce Domini nostri Iesu Christi, id est, in Christo crucifixo. Causam quoque istius gloriationis nostræ exponit Introitus, dicens: quod in illa crucifixione sit salus vita & resurrectio nostra, quod vtique dupliciter est verũ, ista enim crucifixio est perfectissima, verissima & solidissima schola salutis, vitæ, & resurrectionis nostræ, dum peregrinamur: & præterea est effectrix & collatrix vitæ æternæ. Deinde quia istud beneficiũ, & hæc gloriatio Crucis, procedit de singulari Dei

miseri-

miſericordia, erga totum genus humanum: idcirco ſubijcitur ex Pſalmo, inuocatio diuinæ miſerationis: Deus miſereatur noſtri, prauenientè miſericordia ſua, miſereatur totius quaquauerſum ei ſuſum eſt, totius generis humani, & benedicat nobis, id eſt benefaciat nobis, largiendo nobis fructus Crucis, ſalutem, vitam, & reſurrectionem. Illuminet vultum ſuum ſuper nos. Nos ſemper ſumus in conſpectu vultus Dei ſed tunc illuminat vultum ſuum ſuper nos, cum vultus animæ noſtræ recipit in ſe illuminationem Dei, cum intelligimus quid ſit Crux Domini, Et miſereatur noſtri, miſericordia ſubſequente omnibus diebus vitæ noſtræ. Collecta dicit, da nobis ita Dominicæ paſſionis ſacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur, vbi ſacramenta peragere ſic videtur accipiendum, vt intelligatur celebratio ſolennitatis, & dierum, quos Eccleſia deſtinauit cultui Dominicæ Paſſionis, quæ Sacramenta ſic optat nos peragere, vt mereamur percipere indulgentiam, id eſt fructum Dominicæ Paſſionis. De lectione ſic ſcribit Rupertus: Feria tertia legendam Paſſionem bene præcurrit Hieremiæ lectio, qua in perſona eius dicit: Tu Domine demonſtraſti mihi & cognoui, tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi Agnus, qui portatur ad victimam, & non cognoui quia concitauerunt aduerſum me conſilia dicentes: venite mittamus lignum in panem eius, & conteramus eum de terra viuentium, tu Domine Sabbaoth qui iudicas iuſte, & probas renes & corda: videam quæſo vltionem tuam ex eis, nam per hos dies, vſque in quartam feriam, hæc ſtudia, hæc illorum conſilia, magis ac magis ferueſcebant: ſed metuentibus, ne forte tumultus fieret in populo, facultas deerat: Namque ipſe Dominus noſter, diebus

quidem (vt ait Lucas Euangelista) erat docens in templo; noctibus vero exibat in montem, qui vocatur Oliueti; & omnis populus magnificabat eum in templo Et in tantum nulli vnquam adulatus est, vt ait Hieronymus, vt in magna & ampla ciuitate, vel vnius noctis hospitium nunquam habuerit, & quomodo superbissimus Aman erecta Cruce in domo sua, quam parauerat Mardochæo quærebat opportunitatem, qua suggereret regi de illo mane, vt appenderetur: sic diabolus inito consilio in domo sua, id est in cordibus Iudæorum, dicendo: venite, mittamus lignum in panem eius, id est crucem in corpus eius, quærebat opportunitatem, vt Romanæ potestati traderet Iesum, vltionem ergo videntes ex eis, vt in epistola dictum est, gloriamur in Cruce Domini nostri Iesu Christi: Nam is a quo consilium acceperunt, vt mitterent lignum in panem eius, eodem ligno transfixus & spoliatus est. Et Crux Christi gloriosa, a pœna reorum subleuata est, in frontibus Imperatorum itaque vt in introitu cantamus: gloriari nos oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Graduale respondet lectioni quæ clauditur ista prædictione: videam vltionem tuam ex eis, tibi enim reuelaui causam meam, ad istam enim reuelationem causæ pertinet, quod est in Graduali: dum mihi molesti essent, induebam me cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, id est summam humilitatem in omnibus sum secutus, cilicio humanitatis texi potentiam diuinitatis meæ, ieiunabam non reddebam malum pro malo, ad ieiunantes enim proprie pertinet patientia: quinimo orabam pro eis, sed quia ipsi non erant digni: oratio mea conuertebatur in sinum meum, mihi, & mihi adhærentibus profutura est, ad illud vero quod est in lectione: videam vltionem

nem tuam ex eis, respondet graduale: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, sequitur Passio Domini secundum Marcum. Qua in re notandum est, in lectione Passionis quædam obseruari, quibus commendatur tantæ rei mysterium. Lector non petit benedictionem nempe quia proponitur sublatio eius, qui solus est author benedictionis, non adhibentur luminaria, illo sublato, qui est lux mundi. Non fertur incensum: incensum enim significat exultationem animi, quæ non conuenit illi tempori. Non fit salutatio ad populum, per formulam ordinariam. Dominus vobiscum, in detestationem salutationis Iudæ, lector non legit tono ordinario Euangelij sed voce immutata, pro ratione personarum, aliter enim pronunciat verba Christi, aliter Iudæorum, & Pilati, aliter narrationem Euangelistæ. Legitur super nudo pulpito: omni enim specie & ornatu caruit Dominus, alicubi lector est nudis pedibus vt eo modo se conformet afflictioni Dominicæ Passionis. Offertorium est precatio Christi patientis, qua in forma hominis precatur custodiam a diabolo, & a membris eius: non quomodo oramus nos, qui possumus induci in tentationem, sed quomodo orauit in horto: Transeat à me Calix iste. Communio est ex Psalmo 68. qui clare & perspicue totus pertinet ad Domini Passionem. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta: senatores & Iudices, deliberato contra me, in commune consultabant, & in me psallebant, qui bibebant vinum, sicut Thr. 3. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Et apud Iob: Nunc autem in canticum eorum versus sum. Inter hæc vero quid Christus? Ego vero orationem meam ad te Domine: Ego interim orabam, expectans, & præ oculis habens

tempus beneplaciti Deus; quod aduenit transacto tempore passionis: in illo enim tempore exaudies me, & in eorum, quorum causa patior salutem, haec omnia illo tempore conuertes. Quid vero orauit Christus, in multitudine misericordiæ tuæ: erat enim res quã petebat, nobis futura multiplicis misericordiæ. Exaudi me, pro membris meis orantem. Hoc est tempus beneplaciti, in multitudine misericordiæ tuæ: Nam si non esset multitudo misericordiæ tuæ, quid nos faceremus, de multitudine iniquitatis nostræ.

MISSA FERIÆ III. HEBDOMADÆ MAIORIS.

INTROITVS.

Gal 6. NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati & liberati sumus.

Psal. 66 *Psal.* Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Coll. Omnipotẽs sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur. Per.

ADesto familiæ tuæ clemens & misericors Deus, vt in aduersis & prosperis, preces exaudias; & per auxilium sanctæ Crucis, nefas aduersariorum digneris conterere: vt portum salutis tuæ valeant apprehendere.

Lectio

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis, dixit Hieremias: Domine demonstrasti mihi, & cognoui; tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes: venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabbaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda: videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam Domine Deus meus. *Cap. 11.*

Graduale. Ego autem dum mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. *Vers.* Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exsurge in adiutorium mihi. *Psal. 34.*

Passio Domini nostri Iesu Christi, secundum Marcum.

IN illo tempore, erat Pascha & azyma post biduum; & quærebant summi sacerdotes & Scribæ quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent, dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo: & cum esset Iesus Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi; & fracto alabastro, effudit super caput *Cap. 14.*

caput eius. Erant autem quidam indignè ferẽtes intra ſemetipſos,& dicentes:vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt ? Poterat enim vnguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denarijs,& dari pauperibus ; & fremebant in eam. Ieſus autem dixit:ſinite eam, quid illi moleſti eſtis? Bonum opus operata eſt in me, ſemper enim pauperes habebitis vobiſcum,& cum volueritis, poteſtis illis benefacere;me autem non ſemper habebitis. Quod habuit, hæc fecit, prœuenit vngere corpus meum in ſepulturam. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium iſtud in vniuerſo mũdo,& quod hęc fecit,narrabitur in memoriam eius. Et Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, abijt ad ſummos ſacerdotes, vt proderet eum illis,qui audientes gauiſi ſunt, & promiſerunt ei pecuniã ſe daturos, & quærebat quomodo illum oportunè traderet. Et primo die azymorũm, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quo vis eamus , & paremus tibi vt manduces Paſcha? Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquę baiulans,ſequimini eum:& quocunque introierit, dicite Domino domus, quia magiſter dicit , vbi eſt refectio mea, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cœnaculum grande, ſtratum & illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt ſicut dixerat illis,& parauerunt Paſcha. Veſpere autem facto, venit cum duodecim,& diſcumbentibus eis & manducantibus,ait Ieſus: Amen dico vobis, quia vnus ex

vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cęperunt contriſtari, & dicere ei ſingulatim: Nunquid ego? Qui ait illis, vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, & filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de eo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, ſi non eſſet natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc eſt corpus meum, & accepto calice, gratias agens, dedit eis: & biberunt ex illo omnes Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur. Amē dico vobis, quod iam non bibam de genimine vitis, vſque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. Et hymno dicto exierūnt in montem Oliuarum. Et ait illis Ieſus: Omnes ſcandalizabimini in me, in nocte iſta; quia ſcriptum eſt: percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues. Sed poſtquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego Et ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priuſquam Gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur. Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant, & veniunt in prædium, cui nomen Gethſemani. Et ait diſcipulis ſuis: Sedete hic, dōne corem. Et aſſumit Petrū, & Iacobum, & Ioannem ſecum: & cępit pauere & tædere, & ait illis: Triſtis eſt anima mea, vſque ad mortem. Suſtinete hic, & vigilate: & cum proceſſiſſet paululum, procidit ſuper terram, & orabat,

bat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu, & venit, & inuenit eos dormientes, & ait Petro: Simon, dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum, vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, & iterum abiens, orauit eundem sermonem dicens; & reuersus denuo, inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant, quid responderent ei, & venit tertio, & ait illis: Dormite iam & requiescite: sufficit venit hora, ecce tradetur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes, vnus de duodecim; & cum illo turba multa, cum gladijs, & lignis, missi à summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus, dederat autem traditor eis signum, dicens: quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum, & ducite cautè. Et cum veniisset statim accedens ad eum, ait. Rabbi, & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Vnus autem de circumstantibus educens gladium, percussit seruum summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam. Et respondens Iesus, ait illis; Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis, comprehendere me: quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuistis? Sed vt impleantur scripturæ. Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem, quidam sequebatur eum, amictus sindone su-

per

per nudo: & tenuerunt eum, at ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis, & adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes & Scribæ, & Seniores. Petrus autem à longe secutus est eum, vsque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris & calefaciebat se ad ignem. Summi vero sacerdotes & omne concilium, quærebãt aduersus Iesum testimonium; vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & cõuenientia testimonia non erant; & quidam surgentes, falsum testimonium ferebãt aduersus eum dicentes: Quoniam nos audiuimus eũ dicentem: ego dissoluam templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manufactũ ædificabo, & non erat conueniens testimoniũ eorum Exsurgens autem summus Sacerdos in mediũ, interrogauit Iesum, dicens: Nõ respondes quicquã ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autẽ tacebat, & nihil respõdit. Rursum summus sacerdos interrogabat eũ, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum, & videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cęperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Propheriza, & ministri alapis eum cędebant. Et cũ esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis sũmi sacerdotis, & cũ

vidisset

vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: & tu cum Iesu Nazareno eras: At ille negauit, dicens: Neque scio, neque noui, quid dicas, & exijt foras ante atrium, & gallus cantauit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: quia hic ex illis est. At ille iterum negauit, & post pusillum, rursus qui astabant dicebant Petro: vere ex illis es, nam & Galilæus es. Ille autem cœpit anathematizare, & iurare, quia nescio hominem istũ, quem dicitis: & statim iterum Gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus: priusquam Gallus cantet bis, ter me negabis, & cœpit flere, & confestim mane consiliũ facientes summi sacerdotes cum senioribus & scribis, & vniuerso concilio, vincientes Iesum, duxerunt & tradiderunt Pilato. Et interrogauit eum Pilatus: Tu es Rex Iudæorum? At ille respondens ait illi: Tu dicis, & accusabant eum summi Sacerdotes in multis. Pilatus autẽ rursus interrogauit eum, dicens: Non respondes quicquam? Vide in quantis te accusent. Iesus autem amplius nihil respondit; ita vt mirareture Pilatus. Per diem autem festum, solebat illis dimittere vnum ex vinctis, quemcunque petijssent. Erat autem, qui dicebatur Barrabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut sempet faciebat illis, Pilatus autem respõdit eis & dixit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quod pet inuidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitauerunt turbam, vt magis Barrabbam dimitteret eis. Pilatus

tus autem iterum respondens ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat eis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabbam: & tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt illum intro, in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum: Aue rex Iudæorum, & percutiebãt caput eius arundine, & conspuebant eum: & ponentes genua adorabant eum, & postquam illuserunt ei; exuerunt eum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt eum vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyreneum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi: vt tolleret crucem eius, & perducunt eum in Golgotha locũ, quod est interpretatum, Calvariæ locus, & dabant ei bibere myrrhatum vinum; & non accepit. Et crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis; quis quid tolleret, erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est, & prætereũtes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes; vah qui destruis templũ Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac temetipsum, descendens de Cruce. Similiter & summi

sacerdo-

neti, contra templum, rogant enim secreto discipuli, de euersione templi & Hierosolymorum, vbi multa eis & hac de re, & de futuro iudicio Dominus respondet: proponit parabolam de decem virginibus, de distributis talentis.

EXPLICATIO OFFICII.

B. Aug. inter frag. serm. 27.

CONtra ignominiam crucis, hodie auspicamur officium à gloriatione, quam habemus in Cruce: est enim gloria nostra in Domino, & hoc in Domino Christo Crucifixo, vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita; si vis ad illa venire, noli ista contemnere. Haec est Christiana doctrina, humilitatis praeceptum, humilitatis commendatio, vt non gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Noli erubescere de Cruce Christi, ideo in fronte tanquam in sede pudoris, signum ipsius accepisti, signum veteris testamenti, circumcisio, in latente carne, signum noui testamenti, Crux in libera fronte, ibi enim occultatio est, hic reuelatio, illud est sub velamine, hoc in facie. Recte igitur in Introitu ex Apostolo dicimus, gloriationem nostram collocari a nobis oportere, in Cruce Domini nostri Iesu Christi, id est, in Christo crucifixo. Causam quoque istius gloriationis nostrae exponit Introitus, dicens: quod in illa crucifixione sit salus vita & resurrectio nostra, quod vtique dupliciter est verũ, ista enim crucifixio est perfectissima, verissima & solidissima schola salutis, vitae, & resurrectionis nostra, dum peregrinamur: & praeterea est effectrix & collatrix vitae aeternae. Deinde quia istud beneficiũ, & haec gloriatio Crucis, procedit de singulari Dei miseri-

miſericordia, erga totum genus humanum: idcirco ſubijcitur ex Pſalmo, inuocatio diuinæ miſerationis: Deus miſereatur noſtri, prauenientie miſericordia ſua, miſereatur totius quaquauerſum ei fuſum eſt, totius generis humani, & benedicat nobis, id eſt benefaciat nobis, largiendo nobis fructus Crucis, ſalutem, vitam, & reſurrectionem. Illuminet vultum ſuum ſuper nos. Nos ſemper ſumus in conſpectu vultus Dei ſed tunc illuminat vultum ſuum ſuper nos, cum vultus animæ noſtræ recipit in ſe illuminationem Dei, cum intelligimus quid ſit Crux Domini, Et miſereatur noſtri, miſericordia ſubſequente omnibus diebus vitæ noſtræ. Collecta dicit, da nobis ita Dominicæ paſſionis ſacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur, vbi ſacramenta peragere ſic videtur accipiendum, vt intelligatur celebratio ſolennitatis, & dierum, quos Eccleſia deſtinauit cultui Dominicæ Paſſionis, quæ Sacramenta ſic optat nos peragere, vt mereamur percipere indulgentiam, id eſt fructum Dominicæ Paſſionis. De lectione ſic ſcribit Rupertus: Feria tertia legendam Paſſionem bene præcurrit Hieremiæ lectio, qua in perſona eius dicit: Tu Domine demonſtraſti mihi & cognoui, tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi Agnus, qui portatur ad victimam, & non cognoui quia concitauerunt aduerſum me conſilia, dicentes: venite mittamus lignum in panem eius, & conteramus eum de terra viuentium, tu Domine Sabbaoth qui iudicas iuſte, & probas renes & corda: videam quæſo vltionem tuam ex eis, nam per hos dies, vſque in quartam feriam, hæc ſtudia, hæc illorum conſilia, magis ac magis ferueſcebant: ſed metuentibus, ne forte tumultus fieret in populo, facultas deerat: Namque ipſe Dominus noſter, diebus

quidem (vt ait Lucas Euangelista) erat docens in templo; noctibus vero exibat in montem, qui vocatur Oliueti; & omnis populus magnificabat eum in templo Et in tantum nulli vnquam adulatus est, vt ait Hieronymus, vt in magna & ampla ciuitate, vel vnius noctis hospitium nunquam habuerit, & quomodo superbissimus Aman erecta Cruce in domo sua, quam parauerat Mardochæo quærebat opportunitatem, qua suggereret regi de illo mane, vt appenderetur: sic diabolus inito consilio in domo sua, id est in cordibus Iudæorum, dicendo: venite, mittamus lignum in panem eius, id est crucem in corpus eius, quærebat opportunitatem, vt Romanæ potestati traderet Iesum, vltionem ergo videntes ex eis, vt in epistola dictum est, gloriamur in Cruce Domini nostri Iesu Christi: Nam is a quo consilium acceperunt, vt mitterent lignum in panem eius, eodem ligno transfixus & spoliatus est. Et Crux Christi gloriosa, a pœna reorum subleuata est, in frontibus Imperatorum itaque vt in Introitu cantamus: gloriari nos oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Graduale respondet lectioni quæ clauditur ista prædictione: videam vltionem tuam ex eis, tibi enim reuelaui causam meam, ad istam enim reuelationem causæ pertinet, quod est in Graduali: dum mihi molesti essent, induebam me cilicio, humiliabam in ieiunio animmam meam, id est summam humilitatem in omnibus sum secutus, cilicio humanitatis texi potentiam diuinitatis meæ, ieiunabam non reddebam malum pro malo, ad ieiunantes enim proprie pertinet patientia: quinimo orabam pro eis, sed quia ipsi non erant digni: oratio mea conuertebatur in sinum meum, mihi, & mihi adhærentibus profutura est, ad illud vero quod est in lectione: videam vltionem

nem tuam ex eis, respondet graduale: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, sequitur Passio Domini secundum Marcum. Qua in re notandum est, in lectione Passionis quædam obseruari, quibus commendatur tantæ rei mysterium. Lector non petit benedictionem nempe quia proponitur sublatio eius, qui solus est author benedictionis, non adhibentur luminaria, illo sublato, qui est lux mundi. Non fertur incensum: incensum enim significat exultationem animi, quæ non conuenit illi tempori. Non fit salutatio ad populum, per formulam ordinariam, Dominus vobiscum, in detestationem salutationis Iudæ, lector non legit tono ordinario Euangelij sed voce immutata, pro ratione personarum, aliter enim pronunciat verba Christi, aliter Iudæorum, & Pilati, aliter narrationem Euangelistæ. Legitur super nudo pulpito: omni enim specie & ornatu caruit Dominus, alicubi lector est nudis pedibus vt eo modo se conformet afflictioni Dominicæ Passionis. Offertorium est precatio Christi patientis, qua in forma hominis precatur custodiam a diabolo, & a membris eius: non quomodo oramus nos, qui possumus induci in tentationem, sed quomodo orauit in horto: Transeat à me Calix iste. Communio est ex Psalmo 68. qui clare & perspicue totus pertinet ad Domini Passionem. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta: senatores & Iudices, deliberato contra me, in commune consultabant, & in me psallebant qui bibebant vinum, sicut Thr. 3. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Et apud Iob: Nunc autem in canticum eorum versus sum. Inter hæc vero quid Christus? Ego vero orationem meam ad te Domine: Ego interim orabam, expectans, & præ oculis habens

tempus beneplaciti Deus; quod adueniet transacto tempore passionis: in illo enim tempore exaudies me, & in eorum, quorum causa patior salutem, hæc omnia illo tempore conuertes. Quid vero orauit Christus, in multitudine misericordiæ tuæ: erat enim res quã petebat, nobis futura multiplicis misericordiæ. Exaudi me, pro membris meis orantem. Hoc est tempus beneplaciti, in multitudine misericordiæ tuæ: Nam si non esset multitudo misericordiæ tuæ, quid nos faceremus, de multitudine iniquitatis nostræ.

MISSA FERIÆ III. HEBDOMADÆ MAIORIS.

INTROITVS.

Gal 6. NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati & liberati sumus.

Psal. 66. *Psal.* Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Coll. Omnipotẽs sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur. Per.

ADesto familiæ tuæ clemens & misericors Deus, vt in aduersis & prosperis, preces exaudias; & per auxilium sanctæ Crucis, nefas aduersariorum digneris conterere: vt portum salutis tuæ valeant apprehendere.

Lectio

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis, dixit Hieremias: Domine demonstrasti mihi, & cognoui; tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes: venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabbaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda: videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam Domine Deus meus. *Cap.* 11.

Graduale. Ego autem dum mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. *Vers.* Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exsurge in adiutorium mihi. *Psal.* 34.

Passio Domini nostri Iesu Christi, secundum Marcum.

IN illo tempore, erat Pascha & azyma post biduum; & quærebant summi sacerdotes & Scribæ quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent, dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo: & cum esset Iesus Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi; & fracto alabastro, effudit super caput *Cap.* 14.

bat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu, & venit, & inuenit eos dormientes, & ait Petro: Simon, dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum, vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, & iterum abiens, orauit eundem sermonem dicens; & reuersus denuo, inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant, quid responderent ei, & venit tertio, & ait illis: Dormite iam & requiescite: sufficit venit hora, ecce tradetur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes, vnus de duodecim; & cum illo turba multa, cum gladijs, & lignis, missi à summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus, dederat autem traditor eis signum, dicens: quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum, & ducite cautè. Et cum veniisset statim accedens ad eum, ait. Rabbi, & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Vnus autem de circumstantibus educens gladium, percussit seruum summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam. Et respondens Iesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis, comprehendere me: quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuistis? Sed vt impleantur scripturæ. Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super

per nudo: & tenuerunt eum, at ille relicta sindone, nudus profugit ab eis, & adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes & Scribæ, & Seniores. Petrus autem à longe secutus est eum, vsque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris & calefaciebat se ad ignem. Summi vero sacerdotes & omne concilium, quærebãt aduersus Iesum testimonium; vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & cõuenientia testimonia non erant; & quidam surgentes, falsum testimonium ferebãt aduersus eum dicentes: Quoniam nos audiuimus eũ dicentem: ego dissoluam templum hoc manu factum, & post triduum aliud non manufactũ ædificabo, & non erat conueniens testimoniũ eorum. Exsurgens autem summus Sacerdos in mediũ, interrogauit Iesum, dicens: Nõ respondes quicquã ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autẽ tacebat, & nihil respõdit. Rursum summus sacerdos interrogabat eũ, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum, & videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cęperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Prophetiza, & ministri alapis eum cędebant. Et cũ esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis sũmi sacerdotis, & cũ

Ad Honoratum ep. 120.

est infossa. B. Augustinus: Scire etiam supereminentem scientiam charitatis Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. In hoc mysterio figura crucis ostenditur, qui enim, quia voluit, mortuus est, quomodo voluit mortuus est. Non frustra igitur tale genus mortis elegit, nisi in eo quoque latitudinis huius, & longitudinis, & altitudinis, & profunditatis magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno, quod transuersum desuper figitur, hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo, quod ab ipso ligno vsque ad terram conspicuum est, ibi enim quodammodo statur, id est persistitur & perseueratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte, quæ ab illo quod transuersum figitur, sursum versus relinquitur, hoc est ad capita crucifixi: quia bene sperantium superna exspectatio est. Iam vero illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totum illud exsurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ, in quo multorum ingenia conterruntur id vestigare conantia: vt ad extremum eis dicatur: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? & iterum eadem epistola: Intelligentes igitur peregrinationem nostram in hac vita, mundo crucifigamur: extendentes manus in latitudinem bonorum operum, & longanimitate vsque in finem perseuerantes, atque habentes cor sursum, vbi Christus est in dextera Dei sedens, totumq; hoc non nobis, sed illius misericordiæ tribuentes; cuius profunda iudicia, omnem scrutatorem fatigant. Hæc est enim non inaniter fabulosa, sed vtiliter verax latitudo, longitudo, altitudo, profundum, vnde perueniemus etiam ad supereminentem scientiam charitatis Christi, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei. Repetit idem aliis verbis August.

Cap. 36

epist.

epist. 112. cap. 14. & hoc dicit esse sacramentum crucis. Iterum pulchrè alio loco loquens de hyssopo. Hæc herba, inquit, mitis & humilis est, nihil fortius & penetrabilius eius radicibus, vt in charitate radicati & fundati possimus comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo & longitudo, & altitudo, & profundum, id est crucem Domini, cuius latitudo dicitur in transuerso ligno, quo extenduntur manus, longitudo a terra vsque ad ipsam latitudinem, quo à manibus & infra, totum corpus affigitur; altitudo à latitudine sursum, vsque ad summum, cui adhæret caput; profundum vero quod terræ infixum absconditur, quo signo crucis, omnis actio Christiana describitur, bene operari in Christo, & ei perseueranter inhærere, sperare cœlestia, sacramenta non prophanare per hanc actionem purgati, valebimus cognoscere etiam supereminentē scientiam charitatis Christi: qua æqualis est patri, per quē facta sunt omnia, vt impleamur in omnē plenitudinē Dei. Amalarius ad parascenen tribuit fidē illi parti crucis, quæ est in fundo spē altitudini caritatem latitudini, & perseuerantiā in his tribus, longitudini. Tractat rem eādem B. August. Tract. 118. in Ioannē, quo loco tres adfert significationes crucis, Primā eā quā diximus, quatuor dimensionum, quas eo loco eodē modo interpretatur vt significēt, quo pacto cōformari nos oportet cruci Christi; bene viuendo, in latitudine charitatis operādo, in longitudine perseuerādo, in altitudine sperando: quoniam cuncta, quæ latitudine ac lōgitudine bene & perseueranter fiunt, propter altitudinem diuinorum facienda sunt præmiorū in profunditate: bona enim nostra de profunditate gratia Dei, quæ comprehendi ac diiudicari non potest vniuersa procedunt. Secundam, vt hoc significet quod ait

De doctr. christ. lib. 2. cap. 1.

Apostolus: Qui autem Iesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus & concupiscentiis. Tertio dicit hoc esse signum Christi: Quid est, inquit, quod omnes nouerũt signum Christi, nisi crux Christi, quod signum nisi adhibeatur siue frontibus credentium; siue ipsi aquæ, ex qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur siue sacrificio, quo alũtur; nihil eorum rite perficitur. Hæc Aug. qui crucem vocat signum Christi, sicut alibi, quod dicitur de extremo iudicio: apparitурum signum filij hominis: id ecclesia semper intellexit de visibili & conspicua forma crucis, hinc enim cœpit regnare Christus: Regnauit a ligno Deus: de cruce sua vicit reges, & subiugatis eis, ipsam crucem in fronte fixit, & gloriantur de illa, quia ibi est salus eorum. B. Bernardus has quatuor dimensiones dicit esse crucem Christi singulasq; sic tribuit Deo: In sublimitate nota potentiam, in profundo sapientiam, in latitudine charitatem, in longitudine æternitatem seu veritatem quæ quatuor dicit esse in Deo; & illis quatuor deberi a nobis duo. Potentiæ & sapientiæ timorem verum, id est quem non impedit torpor securitatis, vel refugium simulationis. Simulatio est quando fingimus laborem in præcepto, vel quando irrationabilem misericordiam simulamus in Deo. Charitati & veritati debemus amorem verum, id est quem non impedit tepor affectionis, vel scrupulus suspicionis. Atque isto modo conformabat se cruci B. Bernardus. Præterea quis iure reprehendat eum deuotum meditatorem, & osculatorem crucis: vt in eius profunditate cogitet humilitatem crucifixi, humiliati vsque ad mortem, vsque ad sepulturam infra terram, vsque ad descensum ad inferos: in latitudine latitudinem charitatis, qua se totum effudit, qua extensis bra-

De natura & dig. diuini amoris cap. 11.

brachiis, omnia est complexus: in longitudine dilectionem, qua in finem dilexit nos: vt perueniremus ad altitudinem vbi est caput, vbi est scriptum: Rex Iudæorum, vbi profitemur: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram patris. Ista itaque atque alia multa sunt in hoc signo Christi, quod omnes nouerant tempore Augustini, & nunc summa impietate vel si quod est verbum grauius, flagitiosissimo contemptu Dei, execranda blasphemia, de mente, de corde, de cogitatione, & e manibus ex oculis subducitur.

HISTORIA HVIVS DIEI.

ISta die mane reuersus est Dominus rursum è Bethania in Hierusalem: In quo itinere cum discipuli cum Domino mane transirent viderunt ficum aridam factam a radicibus, & videntes discipuli mirati sunt: Quomodo continuo aruit, & recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit: postea ingressus Dominus Hierosolymam, tota ea die docuit in templo, rogatur a Pharisæis & scribis in qua potestate hæc faceret, respondet Dominus per interrogationem de Ioanne, loquitur in multis parabolis, de duobus filiis, vno recusante obedientiam, & postea pœnitente; altero contra faciente, de locata vinea, de nuptiis filij soluitur quæstio de tributo Cæsari dando, quæstio Sadducæorum de resurrectione, quæstio Pharisæorum de maximo mandato, quæstio de Christo, cuius filius sit, docet audiendos & cauendos Scribas, præfertur oblatio viduæ, caterorum oblationibus, egresso de templo, ostendunt illi discipuli ædificationes templi: deinde Domino egresso vrbem, & sedente eo super montem oli-

neti, contra templum, rogant eum secreto discipuli, de euersione templi & Hierosolymorum, vbi multa eis & hac de re, & de futuro iudicio Dominus respondet: proponit parabolam de decem virginibus, de distributis talentis.

EXPLICATIO OFFICII.

B. Aug. inter frag. serm. 27

CONtra ignominiam crucis, hodie auspicamur officium à gloriatione, quam habemus in Cruce: est enim gloria nostra in Domino, & hoc in Domino Christo Crucifixo, vbi humilitas, ibi maiestas; vbi infirmitas, ibi potestas; vbi mors, ibi vita; si vis ad illa venire, noli ista contemnere. Hæc est Christiana doctrina, humilitatis præceptum, humilitatis commendatio, vt non gloriemur, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Noli erubescere de Cruce Christi, ideo in fronte tanquam in sede pudoris, signum ipsius accepisti, signum veteris testamenti, circumcisio, in latente carne, signum noui testamenti, Crux in libera fronte, ibi enim occultatio est, hic reuelatio, illud est sub velamine, hoc in facie. Recte igitur in Introitu ex Apostolo dicimus, gloriationem nostram collocari a nobis oportere in Cruce Domini nostri Iesu Christi, id est, in Christo crucifixo. Causam quoque istius gloriationis nostræ exponit Introitus, dicens: quod in illa crucifixione sit salus vita & resurrectio nostra, quod vtique dupliciter est verũ, ista enim crucifixio est perfectissima, verissima & solidissima schola salutis, vitæ, & resurrectionis nostræ, dum peregrinamur: & præterea est effectrix & collatrix vitæ æternæ. Deinde quia istud beneficiũ, & hæc gloriatio Crucis, procedit de singulari Dei miseri-

miſericordia, erga totum genus humanum: idcirco ſubijcitur ex Pſalmo, innouatio diuinæ miſerationis: Deus miſereatur noſtri, præueniente miſericordia ſua, miſereatur totius quaquauerſum diffuſum eſt, totius generis humani, & benedicat nobis, id eſt benefaciat nobis, largiendo nobis fructus Crucis, ſalutem, vitam, & reſurrectionem. Illuminet vultum ſuum ſuper nos. Nos ſemper ſumus in conſpectu vultus Dei ſed tunc illuminat vultum ſuum ſuper nos, cum vultus animæ noſtræ recipit in ſe illuminationem Dei, cum intelligimus quid ſit Crux Domini, Et miſereatur noſtri, miſericordia ſubſequente omnibus diebus vitæ noſtræ. Collecta dicit, da nobis ita Dominicæ paſſionis ſacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur, vbi ſacramenta peragere ſic videtur accipiendum, vt intelligatur celebratio ſolennitatis, & dierum, quos Eccleſia deſtinauit cultui Dominicæ Paſſionis, quæ Sacramenta ſic optat nos peragere, vt mereamur percipere indulgentiam, id eſt fructum Dominicæ Paſſionis. De lectione ſic ſcribit Rupertus: Feria tertia legendam Paſſionem bene præcurrit Hieremiæ lectio, qua in perſona eius dicit: Tu Domine demonſtraſti mihi & cognoui, tu oſtendiſti mihi ſtudia eorum, & ego quaſi Agnus, qui portatur ad victimam, & non cognoui quia cancitauerunt aduerſum me conſilia, dicentes: venite mittamus lignum in panem eius, & conteramus eum de terra viuentium, tu Domine Sabbaoth qui iudicas iuſte, & probas renes & corda: videam quæſo vltionem tuam ex eis, nam per hos dies, vſque in quartam feriam, hæc ſtudia, hæc illorum conſilia, magis ac magis ferueſcebant: ſed metuentibus, ne forte tumultus fieret in populo, facultas deerat: Namque ipſe Dominus noſter, diebus

quidem (vt ait Lucas Euangelista) erat docens in templo; noctibus vero exibat in montem, qui vocatur Oliueti; & omnis populus magnificabat eum in templo Et in tantum nulli vnquam adulatus est, vt ait Hieronymus, vt in magna & ampla ciuitate, vel vnius noctis hospitium nunquam habuerit, & quomodo superbissimus Aman erecta Cruce in domo sua, quam parauerat Mardochæo quærebat opportunitatem, qua suggereret regi de illo mane, vt appenderetur: sic diabolus inito consilio in domo sua, id est in cordibus Iudæorum, dicendo: venite, mittamus lignum in panem eius, id est crucem in corpus eius, quærebat opportunitatem, vt Romanæ potestati traderet Iesum, vltionem ergo videntes ex eis, vt in epistola dictum est, gloriamur in Cruce Domini nostri Iesu Christi: Nam is a quo consilium acceperunt, vt mitterent lignum in panem eius, eodem ligno transfixus & spoliatus est. Et Crux Christi gloriosa, a pœna reorum subleuata est, in frontibus Imperatorum itaque vt in Introitu cantamus: gloriari nos oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi. Graduale respondet lectioni quæ clauditur ista prædictione: videam vltionem tuam ex eis, tibi enim reuelaui causam meam, ad istam enim reuelationem causa pertinet, quod est in Graduali: dum mihi molesti essent, induebam me cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, id est summam humilitatem in omnibus sum secutus, cilicio humanitatis texi potentiam diuinitatis meæ, ieiunabam non reddebam malum pro malo, ad ieiunantes enim proprie pertinet patientia: quinimo orabam pro eis, sed quia ipsi non erant digni: oratio mea conuertebatur in sinum meum, mihi, & mihi adhærentibus profutura est, ad illud vero quod est in lectione: videam vltio-

nem

nem tuam ex eis, respondet graduale: Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, sequitur Passio Domini secundum Marcum. Qua in re notandum est, in lectione Passionis quadam obseruari, quibus commendatur tantæ rei mysterium. Lector non petit benedictionem nempe quia proponitur sublatio eius, qui solus est author benedictionis, non adhibentur luminaria, illo sublato, qui est lux mundi. Non fertur incensum: incensum enim significat exultationem animi, quæ non conuenit illi tempori. Non fit salutatio ad populum, per formulam ordinariam, Dominus vobiscum, in detestationem salutationis Iudæ, lector non legit tono ordinario Euangelij sed voce immutata, pro ratione personarum, aliter enim pronunciat verba Christi, aliter Iudæorum, & Pilati, aliter narrationem Euangelistæ. Legitur super nudo pulpito: omni enim specie & ornatu caruit Dominus, alicubi lector est nudis pedibus vt eo modo se conformet afflictioni Dominicæ Passionis. Offertorium est precatio Christi patientis, qua in forma hominis precatur custodiam a diabolo, & a membris eius: non quomodo oramus nos, qui possumus induci in tentationem, sed quomodo orauit in horto: Transeat à me Calix iste. Communio est ex Psalmo 68. qui clare & perspicue totus pertinet ad Domini Passionem. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta: senatores & Iudices, deliberato contra me, in commune consultabant, & in me psallebant qui bibebant vinum, sicut Thr. 3. Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die. Et apud Iob: Nunc autem in canticum eorum versus sum. Inter hæc vero quid Christus? Ego vero orationem meam ad te Domine: Ego interim orabam, expectans, & præoculis habens

tempus beneplaciti Deus; quod adueniet transacta tempore passionis: in illo enim tempore exaudies me, & in eorum, quorum causa patior salutem, hæc omnia illo tempore conuertes. Quid vero orauit Christus, in multitudine misericordiæ tuæ: erat enim res quã petebat, nobis futura multiplicis misericordiæ. Exaudi me, pro membris meis orantem. Hoc est tempus beneplaciti, in multitudine misericordiæ tuæ: Nam si non esset multitudo misericordiæ tuæ, quid nos faceremus, de multitudine iniquitatis nostræ.

MISSA FERIÆ III. HEBDOMADÆ MAIORIS.

INTROITVS.

Gal 6. NOs autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri Iesu Christi, in qua est salus, vita, & resurrectio nostra: per quem saluati & liberati sumus.

Psal. 66. *Psal.* Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

Coll. Omnipotẽs sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere, vt indulgentiam percipere mereamur. Per.

ADesto familiæ tuæ clemens & misericors Deus, vt in aduersis & prosperis, preces exaudias; & per auxilium sanctæ Crucis, nefas aduersariorum digneris conterere: vt portum salutis tuæ valeant apprehendere.

Lectio

Lectio Hieremiæ Prophetæ.

IN diebus illis, dixit Hieremias: Domine demonstrasti mihi, & cognoui; tu ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia dicentes: venite, mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabbaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda: videam vltionem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam Domine Deus meus. *Cap. 11.*

Graduale. Ego autem dum mihi molesti essent, induebam me cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur. *Vers.* Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me, apprehende arma & scutum, & exsurge in adiutorium mihi. *Psal. 34.*

Passio Domini nostri Iesu Christi, secundum Marcum.

IN illo tempore, erat Pascha & azyma post biduum; & quærebant summi sacerdotes & Scribæ quomodo Iesum dolo tenerent, & occiderent, dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo: & cum esset Iesus Bethaniæ, in domo Simonis leprosi, & recumberet: venit mulier habens alabastrum vnguenti nardi spicati pretiosi; & fracto alabastro, effudit super caput *Cap. 14.*

caput eius. Erant autem quidam indignè ferétes intra ſemetipſos,& dicentes:vt quid perditio iſta vnguenti facta eſt ? Poterat enim vnguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denarijs,& dari pauperibus ; & fremebant in eam.Ieſus autem dixit:ſinite eam, quid illi moleſti eſtis?Bonum opus operata eſt in me, ſemper enim pauperes habebitis vobiſcum,& cum volueritis, poteſtis illis benefacere;me autem non ſemper habebitis. Quod habuit, hæc fecit, pręuenit vngere corpus meum in ſepulturam. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit Euangelium iſtud in vniuerſo mũdo,& quod hęc fecit,narrabitur in memoriam eius. Et Iudas Iſcariotes vnus de duodecim, abijt ad ſummos ſacerdotes, vt proderet eum illis,qui audientes gauiſi ſunt, & promiſerunt ei pecuniã ſe daturos, & quærebat quomodo illum oportunè traderet.Et primo die azymorũm, quando Paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli: Quo vis eamus , & paremus tibi vt manduces Paſcha? Et mittit duos ex diſcipulis ſuis, & dicit eis: Ite in ciuitatem, & occurret vobis homo lagenam aquę baiulans,ſequimini eum:& quocunque introierit, dicite Domino domus, quia magiſter dicit , vbi eſt refectio mea,vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem? Et ipſe vobis demonſtrabit cænaculum grande, ſtratum:& illic parate nobis. Et abierunt diſcipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt ſicut dixerat illis,& parauerunt Paſcha. Veſpere autem facto, venit cum duodecim;& diſcumbentibus eis & manducantibus,ait Ieſus: Amen dico vobis, quia vnus ex

vobis

vobis tradet me, qui manducat mecum. At illi cęperunt contristari, & dicere ei singulatim: Nunquid ego? Qui ait illis, vnus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino, & filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo. Væ autem homini illi, per quem filius hominis tradetur, bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est corpus meum, & accepto calice, gratias agens, dedit eis: & biberunt ex illo omnes Et ait illis: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Amę dico vobis, quod iam non bibam de genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam nouum in regno Dei. Et hymno dicto exierunt in montem Oliuarum. Et ait illis Iesus: Omnes scandalizabimini in me, in nocte ista; quia scriptum est: percutiam Pastorem, & dispergentur oues. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Etsi omnes scandalizati fuerint, sed non ego Et ait illi Iesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam Gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur. Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes dicebant, & veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic, donec orem. Et assumit Petrũ, & Iacobum, & Ioannem secum: & cępit pauere & tædere, & ait illis: Tristis est anima mea, vsque ad mortem. Sustinete hic, & vigilate: & cum processisset paululum, procidit super terram, & orabat,

bat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora, & dixit: Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc à me. Sed non quod ego volo, sed quod tu. & venit, & inuenit eos dormientes, & ait Petro: Simon, dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum, vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, & iterum abiens, orauit eundem sermonem dicens; & reuersus denuo, inuenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant, quid responderent ei, & venit tertio, & ait illis: Dormite iam & requiescite: sufficit venit hora, ecce tradetur filius hominis in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes, vnus de duodecim; & cum illo turba multa, cum gladijs, & lignis, missi à summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus, dederat autem traditor eis signum, dicens: quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum, & ducite cautè. Et cum venisset statim accedens ad eum, ait. Rabbi, & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in Iesum, & tenuerunt eum. Vnus autem de circumstantibus educens gladium, percussit seruum summi Sacerdotis, & amputauit illi auriculam. Et respondens Iesus, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis, comprehendere me: quotidie apud vos eram in templo docens, & non me tenuistis? Sed vt impleantur scripturæ. Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super

per

per nudo: & tenuerunt eum, at ille reiecta sindone, nudus profugit ab eis, & adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes & Scribæ, & Seniores. Petrus autem à longe secutus est eum, vsque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris & calefaciebat se ad ignem. Summi vero sacerdotes & omne concilium, quærebãt aduersus Iesum testimonium; vt eum morti traderent, nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & cõuenientia testimonia non erant; & quidam surgentes, falsum testimonium ferebãt aduersus eum dicentes: Quoniam nos audiuimus eũ dicentem: ego dissoluam templum hoc manufactum, & post triduum aliud non manufactũ ædificabo, & non erat conueniens testimoniũ eorum Exsurgens autem summus Sacerdos in mediũ, interrogauit Iesum, dicens: Nõ respondes quicquã ad ea, quæ tibi obijciuntur ab his? Ille autẽ tacebat, & nihil respõdit. Rursum summus sacerdos interrogabat eũ, & dixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti? Iesus autem dixit illi: Ego sum, & videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem cum nubibus cœli. Summus autem Sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam, quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et cęperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius, & colaphis eum cædere, & dicere ei: Propheriza, & ministri alapis eum cędebant. Et cũ esset Petrus in atrio deorsum, venit vna ex ancillis sũmi sacerdotis, & cũ

tus autem iterum respondens ait illis: Quid ergo vultis faciam regi Iudæorum? At illi iterum clamauerunt: Crucifige eum. Pilatus vero dicebat eis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barrabbam: & tradidit Iesum flagellis cæsum, vt crucifigeretur. Milites autem duxerunt illum intro, in atrium prætorij, & conuocant totam cohortem, & induunt eum purpura, & imponunt ei plectentes spineam coronam, & cœperunt salutare eum: Aue rex Iudæorum, & percutiebãt caput eius arundine, & conspuebant eum: & ponentes genua adorabant eum, & postquam illuserunt ei; exuerunt eum purpura, & induerunt eum vestimentis suis: & educunt eum vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyreneum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi: vt tolleret crucem eius, & perducunt eum in Golgotha locũ, quod est interpretatum, Calvariæ locus, & dabant ei bibere myrrhatum vinum; & non accepit. Et crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis; quis quid tolleret, erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ eius inscriptus: Rex Iudæorum. Et cum eo crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris. Et impleta est scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est, & prætereũtes blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes; vah qui destruis templũ Dei, & in tribus diebus reædificas: saluum fac temetipsum, descendens de Cruce. Similiter & summi

sacerdo-

ſacerdotes, illudentes ad alterutrum cum ſcribis dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum nō poteſt ſaluum facere, Chriſtus rex Iſraël: deſcendat nunc de Cruce, vt videamus & credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei, & facta hora ſexta, tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram, vſque in horam nonam. Et hora nona exclamauit Ieſus voce magna, dicens: Eloi Eloi lamma ſabacthani, quod eſt interpretatum, Deus meus, Deus meus; vt quid dereliquiſti me. Et quidam de circumſtantibus audientes, dicebant: Ecce Eliam vocat, currens autem vnus, & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicēs: Sinite, videamus ſi veniat Elias ad deponendū eum. Ieſus autem emiſſa voce magna, expirauit. Et velum templi ſciſſum eſt in duo, à ſummo vſque deorſum, videns autem Centurio, qui ex aduerſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait: vere hic homo filius Dei erat. Erant autem & mulieres de longe aſpicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioſeph mater, & Salome: & cum eſſet in Galilæa ſequebantur eum & miniſtrabant ei, & aliæ multæ, quæ ſimul cum eo aſcenderant Hieroſolymam. Et cum iam ſero eſſet factū, (quia erat Paraſceue, quod eſt ante ſabbathum venit Ioſeph ab Arimathæa, nobilis Decurio: qui & ipſe erat exſpectans regnum Dei: & audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſum. Pilatus autem mirabatur, ſi iam obijſſet, & accerſito Centurione interrogauit eum ſi iam mortuus eſſet, & cum cognouiſſet à Centurione, donauit corpus Ioſeph, Ioſeph autem mercatus

catus ſindonem,& deponẽs eum, inuoluit ſindone:& poſuit eum in monumento, quod exciſum erat de petra,& aduoluit lapidem ad oſtium monumenti.

Offertorium. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me. *Verſ.*I. Eripe me Domine ab homine malo, à viro iniquo liberame. *Verſ.*II Qui cogitauerunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. *Verſ.*III. Dixi Domino, Deus meus & tu: exaudi Domine vocem deprecationis meæ. *Pſal.139*

Secreta.

SAcrificia nos quęſumus Domine propẽſius iſta reſtaurent: quæ medicinalibus ſunt inſtituta ieiunijs.

Præfatio.

AEterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum; cuius ſalutiferæ Paſſionis, & glorioſæ reſurrectionis dies appropinquare noſcuntur: in quibus & antiqui hoſtis ſuperbia triumphatur,& noſtræ redemptionis celebratur myſterium, vnde poſcimus tuam immẽſam clemẽtiam, vt ſicut in eo ſolo conſiſtit totius noſtræ ſaluationis ſumma; ita per eum ſit ieiuniorum & actuum noſtrorũ ſemper victima grata. Per quem.

Communio. Aduerſum me exercebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant qui bibebant vinum. Ego vero orationem ad te *Pſal.68.*

Domine; tempus beneplaciti in multitudine misericordiæ tuæ, exaudi me.

Post-Communio.

SAnctificationibus tuis omnipotens Deus, & vitia nostra curentur, & remedia nobis sempiterna proueniant. Per.

Super populum.

TVa nos misericordia Deus, & ab omni surreptione vetustatis expurget, & capaces sanctæ nouitatis efficiat.

DEus cui cunctæ obediunt creaturę, & omnia verbi tui feciſti ſapientia: ſupplices quæſumus ineffabilem clementiam tuam, vt quos per lignum ſanctæ Crucis, filij tui pio cruore, dignatus es redimere; tu qui es lignum vitæ, Paradiſiſque reparator, omnibus in te credentibus, dira ſerpētis venena extingue: & per gratiam ſancti ſpiritus, poculum ſalutis ſemper infunde. Per.

Ad Benedictionem.

COncedat nobis Dominus præmium ſinceriſſimę charitatis, vt cum omnibus ſemper in pace viuamus. *Amen.*

Inimicorum noſtrorum inſidias ſuperemus, & preſentē vitā ſinceriſſimè peragamus. *Amen.*

Simus iam & à reatu conſcientiæ liberi; vt nihil metuamus in die Iudicij poſt futuri. *Amen.*

Quod ipſe &c.

FERIA

FERIA IIII. HEBDOMADÆ MAIORIS.

De Medit. Passionis, per eius Reliquias.

EST & alia quædam ratio meditandæ Dominicæ Passionis, quæ nonnullis ecclesiis frequentari consueuit; quæ certis etiam libris diuinorum officiorum excusa reperitur: quibus vndecimo die mensis Augusti celebratur festum Coronæ Domini, & aliarum sanctarum reliquiarum Dominicæ Passionis, ex quo officio hæc transcripsimus lectiones, quæ sunt in officio nocturni illius festi: ad quarum lectionum commendationem, libet etiam adiicere hymnũ huius nocturni.

Laudes Crucis & coronæ pangat nostra concio.
Alternata cantione, resonet laudatio.
Vt laudando, mentis bonæ feruescat laudatio.
Veneremur nostri ducis arma triumphalia:
Per quæ soluit nos à trucis tortoris angaria:
Per tormenta suæ crucis, ad se trahens omnia.
Ferrum nostri redemptoris rubicatum sanguine,
Nostri tulit vim doloris miro medicamine:
Dum effusi nos cruoris emundauit flumine.
Hæc arundo comitatur dextræ gestatoriũ:
Quę & sceptrum appellatur regis regũ omnium.

Linteum his ſociatur, chlamys, & ſudariũ.
Trine Deus in perſonis, ſimplex in eſſentia:
Per virtutem paſſionis, & per hæc inſignia,
Nos æternis frui bonis, tecum fac in patria.
Amen.

Lectio Prima, de corona ſpinea.

ILluſum eſt tibi præterea bone Ieſu in corona ſpinea, quæ tuum venerandum caput punctionibus varijs cruentauit: ne illudat amplius diabolus animabus ſollicitudinibus cupiditatis, quæ in modum coronæ cingunt & ambiunt affectum mentis: & in modum ſpinarum animum lacerant & cruentant, dum nõ acquiruntur ſine afflictione laboris, nec poſſidentur ſine anxietate timoris, nec amittũtur ſine cruciatu doloris. Vnde ſpinæ dictę ſunt, quę ſuffocant verbum Dei, ſecũdum ſententiam veritatis. Poſtmodũ illuſum eſt tibi Chriſte in virga arundinea: in qua eſt temporalis ſignificatio poteſtatis, quia in modum arundinis, videtur exterius habere robur virtutis, cum tamen propter interioré vacuitatem mirę ſit fragilitatis. Vnde Ezechiæ Regi confidẽti in adiutorio poteſtatis Ægypti, dictum eſt: Confidis ſuper baculũ arundineum confractum Ægypti: cui ſi quis innixus fuerit manum eius perforabit. Ideo in arundine Chriſto illuſum eſt, vt non illudamur ſuperbia potentiæ temporalis.

Lectio Secunda.

SI igitur angelus Sathanæ mihi velit illudere, per incentiuum luxuriæ, recurram ad chla-

chlamydem coccineam : Si per ſolicitudines auaritiæ ad coronam ſpineam: Si per elationē vel ſuperbiam potentiæ, ad virgam arundineā: & omnem illuſionem diabolicam, virtus illuſionis Dominicæ ſuperabit. Si inſurgat contra me aduerſarius homo vel diabolus, Dominus mihi adiutor erit: & ideo non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Dominus enim protector eſt vitæ meæ, per inſignia ſuæ illuſionis, vt ex chlamyde ſperem conſeruationem regalis honoris: in corona triumphum de aduerſarijs: in virga regalis honorificentiam poteſtatis: quia Domine Ieſu memoriale tuæ illuſionis, à genèratione in generationem eſt, ad firmandum regnum, ad ſtabiliendum imperiū Chriſtianum.

Lectio III. De Cruce.

LAudes igitur Crucis cū deuotione, & præconijs attollamus, quā in tribus partibus, nobis ſua benignitate miſit ſaluator, & propoſuit adorandā: vt ſciamus in cruce Domini triplicē virtutē; cordis videlicet, oris & operis: dignis Deo obſequijs venerādā. Hinc ſupernę dignationis gratia nos miro modo reſpexit: cū lignū ſanctæ crucis triforme, partibus & virtute nobis tribuēs; minus mirādū Moſaicę virgę cōſūxit Crux enim ſacratiſſima res eſt, quā diuini miraculi vaticinio, virga Moſaica figurauit, myſterio enim virgæ Moſaicæ plagatur Ægyptus: & dimittere ab opreſſione liberū cogitur Iſraę lę. Virga Moyſi mare diuiſit, & patuit per ſiccū

tranſitus Iſraëli: nec non & aquam marath, quæ præ ſua amaritudine bibi non poterat, dulcoratur. Virga Moſaica petra percuſſa eſt, & fluxerunt aquæ, & torrentes mundauerunt, & ſitibũdus populus in diuini muneris largitate lætatur. In hoc intelligimus trium virtutum mirabilia, mirabiliter in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti figurari. Crux Domini præbet adiutorium contra tentationem: ſolatium contra tribulationem, gratiam ad contritionem. Propter quæ nobis abſit, niſi in cruce Domini noſtri gloriari.

De Spongia, Lectio IIII.

SVpereſt Spongiæ venerandam memoriam ante mentis oculos reuocare. Spongia conſecrata eſt Dominici oris contactu: cum ad expiandam culpam comeſtionis, aceti amaritudinem voluit deguſtare. Recogitabo circa ſpõgiæ myſterium ludibria paſſionis. Peccauerunt protoplaſti in auditu, cum diſcredentes Deo, crediderunt voci diaboli mentientis, nequaquam moriemini. Peccauerunt in viſu, cum vidit mulier lignum, quod eſſet aſpectu delectabile, & ad veſcendum ſuaue. Peccauerunt in inceſſu & tactu, cum mulier ad arborem feſtinãs, ad fructum vetitum manum extendit. Peccauerunt in guſtu, cum de ſumpto fructu mulier prima comedit, & poſtmodum viro porrexit. Qua de cauſa ſaluator in cruce omnis ſenſus pœnas exſoluit: & in guſtu, aceto & felle potatus, ſpongiæ myſterio ſatisfactionem congruã conſummauit. Vnde poſtquam guſtauit, dixit.

Con-

Consummatum est. Ac si diceret. Punitus est auditus, irrisionibus & contumeliis irridentiũ Iudæorum: quia omnes qui viderunt me, deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerũt caput. Punitus est visus, fletu & lachrymis: quia cum clamore valido & lachrymis, seipsum in cruce Deo Patri offerens, exauditus est pro sua reuerentia: vt dicit Apostolus ad Hebræos. Punitus est incessus & tactus: quia foderũt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea. Ideo his peractis clamauit: Sitio, sentiens in gustu pœnam, vt redemptionis preciũ exsoluatur: vnde, in siti mea potauerunt me aceto, & sic spongiæ mysterio, primæ prœuaricationis satisfactio, est debite consummata.

De ferro Lanceæ, Lectio V.

COnsequens est ferrum Lanceæ, cũ cordis suspirijs contemplari: cuius rei mysterium, humanæ mentis consideratio deficiens, non sufficit admirari. In libro enim Regum legimus, quod suspensus ad arborem Absalon formosissimus, à Ioab tribus lanceis est confossus. Absalon formosus exprimit protoplasti figuram, quem creauit Deus ad imaginem & similitudinem suam. Arbor est lignum scientiæ boni & mali, ad quam reatu prœuaricationis illaqueatus est homo primus. Ioab humani generis inimicus, qui tribus pœnarum lanceis in Adam, humanum genus lethaliter vulnerauit: Vulnerauit vero illud vulnere erroris, in discernendo verum: vulnere difficultatis, ad faciẽdum bonum: vulnere pronitatis ad malũ. Hu-

ius reigratia, Saluator in cruce mortuus, ad perfectionem redemptionis, voluit latus lãcea perforari: & profluxit aqua & ſanguis. Aqua in ſignum ablutionis culpæ: ſanguis in ſignum redemptionis pœnæ.

De ſanguine Chriſti, Lectio VI.

DEinde fratres chariſſimi, intentionẽ mentis cum compaſſione & confidentia conuertamus ad conſiderationem ſanguinis Saluatoris. Sanguis enim iſte mundat conſcientiã, & placat Dei iuſtitiam, & arcet diabolũ, & aperit paradiſum. Quatuor enim in corde hominis ante effuſionem ſanguinis diffidentiã ingerebant: remorſus videlicet conſcientiæ timor iuſtitiæ, poteſtas diaboli, obſtructio ianuæ paradiſi. Propter enim remorſum conſciẽtię ſceleris, poſt occiſionem innocentis fratris, Cain deſperando dicebat: Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear. Propter vero timorẽ diuinæ iuſtitię, ſubiungit loquens ad Deũ: Ecce eijcis me hodie à facie tua, quaſi diceret: Rigor tuæ iuſtitiæ me expellit à tua facie, id eſt, reſpectu miſericordiæ: ad quã ſuſpirans Dauid, dixit: Oſtende nobis faciem tuam, & ſalui erimus. Propter obnoxietatẽ poteſtatis diabolicæ, cui ſe tradiderat, dicebat: Omnis qui inueniet me, occidet me Propter obſtructionem autem ianuæ paradiſi, dictum eſt ei. Maledictus eris ſuper terram, vagus & profugus cunctis diebus. Quaſi diceretur ei: Obſtructus eſt tibi paradiſus, ſicut & tuis parentibus: collocatus eſt Cherubim, & flammeus gladius; ideo ſuper terram

eris

eris maledictus, malis immuneris & pœnis addictus, & cunctis diebus vagus homo & profugus.

De Sudario, Lectio VII.

RESTAT post memorialia illusionis, crucifixionis, sepulturæ & mortis, memorialia collaudare. Gratias igitur referamus Domino Deo nostro, qui post tot & tanta nostræ salutis insignia, sudarij sui & sepulchri sacrosanctis reliquijs, nos ditauit. Notum est fratres, qualiter post præuaricationem, primis parentibus inflictæ sunt pœnæ: vna confusio nuditatis, alia necessitas mortalitatis. Vnde post peccatum, verecundia nuditatis confusus, dixit Adam: Vocē tuam Domine audiui, & timui, & abscondi me, eo quod nudus essem. Et dictū est ei: Terra es & in terrā ibis, vt sibi inflictā cognosceret necessitatē mortalitatis. Cōfusio nuditatis prouenit ex inordinatione mēbrorū, propter quā abolēdam desiderat Paulus mortē, dicēs: Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis huius? Video legē in mēbris meis repugnātem legi mentis meæ. Necessitas vero, mortalitatis est ex contrarietate componentiū, quā refugit homo quilibet per naturā: Vnde Paulus dicit: Nolumus exspoliari, sed superuestiri. Quamobrem in sindone munda fuit corpus Christi mortuū inuolutū, vt significaret, morte sua auferri opprobriū nuditatis: & in monumēto excisō in petra, (qua significatur incorruptionis soliditas) sepultū; vt necessitatē mōstraret auferri mortalitatis. Hinc memoria sepulturæ Christi, sudarium videlicet, & lapis sepulchri, cōfert

miro

miro modo ſanctis morientibus ſolatium, & quietem.

Lectio VIII.

SVdarium Chriſti ſuffragatur ad fiduciam animæ morienti: prout dicitur in Apocalypſi Beati Ioannis: Venerunt nuptiæ agni, & vxor agni præparauit ſe, & datum eſt illi byſſinum ſplendens & candidum. Per byſſinum vero ſplendens & candidum mundæ ſindonis ſiue ſudarij Domini, intelligitur ſacramentum: vt abolita concupiſcentia, ſiue fomite carnis, ex quo procedit confuſio nuditatis, ſperet anima ſtolam æternæ iuſtificationis, abſorpta inordinatione, quæ eſt in membris noſtris. Vnde exponens Ioannes dicit. Byſſinum ſunt iuſtificationes ſanctorum.

Lectio IX.

IN petra vero ſperabit anima ſtabilitatem futuræ immortalitatis: vt cum Pſalmiſta, poſt mortem ſuam, ſancta anima exſoluat laudes dicens. Statui ſupra petram pedes meos. Ad hanc petrã deuotus, & ſupplex accedo, vt interueniente gratia ſaluatoris, detur mihi ſugere mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo. Acedioſum enim, & amarum animum gerit anima mea, in faciendis bonis: ſed de ſepulchri petra in fide mortis Chriſti, mellis dulcedo diſtillat; vt dulceſcat animus meus, & exſultet in obſequio ſaluatoris. Vulneratam vero & plagatam diuerſis generibus peccatorum, ſi gerã

con-

conſcientiam; hæc eſt petra, quæ fundet mihi riuos olei: ſpem videlicet veniæ, & miſericordiæ Dei : vt miſericordia motus Samaritanus Ieſus, infundat vinum & oleum in vulneribus ſauciati. Vinum ſcilicet, quod mordeat vulnus gratia compunctionis : oleum quod leniat & foueat gratia remiſſionis. Hæc ſunt igitur memorialia tua Domine Ieſu à generatione in generatione. Obſecramus igitur te Domine, exſurge: miſereatis Sion: quia tempus miſerẽdi eius, quia iam pro nobis natus es, pro nobis inter homines conuerſatus, pro nobis comprehenſus, pro nobis illuſus, pro nobis crucifixus, pro nobis mortuus & ſepultus: qui tamen reſurgens à mortuis , cum Deo Patre & Spiritu ſancto, viuis & regnas glorioſus & benedictus Deus, in ſecula ſeculorum. *Amen.*

HISTORIA FERIÆ IIII. HEBDOM. MAIORIS.

HÆc feria quarta, religione ieiunij humilitatis, & pœnitentiæ, proxima eſt feriæ ſextæ ſubſequenti; qua Dominus eſt crucifixus, & occaſione huius præſentis feriæ per totum annũ, quarta ſabbathi, ſeu feria quarta ieiunio eſt conſecrata: quod ab vniuerſis toto Oriente atque Africa, & per Occidentem a Monachis, à pœnitentibus & hominibus deuotis, religioſe obſeruatur, cuius rei causã ſic explicat D. Auguſt. Cur autem quarta & ſexta maximè ieiunet eccleſia, illa ratio reddi videtur, quod conſiderato Euangelio ipſa quarta ſabbathi, quam vulgò feriam quartam vocant, *Tomo 2. epiſt. 86. ad Caſul.*

concilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Iudæi . Intermiſſo autem vno die,cuius veſpera, Dominus Paſcha cum diſcipulis manducauit,qui finis fuit eius diei, quem vocamus quintam ſabbathi , deinde traditus eſt ea nocte,quæ iam ad ſextam ſabbathi , qui dies Paſſionis eius manifeſtus eſt , pertinebat, hic dies primus azymorum fuit, à veſpera incipiens,ſed Matthæus Euangeliſta, quintam Sabbathi dicit fuiſſe primum diem azymorum : quia eius veſpera ſequente , futura erat cœna Paſchalis : qua cœna incipiebat azymum , & eius immolatio manducari . Ex quo colligitur quartum ſabbathi fuiſſe, quando Dominus ait: ſcitis quia poſt biduum paſcha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur . Ac per hoc dies ipſe ieiunio deputatus eſt , quia ſicut Euangeliſta ſequitur , & dicit : Tunc congregati ſunt Principes ſacerdotum & Seniores populi , in atrium Principis ſacerdotum , qui dicitur Caiphas;& concilium fecerunt vt Ieſum dolo tenerent & occiderent . Intermiſſo autem vno die, de quo dicit Euangeliſta: Prima autem die azymorum , acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum , dicentes : vbi vis paremus tibi Paſcha? Hoc ergo die intermiſſo, paſſus eſt Dominus , quod nullus ambigit ſexta Sabbathi : quapropter & ipſa ſexta recte ieiunio deputatur : ieiunia quippe humiliratem ſignificant, vnde dictum eſt, & humiliabam in ieiunio animam meam . *Hæc Auguſtin . Ieiunatur igitur hæc feria quarta,*

hoc

hoc tempore Passionis accuratissime, minus solenniter alijs per annum quartis feriis, quibus sicut & prosabbathis, seu feriis sextis, extra quadragesimam ne olim quidem, nisi vsque ad nonam ieiunabatur. Ordo Romanus dicit: olim hac die, hora tertia, omnem clerum tam vrbis quam suburbanum, solitum conuenire ad eas preces, quarum nunc solum est vsus in Parasceue: inde discedere singulos ad suum titulum: atque ibi hora octaua conuenire ad communionem seu missam; quæ tota pertinet ad Domini Passionem: illud enim Iudæorum consilium, & Iudæ sceleratum pactum de tradendo Domino, quæ hoc die acciderunt, quantum ad Iudam & Iudæos erat vera Dei cades: venditio, inquit Rupertus, capitis nostri, totius corporis Ecclesiæ, contritionis & humilitatis inusitatæ, principium est. Hac namq; die abiit Iudas, & locutus est cum Principibus sacerdotum, & magistratibus, quemadmodum Iesum traderet eis, & gauisi sunt, & pacti sunt illi pecuniam dare, & spopondit. Igitur pro eo quod Ecclesia hoc die capite diminuta est, deponit hac eadem die consuetudinalem suum cultum, totiusq; nocturni ac diurni psallendi post hanc diem, gaudium obscurat vsitatum: sed & per totum anni circulum in pœnitentialium obseruatione ieiuniorum, propter causam supradictam, quarta feria, post sextam, in qua Dominus noster crucifixus est, secundum obtinet gradum.

Toto triduo præterito, erat Dominus diebus docẽs in tẽplo; noctibus vero exiẽs morabatur in monte, qui vocatur Olineti, & omnis populus manicabat ad eũ

in

quod receſſit à Deo ſeipſum tradens diabolo, & ſine argento redimemini. Quid enim captiua filia Sion pro redemptione tua dediſti? nullis præcedentibus meritis ſed ſola gratia Chriſtus venditus, venundatos redemit. Hodie fiebat ſeptimum & vltimũ ſcrutinium electorum ſecundum quoſdam.

EXPLICATIO OFFICII.

INchoamus hodiernum officium ab illis verbis Apoſtoli paululum immutatis : In nomine Ieſu omne genu flectatur, cuius introitus illa eſt cauſa, quod hoc die, in Paſſione Domini ſecundum Lucam, multo accuratius quam in cæteris narratur Dominus orans, poſitis genibus, & ipſe auulſus eſt ab eis quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat dicens: Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me; & factus in agonia prolixius orabat, & factus eſt ſudor eius, tanquam gutta ſanguinis decurrentis, in terram, vnde contremiſcit Eccleſia tantorum mirabilium contemplatrix: & in Introitu quaſi attonita repentino clamore concrepat: In nomine Domini omne genu flectatur, cœleſtium terreſtrium, & infernorum: Nimirum omnium angelorum, hominumq; Dominum procidiſſe, & in ſudore ſanguinis agonizari videns, humana corda hoc terrifico clamore percutit, ne quis audeat ſtare rigidus & elatus, cum ille tantus, in tam magna ſeſe propter nos humilitate deijciẽs genua poſuerit, magnum piumq; & dignum ſpectaculo mentium noſtrarum eſt huius diei officium, quo laborat Eccleſia ſingulorum corda filiorum, ad tantæ rei præſentiam per contemplationem reducere, & per voces Apoſtolorum &

Prophe-

Prophetarum, quasi præsentium, & agonizantem Dominum circumstantium, in admirationem & Passionem excitare. Conclamata itaque Antiphona Introitus, quæ de Apostolo sumpta est. quod valde rarum est, (paucæ namq; de nouo testamento sumptæ sunt) protinus Isaias Prropheta desideratissimus huius Dominicæ Passionis expectator, & Præco, quasi præsens accurrit, ac veluti in repræsenti, pulcherrimo dialogo post acclamationem, dicite (inquit) filiæ Sion, & quid Propheta vis scire filiã Sion? dicite illi, ecce saluator tuus venit: ecce merces eius cum eo, ipse est enim merces sua, non dat sua sed seipsum dat diligentibus se, & vt hoc melius etiam intelligeret filia Sion. proponit Propheta admirationem Angelorum, in ascensu Domini in cœlos; & Christi responsum: quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? qui venit de Edom, id est, de terra, & istic tinctas accepit vestes in Bosra, id est in Hierusalem: qui sic est formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis. Respondet Christus: Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Interrogant denuo Angeli: Quare ergo rubrum est indumentum tuum & vestimenta tua sicut calcantium in torcular? Iustus enim non sic debuit inquinari. Respondet Christus: Torcular calcaui solus, & cætera quæ sequuntur. Et hoc torcular est Crux Domini, qua ratione quod pluribus dicitur in hac epistola, sic paucis explicatur in Introitu, quia Dominus factus est obediens, vsque ad mortem, mortem autem crucis: ideo Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Istud itaque torcular, ista Crux est; admirabile victoriæ munimentum, cæcorum lumen, splendor cœlestis salutis, præsidium & iter solum in cœlum, qua occasione post tantæ

tantæ rei admirationem, in hanc vocem erumpit Propheta: Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus Deus noster. His auditis, Ecclesiæ Chorus sciens agonem Domini, sudoremq; sanguineum, & orationem pro se, imo suam esse: suas adiungit voces: nec tamen loquitur pluraliter, eo quod una sit persona cum Christo, tanquam corpus cum capite suo, succinitq; Graduale: ne avertas faciem tuam a puero tuo, id est a me qui sum puer tuus, id est servus tuus, quoniam tribulor, scilicet pro te, velociter exaudi me id est resuscita me. Saluum me fac, quoniam aquæ, id est Judæi qui semper sunt in motu invidiæ, intrauerunt usque ad animam meam, id est eo usque, vt me occidant: inter quos commorans, infixus sum in limo profundi, qui ita sunt quod non est substantia quia verum esse amiserunt: finemq; altera lectione eiusdem Prophetæ declamata, quam ille cum eloqueretur, præuidebat eum spirituali oculo, in eodem schemate, in quo nunc ab Euangelista repræsentatur: scilicet non habentem speciem, neque decorem: ascendentem sicut virgultum, & sicut radicem de terra sitienti de despectu & nouissimum virorum; virum dolorum & scientem infirmitatem; vulneratum propter iniquitates nostras, & attritum propter scelera nostra, cum sceleratis reputatum & pro transgressoribus exorantem. Hac inquam lectione pronunciata fit quod alia nunquam die per annum agitur, præter hanc feriam quartam, & magnum diem Parasceuen, & præter sabbatha quatuor temporalium ieiuniorum: scilicet quod epistolam nõ graduale, sed tractus sequitur: nam præter supradictos dies, semper graduale sequitur epistolam, aut alleluya, si ratio temporis graduale submoueat, quod sit

per dies Pentecostes. Causa autem hæc est, quia musicus ille, qui dixit. Cantauimus vobis & non saltastis; lamentauimus, & non plorastis, cuius cautioni, alleluya, quasi saltatio, lamentationi vero graduale, quasi ploratio pœnitentiæ respondet, ille inquam musicus his diebus aufertur: nam feria quarta venditur, feria sexta sequenti crucifigitur, sed die Paraſceues, singulas lectiones singuli tractus subsequuntur. Hac autem die, quia venditus, licet tamen adhuc cum discipulis habebatur, vnus tamen tractus pro graduali, tamquam imperfectus adhuc luctus assumitur. Quod autem tractus lugentium sit, magisq; luctui congruat, quam graduale, quod est pœnitentium lamentum, illud comprobat: quod non cum alleluya, vt graduale, sed pro alleluya canitur his diebus, quibus mortem, quæ subintrauit in mundum per inuidiam diaboli, id est a septuagesima vsque in Pascha lugemus. Tractus autem hic de Psalmo 101. est, qui rei & tempori valde congruit. Nam & titulus ad articulum temporis pertinet, quo vel in agoniam factus, prolixius orauit, sanguineo sudore madens: quod signum erat sanguinis plurimi, cæde martyrum effundendi: vel quo pro transgressoribus orauit dicens: Pater dimitte illis, non enim sciũt quid faciunt. Item q̃, Pater in manus tuas commẽdo spiritum meum. sic enim se habet titulus. Oratio pauperis cum anxiaretur, & coram Domino effunderet precem suam. Pauper hic ipse est, qui (vt ait Apostolus) cum diues esset, gratia sua, propter nos egenus factus est. Cum hoc ergo paupere pro nobis orante; cuncti pauperes spiritu, qui corpus vnum cum illo sunt, illo præorante pariter orant; aureumq; thuribulum immaculati corporis tenenti, huic summo angelo, suaq; orationis incensum præferenti, suarum

rum quoque chorus noſter orationum incenſu certatim ſimul injcit, dicendo ac repetendo, Domine exaudi orationem meam, Lecta quoque paſſione; ſacrificium eiuſdem iterata orationis, in offerenda ſubijcit, Communio quoque de eodē Pſalmo eſt. Potum meum cum fletu temperabam, vt aduertas totum hunc Pſalmum in perſona eius eſſe conſcriptum. Qui (ait Apoſtolus) in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſq; ad eum, qui illum ſaluum poſſit facere a morte, cum clamore valido ac multis lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.

MISSA FERIÆ IIII. HEBDOMADÆ MAIORIS.

INTROITVS.

IN nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium terreſtrium & infernorum: quia Dominus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Ideo Dominus Ieſus Chriſtus, in gloria eſt Dei Patris. *Philip. 2.*

Pſal. Domine exaudi orationem meā, & clamor meus ad te veniat. *Pſal. 101.*

Coll. Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui pro noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur, per vnigeniti tui Paſſionem liberemur.

CVnctis nos quæſumus Domine reatibus & periculis clementer abſolue: quos per lignum ſanctæ Crucis redimere dignatus es.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

Cap. 62 & 63. HÆc dicit Dominus Deus: Dicite Filiæ Sion, ecce Saluator tuus venit: ecce merces eius cũ eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra: iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrũ est indumentum tuum & vestimenta tua sicut calcantiũ in torculari? Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, & cõculcaui eos in ira mea: & aspersus est sanguis super vestimenta mea, & omnia indumenta mea, inquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit. Circumspexi & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret; & saluauit mihi brachium meum & indignatio mea, ipsa auxiliata est mihi: Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum Miserationũ Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quę reddidit nobis Dominus Deus noster.

Graduale. Ne auertas faciẽ tuã à puero tuo, quoniã tribulor velociter, exaudi me. *Vers.* Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquę, vsque ad animam meam: infixus sum in limo profundi, & non est substantia.

ORATIO.

DEus, qui pro nobis filium tuum crucis patibulum subire voluisti, vt inimici à nobis

bis expelleres potestatem: concede nobis famulis tuis, vt resurrectionis gratiam consequamur. Per eundem.

Secunda Orat. vel Ecclesiæ tuæ, vel, Deus omnium.

Lectio Isaiæ Prophetæ.

IN diebus illis, dixit Isaias: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est, & ascendet sicut virgultum coram eo; & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus; & desiderauimus eum, despectum & nouissimum virorum; virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi abscõditus vultus eius, & despectus: vnde nec reputauimus eum: verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, & nos putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suã declinauit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum oblatus est, quia ipse voluit, & nõ aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus corã tondẽte se obmutescet; & non aperiet os suũ, de angustia & de iudicio sublatus est. Generationẽ eius quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viuẽtiũ. Propter scelus populi mei percussi eũ. & dabit impios pro sepultura, & diuites pro morte Cap 53.

 eo

ſua,eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus inuentus fuerit in ore eius,& Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuam,videbit ſemen longæuum;& voluntas Domini in manu eius dirigetur.Pro eo quod laborauit omnia eius,videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos,& fortium diuidet ſpolia,pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam,& cum ſceleratis reputatus eſt,& ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.

Pſal. 101 *Tractus.* Domine exaudi orationem meam & clamor meus ad te veniat. *Verſ.* Ne auertas faciem tuam à me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. *Verſ.* In quacunque die inuocauero te, velociter exaudi me. *Verſ.* Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut in frixorio confrixa ſunt. *Verſ.* Percuſſus ſum ſicut fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum manducare panem meum. *Verſ.* Tu exſurgens Domine,miſereberis Sion; quia venit tempus miſerendi eius.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecundum Lucam.

Cap. 22. IN illo tempore,appropinquabat dies feſtus azymorum,qui dicitur Paſcha,& quærebãt Principes ſacerdotum & Scribæ, quomodo Ieſum interficerent; timebant vero plebem. Intrauit autem Sathanas in Iudam,qui cognominabatur Iſcariotes, vnum de duodecim: & abiit

abiit & locutus est cum Principibus Sacerdotum,& magistratibus:quemadmodum illũ traderet eis:& gauisi sunt, & pactisunt pecuniam illi dare:& spopondit,& quęrebat oportunitatem,vt traderet illum sine turbis. Venit autem dies azymorum,in qua necesse erat occidi Pascha;& misit Petrum & Ioannem,dicens:Euntes parate nobis Pascha,vt manducemus:At illi dixerunt:vbi vis paremus?Et dixit ad eos: ecce, introeuntibus vobis in ciuitatem,occurret vobis homo,amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum,in quã intrat,& dicetis: patrifamilias domus:Dicit tibi magister, vbi est diuersoriũ,vbi cum discipulis meis Pascha mãducem?& ipse vobis ostendet cœnaculum magnum,stratum;& ibi parate. Euntes autẽ inuenerunt,sicut dixit illis Iesus;& parauerunt Pascha:Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cũ eo;& ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum,antequam patiar.Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.Et accepto calice gratias egit,& dixit; Accipite & diuidite inter vos, dico enim vobis,quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.Et accepto pane, gratias egit,& fregit,& dedit eis, dicens: Hoc est corpus meũ,quod pro vobis datur,Hoc facite in meã commemorationẽ.Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est,in sanguine meo;qui pro vobis effunditur. Veruntamen ecce manus tradentis me,mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est,

vadit; veruntamen væ homini illi, per quem tradetur. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator: nam quis maior est qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus Simoni: Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire, at ille dixit: dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis; quando vos misi sine sacculo & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium, dico enim vobis: quoniam & adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri

pleri in me:& cum iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt, de me finem habent. At illi dixerunt: Domine,ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est, & egressus ibat secundum consuetudinem in montem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli: & cum peruenisset ad locum, dixit illis: Orate ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis,& positis genibus, orabat dicens: Pater si vis, transfer calicem istum à me: Veruntamen non mea voluntas;sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum,& factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius,sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos inuenit eos dormientes, præ tristitia,& ait illis: Quid dormitis? surgite orate ne intretis in tentationem,Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos: & appropinquauit Iesu, vt oscularetur eum. Iesus autem dixit illi: Iuda osculo filium hominis tradis? videntes autem hi,qui circa ipsum erant, quod futurum erat,dixerunt ei: Domine si percutimus in gladio? & percussit vnus ex eis seruum Principis Sacerdotum, & ampurauit auriculam eius dexteram Respondens autem Iesus, ait, Sinite vsque huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum. Dixit autem Iesus ad eos, qui venerant ad se, Principes sacerdotum, & magistratus templi,& seniores: Quasi ad latronem existis cum gladijs & fustibus, cũ quotidie vobiscũ fuerim in templo,nõ extendistis manus

manus in me, ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis ſacerdotum: Petrus vero ſequebatur eum à longe. Accenſo autem igne in medio atrij, & circumſedentibus illis, erat Petrus in medio eorũ; quem cum vidiſſet ancilla quædam, ſedentem ad lumen, & eum foiſſet intuita, dixit: Et hic cũ illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier non noui illum. Et poſt puſillum alius videns eum dixit: Tu de illis es, Petrus vero ait: O homo, non ſum. Et interuallo facto, quaſi horæ vnius, alius quidem affirmabat, dicens: Verè & hic cũ illo erat, nam & Galilæus eſt. Et ait Petrus, homo, neſcio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente, cantauit Gallus, & conuerſus Dominus, reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: quia priuſquã gallus cantet ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus, fleuit amare. Et viri qui tenebant Ieſum, illudebant ei, cædentes: & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius; & interrogabant eum, dicentes; Prophetiza quis eſt, qui te percuſſit? & alia multa blaſphemantes dicebant in eum. Et vt factus eſt dies, conuenerunt Seniores plebis, & principes ſacerdotum, & ſcribæ, & duxerunt illum in concilium ſuum, dicentes: Si tu es Chriſtus, dic nobis? Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis: Ex hoc autem erit filius hominis, ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt ergo omnes, tu ergo es filius Dei? qui ait, vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt: quid adhuc

deſi-

deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus de ore eius. Et ſurgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem accuſare illum dicentes: Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentẽ ſe Chriſtum regem eſſe. Pilatus autem interrogauit eum dicens: Tu es Rex Iudæorum? at ille reſpondens ait: Tu dicis, Ait autem Pilatus ad Principes ſacerdotum & turbas: nihil inuenio cauſæ in hoc homine. At illi inualeſcebant, dicentes: commouit populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa, vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogauit: ſi homo Galilæus eſſet: & vt cognouit, quod de Herodis poteſtate eſſet; remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo Ieſum, gauiſus eſt valde: erat enim cupiens ex multo tempore, videre illum, eo quod audierat multa de illo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri, Interrogabat autem illum multis ſermonibus; at ipſe nihil illi reſpondebat. Stabãt autem Principes Sacerdotum & Scribę, conſtanter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum, & facti ſunt amici Herodes & Pilatus, in ipſa die: nam antea inimici erant ad inuicem. Pilatus autem conuocatis Principibus ſacerdotum & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hũc hominem, quaſi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto, ex his, in quibus eum

accuſatis. Sed neque Herodes, nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei: Emendatum ergo illum dimittam. Neceſſe autem habebat, dimittere eis per diem feſtum vnum: exclamauit autem ſimul vniuerſa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam: qui erat propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium, miſſus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad illos, volens dimittere Ieſum, at illi ſuccla-mabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iſte? nullam cauſam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes, vt crucifigeretur; & inualeſcebant voces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem illorum: dimiſit autem illis eum, qui propter homicidium & ſeditionem, miſſus fuerat in carcerem, quem petebant: Ieſum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam, Cyrenenſem, venientem de villa, & impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum. Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuerſus autem Ieſus ad illas dixit: filiæ Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſmetipſas flete, & ſuper filios veſtros: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſu-

per

per nos; & collibus, operite nos: Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet: Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur, & postquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & latrones; vnum à dextris, & alterum à sinistris. Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. Diuidentes vero vestimenta eius, miserunt sortes: & stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis, dicentes: Alios saluos fecit, se saluum faciat; si hic est Christus, Dei electus. Illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes illi, & dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Erat autem & superscriptio scripta super eum litteris Græcis, & Latinis & Hebraicis: Hic est Rex Iudæorum. Vnus autem de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus saluum fac temetipsum & nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit: & dicebat ad Iesum: Domine memento mei, cum veneris in regnũ tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris paradiso. Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram, vsque in horam nonam; & obscuratus est sol, & velum templi scissum est medium: & clamans Iesus voce magna, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

meum. Et hæc dicens, expirauit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iuſtus erat, & omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant percutientes pectora ſua, reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius à longe, & mulieres, quæ ſecutæ erant eum à Galilæa, hęc videntes. Et ecce vir nomine Ioſeph, qui erat decurio, vir bonus & iuſtus, hic non conſenſerat conſilio & actibus eorum, ab Arimathia ciuitate Iudeæ, qui expectabat & ipſe regnum Dei, hic acceſſit ad Pilatum, & petijt corpus Ieſu: Et depoſitum inuoluit ſindone, & poſuit eum in monumento exciſo, in quo nondum quiſquã poſitus fuerat.

Pſal. 101 *Offertorium.* Domine exaudi orationẽ meã; & clamor meus ad te perueniat: ne auertas faciem tuam à me: Quia oblitus ſum manducare panem meum. Tu exſurgens miſereberis Siõ, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus.

Secreta.

SVſcipe quęſumus Domine munus oblatũ, & dignanter operare, vt quod Paſſionis filij tui Domini noſtri myſterio gerimus piis affectibus conſequamur Per.

Præfatio.

AEterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum; Qui innocens pro impiis voluit

luit pati, & pro sceleratis indebite condemnari: cuius mors delicta nostra detersit, & resurrectio nobis iustificationem exhibuit: per quẽ tuam pietatem supplices exoramus, vt sic nos hodie à peccatis emacules, vt cras venerabilis carnis dapibus saties, hodie acceptes confessionem nostrorũ peccaminum, & cras tribuas spiritualium incrementa donorum, hodie ieiuniorum nostrorum vota suscipias, & cras nos ad sacratissimæ carnis conuiuium introducas. Per quem.

Communio. Potum meum cum fletu temperabam, quia eleuans allisisti me, & ego sicut fœnum arui: tu autem Domine in æternum permanes. Tu exsurgens misereberis Siõ, quia venit tempus miserendi eius. *Psal. 101*

Post-Communio.

LArgire sensibus nostris omnipotens Deus, vt per temporalem filij tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per.

Super populum.

REspice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus, non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Christi tui beata Passione nos reparas; conserua in nobis opera misericordiæ tuæ, vt in huius celebritate mysterij, perpetua deuotione viuamus.

Ad

Ad Benedictionem.

OMnipotentis Dei, & Domini nostri benedictionibus repleamur, cuius sumus sanguine pretioso redempti *Amen.*

Et vt nos indeficiens repleat gratia, cuius ineffabilis plasmauit potentia *Amen.*

Vt qui nobis in hoc mundo præstitit conditionem nascendi, ipse in regno æterno, tribuat mansionem sine fine viuendi *Amen.*

Quod ipse &c.

FERIA V. HEBDOMADÆ MAIORIS.

Ista feria, quo tempore mortuus est Dominus, erat decimaquarta Luna primi mensis: ad cuius vesperam incipiebant dies azymorum, & occidebatur Agnus, qui nocte, id est, vespere iam transacto, manducabatur, non erat vespera à qua incipiebat luna decimaquarta, sed quæ claudebat lunam decimamquartam & quæ reuera pertinebat ad diem sequẽtem, lunam decimamquintam. Vtebantur enim Iudæi vesperis, vt nos in officio Ecclesiastico, primis & secundis, qua ratione fiebat, vt licet secundæ vesperæ essent initium eius obseruationis, quæ incidit in diẽ sequentem, aliquo tamen modo pertinerent ad diem, cui succedunt, & quem claudunt suo occasu. Incipiebat itaque Pascha ista vespera, & finiebatur primus dies azymorum, luna decimaquinta ad vesperam, quo die crucifixus est Dominus. Et durabat solennitas non comedendi panes fermentatos, vsque ad vesperam claudentem lunam vigesimamprimam, qua ratione fit, vt Luna decimaquarta dicatur à

Ioan-

Ioanne, ante diem festum Paschæ: & ab aliis tribus Euangelistis, dies azymorum, & prima dies azymorum: eodem modo loquendi, quo dicitur Pascha comedi luna decimaquarta; cum reuera & exactissima ratione legali, quæ computat dies festos a vespera in vesperam; comedatur Pascha, luna decimaquinta: quæ incipit a vespera, claudente istum diem, quod recte probatur illa ratione, quod finis septem dierum Paschalium seu azymorum sit, vt diximus dies vigesimaprima ad vesperam. Incipiebat autem ista vespera horanona; qua hora vsque ad vndecimam cædebantur victimæ: & postea assæ comedebantur cum lactucis agrestibus, & pane azymo. Cum igitur aduenit luna ista decimaquarta, monetur Dominus a discipulis vbi vis paremus tibi Pascha? vel vt loquitur Marcus, primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi comedere Pascha? vel vt Lucas: venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Obseruauit igitur Dominus diem ordinarium in quo cæteri Iudæi immolabant Pascha; & in illo die misit in vrbem Hierosolymam duos discipulos, Petrum & Ioannem, qui illi parareni Pascha, quod manducaret cum discipulis: atque hæc est verissima & certissima historia: a qua nonnulli ita dissentiunt, vt dicant Christum hac die quidem manducasse Pascha, verum Iudæos eo tempore celebrasse suum Pascha, ea vespera, quæ successit morti Christi, & luceseit in sabbathum, quam suam sententiam probant & variis figmentis, quæ nulla neque rationum neque authorum dignitate, se tuentur; & male intellectis verbis B. Ioannis Euangelistæ: qui narrat, die sequenti noluisse Iudæos ingredi ad Pilatum in prætorium, ne contaminarentur,

Toletus in Euangeliũ Ioannis ad ipũ locũ.

Exod 12. Baronius & authores sub eo alibi ad annum Christi 34.

tur, vt comederent Pascha, verba enim illa magis pertinent ad eos, qui iam erant ingressi Pascha, quod durabat diebus septem, quam ad eos qui adhuc expectabant venturum Pascha, sic in Paralip. septem diebus agebatur Phase, & comedebatur Phase, quodidem est quod Pascha. Praterea quod dicit Ioannes de Parasceue sabbathi, & verba illa Ioannis, (erat enim magnus dies ille sabbathi) nihil ad hanc rem pertinent: neque aliud iis verbis potest probari, quam id solum, illud sabbathum quod incidit in septem dies Paschales, fuisse ceteris sabbathis solemnius. Cum igitur verba Ioannis nihil faciant pro ista sententia, contra expressa verba caterorum Euangelistarum, qui dicunt Dominum comedisse Pascha primo die azymorum, quo immolabant Pascha, quo necesse erat immolari Pascha, quo hospes habebat hostiam, & panes ad rem eam iam paratos: contra tantam conuenientiam figura & veritatis, vt eodem die concurrerent Pascha vetus, & quod illi succederet, Pascha noua Ecclesia, dedicatum in corpore & sanguine redemptoris: & ex quo vtrumque dependet, verissimum & propriissimum Pascha, quod est Christus Dominus: nulla ratione potest discedi a sententia & praxi Ecclesia latina in gratiam Grecorum, qui ista occasione tuetur vsum panis fermentati, quo vtuntur in mysterio corporis Domini. Venit igitur hoc die Dominus Hierosolymam, & secit istic illam memorabilem cœnam, quam Ecclesia vocat cœnam Domini, & vnde ista nostra feria nomen accepit, potuit sapius cœnasse Dominus cœna ordinaria, quin & hoc certum est, omnibus diebus vitæ suæ comedisse Dominum Pascha, luna decimaquarta ad vesperam, & sic sapius eum cœnasse, sola tamen est ista cœna, quæ dicitur

Paral. cap. 30 & 35.

cœna

cœna Domini, quæ triplicem habuit Domini actionem, oblationem & comestionem agni Paschalis, secundum legem Moysis; ablutionem pedum; & postremo institutionem noui Paschatis, dedicati in corpore & sanguine Saluatoris. De priore non fere tractat Ecclesia, Posterior res est immensæ cogitationis, & qua continetur summus Dei cultus, cuirei idcirco a posterioribus Pontificibus tributi sunt dies octo, post festum Pentecostes, sola igitur hic restat ablutio pedum, cuius rei historia proponitur in Euãgelio hodierno. Et ex hoc Christi facto, mansit in Ecclesiis consuetudo mandati, quo nomine vocamus non solum eam actionem, qua hodie prælati lauant pedes inferiorum, sed & iam illam, qua pauperibus lauantur vel pedes, vel manus: & præterea præbetur cibus, vnde & ipsi panes, qui etiam extra hunc diem, canonicis & pauperibus distribuuntur, multis locis vocantur mandata des mandez. Et quidem res ista hoc die passim fit per Ecclesias Catholicorum ad vesperam: neque id nouo sed antiquissimo more: vt constat ex ordine Romano, & antiquissimis authoribus, Alcuino, Amalano, Ruperto, cæterisq; rituum Ecclesiasticorum interpretibus, quain re bene illi monent, vtriusq; rei ibi haberi rationem; & Christi lauantis pedes discipulorum, & Mariæ facientis simile officium circa Dominum; quod etiam indicãt veteres Antiphonæ, quæ accinuntur huic actioni.

De aliis huius diei mysteriis, primum de reconciliatione pœnitentium.

PRopter istas quas commemorauimus varias Christi Domini actiones, Ecclesia hunc diem alijs multis sacris actionibus insignit: quo in genere

est pulcherrimæ & religiosæ lectionis vetus ratio recipiendi pœnitentes, vnde & vulgo hæc feria quinta dicitur Gallis Ieudy absolu: *quam nos hic idcirco prolixius discussimus, quod res nulla æque nobis est necessaria, atque pœnitentia. Primum itaque libet huc transcribere Iuonis Episcopi Carnotensis sermonem: vt is sit totius historiæ quædam veluti præfatio.*

SERMO B. IVONIS EPISCOPI Carnotensis.

OPtatus nobis (dilectissimi) dies remissionis aduenit, quo mater Ecclesia membra sua tanquam putrida hactenus à se proiecta, inter societatem commembrorum suorum recipit, quo peccantes filios suos legibus pœnitentiæ emendatos, sequestrationis rubore castigatos, ad sacramentum reconciliationis admittit. Et merito hic dies huic sacramento est deputatus, quo Dominus noster Iesus Christus, corpus illud, quod pro nobis proxime erat traditurus, discipulis ad manducandum, sanguinem quem pro nobis fusurus erat, tradidit ad bibendum, eo ergo die, nullus fidelis extorris debet esse à corpore Christi, quod est Ecclesia: quo die medicinam suæ reconciliationis, corpus scilicet & sanguinem Christi, suscepit Ecclesia. Hodie veteris sacerdotij ritus, quo sanguis vitulorum & hircorum fundebatur, & cinis vitulæ extra castra crematæ adspergebatur, ad emundationem tantummodo carnis, de medio sublatus est, & noui sacerdotij

dotij ritus,quo caro Christi, extra portam passa,& sanguis Christi pro nobis fusus, emundatos carne & spiritu, sanctificat, veteri sacerdotio subrogatus est,dicit enim Apostolus: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, & posuit in nobis verbum reconciliationis, quo ergo die conuenientius debent ministri noui sacerdotij, hoc reconciliationis celebrare sacramentum,quam eo die,quo ab authore noui sacerdotij,hoc primitus est institutum? huic etiam reconciliationis sacramento congruit, quod hodie discipulorum pedes lauit, quod hoc discipulis seruandum esse mandauit; non quod indigerent lauari, sicut ipse ait, qui loti erant aqua salutari,sed quia affectus hominum, quibus tanquam pedibus ad Deum acceditur, vel à Deo receditur, non possunt terreno puluere non fœdari, quos oportet inter mundi turbines,in medio hominum polluta labia habentium, & inter lutulenta mundi negotia, conuersari.Hæc ergo ablutio pedum, mundatio est affectuum,vt si quas de terrena conuersatione fœdas imagines introrsum traximus, hoc sacramento diluamus. Et pulchre huic sacramento reconciliationis consonat, quod caput,id est Christus, corporis pedes lauat, id est vltima membra sua, per officium pastorum sibi reconciliat.Nos enim dicti pastores & veluti capiti viciniora membra,dum pro peccatis vestris oramus,cum pro excessibus vestris lachrymas fundimus,quid aliud facimus, nisi quod vobis pedes, quibus ad Deum redeatis, abluimus?Cum etiam peccatorum nostrorum memoria conterriti,in oratione nostra, de capite

lachrymas fundimus ; anne conſcientias noſtras tanquam pedes immundos, à terreni cõtactus ſordibus emundamus ? Quia ergo vos hodierna die fratres ad tam deſiderabile ſacramentum reconciliationis admittimus , ſub Dei miſeratione, quantum in vobis eſt laborate , vt quod vobis foris per officium noſtrum miniſtratur , in veſtris mentibus rei veritate compleatur. Non ſitis domus illa ſcopis mundata, id eſt pœnitentiæ ſacramentis palliata, ad quam reuertitur immundus ſpiritus, qui inde per confeſſionem exierat , & inueniens eam vacantem, id eſt nulli veræ virtuti operam dantem, ingreditur ibi cum ſeptem aliis ſpiritibus, ſe nequioribus, id eſt omnibus ſuperſtitionis generibus, & fiunt nouiſſima hominis illius, peiora prioribus. Nouiſſima enim eorum peiora prioribus fiunt , quia peccata quibus in confeſſione renunciauerant, occulte committunt, & ea diuerſis coloribus ſuperſtitionis operire contendunt . Huiuſmodi hypocritas æquiparat Dominus ſepulchris , foris dealbatis , & vaſis extra mundatis , quæ intus plena ſunt fœtore & ſordibus. Mundate ergo fratres conſcientias veſtras, vt vaſa honeſta & apta ſitis, ad accipiendum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti , per quem redempti eſtis, cum perditi eſſetis: per quem reconciliamini, cum iterum auerſi fuiſſetis, per quem ſaluandi eſtis , ſi intra ſocietatem membrorum Chriſti inuenti fueritis , cui reconciliati eſtis. Qui enim manducat indignè , reus eſt mortis Domini. Quis eſt qui manducat indignè? qui capit ore, & non capit corde, qui non eſt membrum

brum capitis, nec pars Christi corporis. Hic accipiens corpus Domini, pœnas dabit mortis Domini, quia tali pœna plectetur, quali plectũtur, qui indignè ad mortem tradiderunt corpus Domini. Manete ergo in Christo, vt Christus maneat in vobis, & digne accedatis ad participationem Dominici corporis & sanguinis. *Atque hæc Iuo. Feria quarta cinerum, explicauimus multa de ijs qui eo die recipiebantur in orcinem, publicè & solenniter pœnitentium. Durandus hoc die repetit habitum & formam pœnitentium: quæ res ad animos nostros commouendos breuiter hic est repetenda. Primum eijciuntur ex Ecclesia, & ex iis nonnulli, præcipue viri sanguinum, cum anathemate: quod fit proiectione candelarum in terram, quæ ibi conculcantur, & in nullum vsum postea assumuntur, sicut sal infatuatum. Exeuntes ferunt candelas in manibus, in memoriam romphææ positæ ante paradisum: vadunt tanquam in exilium, claudnntur coram eis fores Ecclesiæ, cilicijs vestiuntur sicut Iob, qui pœnitentiam in cinere & famulla agẽs, sacco se operuit; & Niniuitæ, qui similiter fecerunt, comam & barbam nutriunt sicut Ioseph in carcere. Iacent aut sedent in terra sicut Iob, qui in sterquilinio sedit, in terra comedunt quasi ipso facto dicant: Maledicta est terra in opere tuo. Non dicitur eis, Aue. Incedunt nudis pedibus, baculo cubitali innixi, & ieiunant. In his enim omnibus inuitantur ad humilitatem & purgatoriam confessionem, & tam peccatorum, quam æternæ pœnæ meditationem, & quod sint memores suæ peregrinationis, namq; eijciuntur de Ecclesia, & post eos cantatur: In sudore vultus tui, vesceris pane tuo, hoc ideo fit, vt videntes Ecclesiam, pro eis esse confusam, magis ac magis con-*

fundantur: in veſtimentis quippe ſordidis, & excremento crinis, & barbæ multiplicatione, miſeriæ peccatorum inſinuantur: quaſi dicat, ipſo facto, iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei. Quod in terra iacent, æternam damnationem ad memoriam eis reducit, quaſi dicant, Domine perdes omnes qui in terram deſcenderunt, id eſt, qui dediti ſunt terrenis; niſi reſipiſcant Quod de loco ad locum cum baculo vadant, eis ad memoriam peregrinationem ſuam renocat: qui per peccatum receſſerunt a Deo in baculo enim intelligitur correctio, & conſolatio & ſuſtentatio: quaſi dicant; virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt, eſt autem baculus cubitalis quia in qua menſura menſi fuerint, remetietur eis, vidimus afflictos, videamus conſolatos ſdcirco enim Eccleſia percutit, idcirco vulnerat, vt erumpat venenum de latente vlcere, & ſic ſanetur. ſſto itaque die hora tertia, ſedente Pontifice pro foribus Eccleſiæ, egreditur pœnitens de loco, vbi pœnitentiam geſſit: & ponitur in atrio eminus cum Archidiacono: deinde Archidiaconus, antequam pœnitentes offerat Epiſcopo, poſtulat his verbis: Adeſt ô venerabilis Pontifex tempus acceptum, dies propitiationis diuinæ, & ſalutis humanæ; qua mors interitum & vita accepit æterna principium: quãdo in vinea Domini Sabbaoth, ſic nouorum palmitum plantatio facienda eſt, vt purgetur excretio veuſtatis Quamuis enim diuitiis bonitatis & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior eſt per Indulgentiam remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium. Augemur regenerandis creſcimus renerſis, lauant aquæ, lauant lachrymæ, inde eſt gaudium de aſſumptione

sione vocatorum ; hinc lætitia de absolutione pœnitentium. Inde est quod supplex grex tuus, postea quam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœlestium, & morum probabilium transgressione cecidit, humiliatus atque prostratus, prophetica ad Dominum voce clamat, dicens: Peccaui, impie egi, iniquitatem feci miserere mei Domine, Euangelicam vocem non frustratoria aure capiens: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, manducauit sicut scriptum est panem doloris ; lachrymis stratum rigauit, cor suum luctu, corpus afflixit ieiuniis : vt anima sua reciperet, quam perdiderat sanitatem: vnicum itaque est pœnitentiæ suffragium, quod & singulis prodest, & omnibus in commune succurrit: Hic ergo dum ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis ; sub conspectu ingemiscentis Ecclesiæ, venerabilis Pontifex protestatur & dicit: Iniquitates meas ego cognosco, & delictum meum contra me est semper. Auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Redintegra in eo Apostolice Pontifex, quidquid diabolo suadente corruptum est, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per diuinæ reconciliationis gratiam, fac hominem proximum Deo ; vt qui antea in suis sibi peruersitatibus displicebat, nunc iam placere se Domino in regione viuorum, deuicto mortis authore, gratuletur. Tunc dicit Pontifex, Antiph Venite. Diaconus qui stat ex parte pœnitentium : Flectamus genua, tunc omnes astantes pœnitentes flectunt genua, quo

facto,

facto, dicit diaconus, qui est ex parte Pontificis: Leuate, deinde secundo dicit Pontifex: Venite, Venite, Diaconus pœnitentium: Flectamus genua, Diaconus Pontificis: Leuate. Et tunc ad medium vsque atrij pauimentum solo tenus veniunt pœnitentes. Deinde tertio Dominus Episcopus annunciat: Venite, Venite, Venite, Diaconus pœnitentium: Leuate. Et mox cum Diacono, pœnitentes corruunt ad pedes Episcopi, & prostrati ibi iacent, vsque dum Dominus Episcopus surgens, innuat alteri Diacono: Leuate, Et clerus prosequitur Antiph. Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos, cum Psal. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et ad finem vsque ducẽte, quamdiu vero Psalmus canitur a clero cum Antiph. Venite filii, semper manuatim pœnitentes à plebesanis, archidiacono; & ab archidiacono redduntur Episcopo; & ab Episcopo restituuntur Ecclesiæ gremio, prostrato omni corpore in terram. Deinde imponit Episcopus Antiph. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis, cum Psalmo Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quo finito prosternit se Episcopus, vna cum pœnitentibus in oratorio, clero interim faciente litaniam. Qua expleta, postquam dicatur Kyrie eleison: Erectus a terra, dicit Pater noster, & preces: Saluos fac seruos tuos Domine. *Resp.* Deus meus sperantes in te. Cõuertere Domine vsquequo. *Resp.* Et deprecabilis esto super tuos. Mitte eis Domine auxilium de sancto. *Resp.* Et de Sion tuere eos. Illustra faciem tuam super seruos tuos. *Resp.* Saluos fac eos Domine, ne confundantur, quoniam inuocauerunt te. Domine vide humilitatem meam & labo-

rem

rem meum. *Resp.* Et dimitte vniuersa delicta mea. Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua. *Resp.* Secundum multitudinem miserationum tuarum, respice in me. Ne memineris Domine iniquitatum nostrarum antiquarum. *Resp.* Cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster. *Resp* Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

ADesto Domine supplicationibus nostris, & me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ, constituisti huius operis ministrum: da fiduciam tui muneris exequendi, & ipse in nostro ministerio, quod tuæ pietatis est operare. Per.

Alia.

EXaudi Domine preces nostras, & confitentium tibi parce peccatis: vt quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuę miserationis absoluat. Per.

Alia.

PRæueniat hos famulos tuos quæsumus Domine tua misericordia: & omnes iniquitates eorum, celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia

Alia.

DEus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ, propitiare iniquitatibus noſtris, & omnibus animarum noſtrarum mederelanguoribus: vt miſerationum tuarũ remiſſione percepta, in tua ſemper benedictione lętemur. Per.

Alia.

DEus ſub cuius oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ paueſcunt, propitiare omnium gemitibus, & cunctorum medere vulneribus: vt ſicut nemo noſtrum eſt liber à culpa: ita nemo ſit alienus à venia. Per.

Alia.

PRæſta quæſumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum: vt eccleſiæ tuæ ſanctæ, à cuius integritate deuiarant peccando, admiſſorum conſequendo veniam, reddantur innoxij. Per.

Alia.

OMnipotens ſempiterne Deus, confitentibus tibi his famulis tuis, pro tua pietate peccata relaxa: vt non plus noceat eis conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per.

Alia.

OMnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgẽtiam in confeſſione ſceleris poſuiſti; ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis; vt quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſoluat. Per.

Alia.

Alia.

DOmine sancte Pater omnipotens æterne Deus, respice propitius super hos famulos tuos, qui ab infesta huius seculi tempestate demersi, flebili lamentatione suos accusant excessus: tu fletus & gemitus eorum pie suscipias, eosque de tenebris ad lumen reuoces, & medelam confitentibus, salutem pœnitentibus, & vulneratis auxilium sanitatis, indulgeas: ne vltra inimicus in eorum habeat animabus potestatem; eorumque confessionem libenter admittens; Ecclesiæ tuæ purificatos restitue, ac tuo altari representa: vt ad sacramentum reconciliationis admissi, vna nobiscum sancto nomini tuo gratias agere mereantur. Per.

Alia.

DEus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum, peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas, venia remissionis euacuas: maiestatem tuam supplices deprecamur, vt his famulis tuis, longo squallore pœnitentiæ maceratis, miserationis tuæ veniam largiri digneris: vt nuptiali veste recepta, ad regalem mensam vnde eiecti fuerant, mereantur introire. Per.

Alia.

MAiestatem tuã quæsumus Domine, sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui

non mortem peccatorum, ſed vitam ſemper inquiris: reſpice flentes famulos tuos, attende proſtratos: eorumque planctum in gaudium tua miſeratione conuerte: ſcinde delictorum ſaccum, & indue eos lætitiam ſalutarem: vt poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus tuis ſatientur, ingreſſique cubiculum regis, in ipſius aula, benedicant nomen gloriæ tuæ ſemper. Per.

Alia.

FAmulos tuos quæſumus Domine, ab ira tua confugientes, paterna pietate recipe: vt qui tuæ maieſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per.

Alia.

DEus qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſuas conſcientias, ab omni vinculo iniquitatis abſoluis: da indulgẽtiam reis, & medicinam tribue vulneratis, vt percepta remiſſione omnium peccatorum, in ſacramentis tuis ſincera deinceps deuotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per.

Alia.

DEus qui mundum in peccati fouea iacentem, miſericorditer erexiſti: Deus qui leproſos & aliis peccatis irretitos, ſacerdotum iudicio mundari præcepiſti: Deus qui per ma-

nus tuæ impoſitionem, animarum & corporum valetudines effugaſti, idemque opus diſcipulis tuis. eorumque ſucceſſoribus agere præcepiſti: exaudi preces noſtras, pro his famulis & famulabus tuis, morbo criminum hactenus tabeſcentibus, & manum pietatis tuæ, manui noſtræ ſuperpone: vt per manus noſtræ impoſitionem, te cooperante infundatur eis ſpiritus ſancti gratia; deſcendat ſuper eos cœleſtis benedictio; tribuatur eis peccatorum remiſſio, cunctorumque ſcelerum piacula relaxentur, & tuorum chariſmatum munera, affluentius conferantur. Per.

Alia.

DOmine ſancte Pater omnipotens, Rex regum, & Dominus dominantium: qui ſanctiſſima diſpoſitione, vnicum filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ſpiritus ſancti gratia cooperante in mundum miſiſti, quo genus humanum mortalibus vinculis adſtrictum, pia redimeret morte: ſupplico, quatenus orationem noſtram mundam ſuſcipias, tribulationem adimas, propitius flagella redimas, ac ſereniſſimo vultu, aurem tuæ pietatis & miſericordiæ accommodes, miniſteriumq; tantæ dignitatis, quod tractare indignus præſumo, ſanctificando ſanctifices; & quod te nũc opitulante verbis exequor, humilibus impleas effuſione ſancti ſpiritus. Tu enim Domine per filium tuum vnigenitum, ſanctis dilectiſque Apoſtolis, dona tribuens chariſmatum, dixiſti: Quæcunque ligaueritis in terra, & ſolueritis; in

cœlo ligata & soluta manebunt. Ergo magnæ pietatis pater, non meo tali addictus merito, sed potius tuo assecutus dono, præsumo his famulis, & famulabus tuis impertire, quod tuis fidelibus proprio concessisti ore. Respice igitur Domine & miserere, & da veniam confitentibus, parce supplicibus, & quoniam de misericordia benignitatis tuæ, non diffidunt, non secundum quod egerunt hactenus, verum iuxta paternitatis tuæ clementiam, amodo sentiant indulgentiam. Oro ergo hos supplex, cunctosque mihi commissos, muniri tua sancta protectione, quo tuo freti munimine, valeamus pariter inextinguibiles pœnas euadere. Per eundē Dominum.

Alia.

DEus humani generis benignissime conditor, & misericordissime reformator, qui in reconciliatione lapsorum, etiam me, qui misericordia tua primus indigeo, seruire effectibus gratiæ tuæ, per sacerdotale ministeriū voluisti: vt cessante merito supplicis, mirabilior fieret indulgentia remittentis: Deus qui iustitiæ leges, misericordiæ semper multiplicatione moderaris, dum delinquentibus pœnitentiam adhibes, dum etiam malis, prouidentiæ tuæ dona non subtrahis, & vindictam miserando suspendis: Deus qui hominem inuidia diaboli, ab æternitate abiectum, vnici filij tui sanguine redemisti: viuifica hos famulos tuos, quos tibi nullatenus mori desideras, & quos non dereliquisti denios, adsume correctos. Mo-

ueat pietatem tuam fletus iſte mœrorum : tu eorum medere vulneribus, tu benignam iacẽtibus manum porrige : ne Eccleſia tua aliqua ſui corporis portione priuata, temeretur: ne grex tuus, detrimentum ſuſtineat: ne de familię tuæ damno inimicus exultet: ne renatas lauacris ſalutaribus animas, mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo humiliamur, omnes tibi Domine ſupplices fundimus preces ; tibi fletum noſtri cordis offerimus ; tu parce confitentibus: vt in imminentes pœnas, futuriſque iudicij ſententiam, te miſerante non incidant: neſciãt quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis: & ab errorum via, ad iter iuſtitiæ iam reuerſi, nequaquam vltra nouis vulneribus ſaucientur Propitiare ergo Domine trementibus atque ſupplicibus, ſub ſententiæ tuæ exſpectatione, & ad humilitatem iacentium ſubleuandam, dexteram ſalutis extende, nobis quoque ſeruis tuis, quos Apoſtolicæ clauis, ſacerdotaliſque officij miniſtros, non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti : da fiduciam tanti muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ eſt poteſtatis operare. Agnoſce piiſſime Paſtor oues tuæ redemptionis: & conſtrictas vinculis peccatorum, Eccleſiæ tuæ precibus exoratus abſolue. Redeant ad vnitatem Eccleſiæ tuæ, & poſt illam diram inopis exſilij famem redeuntes, veſte ſplendida ornatæ, gaudeant ſe paterno receptas eſſe conuiuio: nihil de honore adoptionis, nihil de hæreditatis ſorte perdiderint : ſed integrum ſit eis atque perpetuum, & quod gratia tua

contulit ; & quòd misericordia reformauit. Per.

Absolutio pluralis.

DOminus Iesus Christus, qui dignatus est discipulis suis dicere: Quæcunque ligaueritis super terram, erunt & ligata in cęlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt & soluta in cęlo: de quorum numero quamuis indignum, & peccatorum vinculis astrictum, me esse sua dignatione voluit, ipse vos largifluo pietatis suæ dono, ac meæ simul paruitatis ministerio, absoluere dignetur ab omnibus fragilitatis vestræ excessibus; interius exteriusque humanitus contractis. Amen. Et sicut peccata totius mundi sua traditione atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare: ita quoque peccaminum vestrorum maculas, misericorditer non dedignetur emundare, eiusdem sancti sanguinis interuentione, qui fusus est in peccatorum remissionem Amen. Deuotionem quoque vestram, ita deinceps adiutorio gratiæ suæ non dedignetur corroborare: quatenus & in hoc sęculo subrepentium laqueos delictorum valeatis euadere; & in futuro vitam æternam, Christi sanguine comparatam, sine fine possidere. Amen. Adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui nos fecit cum non essemus; & redemit cum perditi essemus, ad laudem & gloriam sancti nominis sui, Per omnia secula sęculorum. Amen.

Item Ab.

Item Absolutio pluralis.

PRæsta quæsumus Domine his famulis tuis, secundum piissimam misericordiam tuam, iuxta libitum eorum, absolutionis peccaminũ suorum fructum: vt sint tibi dignum habitationis tuæ templum, & mereantur deinceps cum iustis atque sanctis, in conspectu tuo astantibus, absoluti manere ab omni criminum labe. Per Christum Dominum nostrum. Nos etiam secundum authoritatem nobis indignis à Deo commissam, absoluimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum, vt mereamini habere vitam æternam. Per eum qui viuit.

Absolutio singularis.

SIcut principali sententia constat, quia in multis offendimus omnes, vnde ingemiscimus: ita principali sententia consolamur: quia si confiteamur peccata nostra, fidelis & iustus est Christus, conditor & redemptor, ac saluator noster, quem habemus aduocatum iustum, apud Patrem, & est propitiatio pro peccatis nostris, & interpellat pro nobis fideliter confitentibus, & dimittit nobis peccata nostra, & emundat nos ab omni iniquitate. Quapropter frater noster confitenti tibi peccata tua, per Ecclesiasticæ authoritatis potestatem, quam Dominus noster Iesus tradidit discipulis suis, & Apostolis, dicens: Accipite spiritum sanctũ: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & per eosdem Apostolos suos, ipsorum successoribus, quorum vices, licet indigni, tenemus,

mus, & si non merito, tamen nomine atque officij susceptione, eandem potestatem donauit, & in se credenti fideliter dixit: fiat tibi secundum fidem tuam, gratia & potentia sua, virtute sancti spiritus, qui est remissio omniũ peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conseruet te in omni opere bono, & perducat te ad vitam æternam, & ad sanctorum consortium supernorum ciuium. Amen.

Absolutio singularis.

FRater. N. Dominus Iesus Christus, qui dixit discipulis suis quęcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cœlo, de quorum numero quamuis indignos nos esse voluit, ipse te absoluat per ministeriũ nostrum ab omnibus peccatis tuis, quæcũque cogitatione, locutione, atque operatione, negligenter egisti: & nexibus peccatorum absolutum, perducere dignetur ad regna cœlorum. Amen.

Absolutio singularis.

FRater. N. Absolutionem & remissionem peccatorum tuorum, per inuocationem sacrati nominis Dei, & per ministerium nostrum sulcipere merearis, hic & in æternum. Amen.

Hic adspergit eos aqua benedicta, & thurificat, & postea dicit: Exurge qui dormis, & exurge à mortuis & illuminabit te Christus.

Posthęc

Posthæc surgunt pœnitentes, & monentur ab Episcopo, vt quod pœnitendo diluerunt, iterando non reuocent. Atque hæc est forma, qua olim recipiebantur pœnitentes; quam ita recte huic diei assignatam dicunt nostri scriptores: & ea occasione putant hanc feriam conuenire diei quintæ creationis; qua Dominus ex vna & eadem materia aquæ, fecit reptilia, quæ viuerent in aquis, omne genus piscum, & volatile super terram, sub firmamento cœli, sicut etiam eodem die Iudas in perpetuum separatus est ab Apostolis, & immersus in profundum, habuit quoque ista reconciliatio pœnitentium peculiarem missam, quam paucis describit Alcuinus. Præterea in introductione pœnitentium in Ecclesiam, aperiebantur omnes eius ianuæ, & deponebant barbam, & comam cum sordidis vestibus.

De consecratione chrismatis.

HOdierno quoque die, inter Missarum solennia, consecratur ab Episcopis triplex oleum: Primo oleum infirmorum, quo vtimur in Sacramẽto extremæ vnctionis (Oleum infirmorum si recte intelligo ordinem, videtur fuisse duplex: vnum quod priuatorum necessitatibus seruiret, & a populo offerretur ad benedicendum: Alterum quod in sacrario erat præparatum a mansionario. ibi enim parabantur ampullæ tres, plenæ de oleo mundissimo: vna ad oleum pro infirmis: altera ad chrisma tertia vero ad Catechumenos vngendos.) Deinde chrisma, quod est oleum commixtum balsamo, quo p æcipue vtimur in sacramento confirmationis: & postremo

oleum catechumenorum, quo illi vnguntur & signantur ante Baptiſmum, & huius actionis ſolennitas videtur eſſe cauſa, cur Miſſa hodierna, in tanto luctu huius ſeptimanæ, ſit lata; & contra cæterorum dierum ordinem ſplendida & feſtiua. Amalarius, Durandus, Rupertus, cæteriq; nonnulli, multa hac de re religioſe & erudite tradiderunt, verum quia hæc actio non niſi Eccleſiis Cathedralibus occurrit, & tanta ſunt huius diei alia myſteria, nos hac in re breues ſumus futuri. Cauſa cur Epiſcopi hoc die ſolenniter procedant, ſacrificio corporis & ſanguinis Saluatoris ſeruiant Deo, pœnitentes recipiant, oleum iſto modo benedicant, chriſma conficiant, ea eſt: quod iſto die, Dominus primum fecit actum ſui noui ſacerdotij, ſecundum ordinem Melchiſedech, ſacerdotij noui teſtamenti: & quod huius ſui ſacerdotij ſucceſſores reliquit Apoſtolos, quibus mortuis ſucceſſerunt Epiſcopi: qui idcirco illud quod acceperunt a Chriſto & Apoſtolis, hoc iſto die quam vllo alio plenius faciunt. Præterea iſta eſt dies cui ſuccedit nox, qua percuſſit Dominus omnes domos Ægyptiorum non ſignatas ſanguine Agni. Recte igitur hodie præparatur iſta pinguedo benedictionis, qua ſignentur Chriſtiani, & præſertim chriſma, quo in frontibus accipiant ſignum victoriæ, crucem Domini: quia crux Chriſti, adhuc eſt ignominia, in reſurrectione Domini glorificatur Crux: & tunc Crux ſit gaudium; mors vita, ignominia ſit gloria: condemnatio poſtremo ſit triumphus, & idcirco non ſignantur chriſmate ante noctem reſurrectionis: ſic enim accurate religioſe & attente in officio eccleſiaſtico, omnia procurabant noſtri maiores: quæ nos negligentia cuncta confundimus. Illiniri vero poſtes ſanguine Agni, id deſertis verbis ſic explicat B. Auguſt.

tract.

tract. 55 in Ioan. Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cum sicut ouis ad immolandum ducitur Christus, cuius sanguine illitis postibus nostris, id est cuius signo Crucis signatis frontibus nostris, à perditione huius seculi tanquam à captiuitate, vel interemptione Ægyptia liberamur. *Oleum consecratur post illa verba Canonis: Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte: Per Christum Dominum nostrum. Tunc inquit ordo, offertur Pontifici oleum de ampullis, quas offerunt populi, ad vngendos tam infirmos, quam energumenos: & in vltimo antequam dicatur. Per quæ hæc omnia Domine semper bona creas, exorcizes, & benedicat illud, tam ipse, quam omnes Presbyteri qui adsunt: vt tantum possit a circumstãtibus audiri. Et quidem de isto oleo infirmorum, quin res ea sit Apostolici instituti, nemo negauerit.* Infirmatur (*inquit Iacobus*) quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & si in peccatis fuerit dimittentur ei *Apostolos quoque accepisse eam authoritatem & formam a Christo, est extra omnem controuersiam: sic enim de illis loquitur Marcus*; Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent, & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabantur. *Et hoc isto modo faciebant Apostoli, missi a Christo adhuc viuente; nondum acceptis illis donis spiritus sancti, quæ erant in signum, & erãt transitura. de illis enim non potuit Iacobus facere præceptum sicut non potuit imperari, vt Christiani loquerentur linguis, dæmonia eiicerent, miracula facerent. Chrisma vero & oleum Catechumenorum,* Cap. 6.

conſecrantur atte Agnus Dei, & quidem conſecratio chriſmatis hanc habet pulcherrimam orationem.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, Pater, omnipotens, æterne Deus, qui in principio inter cætera bonitatis tuæ munera, terram producere ligna fructifera iuſſiſti: inter quæ huius pinguiſſimi liquoris miniſtræ oleæ naſcerentur, quarum fructus ſacro chriſmati deſeruiret. Nam & Dauid prophetico ſpiritu gratiæ tuæ ſacramenta prænoſcens, vultus noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantauit: Et cum mundi crimina, diluuio quondam exinanirentur effuſo, ſimilitudinem futuri muneris, columba demonſtrans, per oliuæ ramum pacẽ terris redditam, nunciauit: Quod in nouiſſimis temporibus, manifeſtis eſt effectibus declaratum, cum baptiſmatis aquis, omnium criminum commiſſa delentibus, hęc olei vnctio, vultus noſtros iocundos efficit ac ſerenos. Inde etiam Moyſi famulo tuo mandatum dediſti, vt Aaron fratrem ſuum, prius aqua lotum, per infuſionem huius vnguenti cõſtitueret ſacerdotem. Acceſſit ad hoc amplior honor, cum filius tuus Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, lauari ſe à Ioanne vndis Iordanicis exegiſſet, vt ſpiritu ſancto in columbę ſimilitudine deſuper miſſo, vnigenitum tuum, in quo tibi optime complacuiſſet, teſtimonio ſubſequentis vocis oſtenderes: & hoc iliud eſſe manifeſtiſſimè comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis vngendum, Dauid Proph. ęcciniſſet. Te igitur deprecamur Domine ſancte,

cte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eundem Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, vt huius creaturæ pinguedinem sanctificare tua benedictione digneris, & sancti spiritus ei admiscere virtutem, cooperante potentia Christi tui, à cuius sancto nomine, chrisma nomen accepit, vnde vnxisti sacerdotes & Reges, Prophetas, & Martyres, vt spiritalis lauacri baptismo renouandis, creaturam chrismatis in sacramentum perfectæ salutis, vitæq; confirmes, vt sanctificatione vnctionis infusa, corruptione primæ natiuitatis absorpta, sanctum vniuscuiusque templum, acceptabilis vitæ innocens odore redolescat, vt secundum constitutionis tuæ sacramentum, regio & sacerdotali, propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur: vt sit his qui renati fuerint ex aqua, & Spiritu sancto, chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, & cœlestis gloriæ facias esse consortes. Per.

Pulchre quoque & ad Catholicos instruendos præclare. B. Augustinus ad illa verba Psal. 44. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lętitiæ præ consortibus tuis. Vnctus est inquit Deus à Deo, vnctum audis, Christum intellige: etenim Christus à Chrismate, hoc nomẽ quod appellatur Christus, vnctionis est: nec in aliquo alibi vngebantur Reges, & sacerdotes, nisi in illo regno, vbi Christus prophetabatur & vngebatur, & vnde venturum erat Christi nomẽ, nusquam est alibi omnino in nulla gente, in nullo regno: vnctus est ergo Deus à Deo, quo oleo nisi spiritali? oleum enim visibile in signo est,

est, oleum inuisibile in sacramento est, oleum spiritale intus est, oleum visibile exteriu est. *Et paulo post eodem sermone idem Augustin. dixit Iacob vnxisse lapidem:* In illo lapide (inquit) intellexit Christum, & ideo vnxit. *Et alia præterea nonnulla, quibus colligitur diuina & mystica ratio, cur in isto visibili regno Christi in terris, cur ibi vngantur illi, qui sunt gens sancta, regale sacerdotium, omnis populus Christianorum, cur sacerdotes, cur Episcopi, cur altaria, cur postremo Reges Christianorum, isto modo consecrare ecclesia consueuerit: Quæ Apostolica ratio ita maiorum nostrorum religioni fuit connata, vt qui abnegato Deo expresse se damonibus subiicerent, illi baptismati, & chrismati renunciasse crederentur. Vtimur itaque Chrismate in signum Christi, cum post baptismum, Presbyteri eo liniunt non frontem, sed verticem baptizati, cum ista Oratione: Deus Omnipotens, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te regeneranit ex aqua & spiritu sancto, quiq; tibi dedit remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat Chrismate salutis, in eodem Christo filio suo Domino nostro, in vitam æternam. Vtimur quoque Chrismate in Sacramento Confirmationis, & hoc magis principaliter quam in Baptismo, qui etiam sine Chrismate est perfectus; contra quam in confirmatione, vbi chrisma est materia illius sacramenti: quod enim in baptisma adhibetur chrisma, fit in similitudinem sacramenti Confirmationis, cum sola ibi aqua sit necessaria materia.* Sed dicet aliquis: Quid mihi prodest post baptismatis mysterium mysterium confirmationis: nam si post fontem, adiectione noui generis indigemus, quantum video non totum de fonte suscipimus: Non ita intelligẽdum est,

Rupertus hic.

nam

nam quid prodeſt, ſi quiſquam parentum magnam paruulo confert hæreditatem, niſi prouideat illi tutorem: paracletus quippe regeneratis in Chriſto, cuſtos & conſolator & tutor eſt, qui poſſent, ſuadente diabolo, ſicut paruuli facultatem, perdere baptiſmi vtilitatem, ſi hũc non haberent tutorem.

De vetere ordine totius iſtius ſanctæ diei.

NOſtris moribus ſub finem veſperæ, diei præcedentis, incipit officium huius diei, verum antiquis Eccleſiæ moribus, nocte ſurgunt ad vigilias, hora noctis octaua, id eſt noſtra computatione horæ ſecunda noctis: & tangitur Campanæ ſignum, ſicut alijs diebus, & poſt hæc non tangitur ad matutinũ, niſi in nocte ſancti Paſchæ, finitis vigilijs nocturnis & matutinis, id eſt laudibus: ſic enim olim diſtinguebantur nomina officij, vadunt per Oratoria, Pſalmos canendo cum Antiph. ſine Gloria. Mediãte autem hora prima, Epiſcopus celebrat concilium, ſecundum Canonum inſtituta. Hora tertia, id eſt noſtris moribus hora nona, ſonatur ſignum, vt omnes veniant in Eccleſiam, tunc reconciliantur pœnitentes. Deinde fit miſſa, & conſecratur chriſma, poſt miſſam veſperæ. Cum autem ſchola primam Antiphonam dicit: Calicem ſalutaris accipiam, ſtatim duo Acolythi parati cum nigris Caſulis, incipiant exſpoliare altaria, vſque dum finitur veſpera, poſtea tollantur, a veſpera autem huius diei, nuda ſunt altaria, vſque in mane ſabbathi. Expletis omnibus, vel ante, vel poſt cibum proceditur, cum omni alacritate ad locum, vbi mandatum eſt perficiendum.

Atque

Atque hic est ordo totius istius diei, qua in re dicendum est, vnum verbum de nudatione altarium, quæ duas habet rationes: vnam naturalem, alteram mysticam: nec eam longe petitam: Naturalem, propter munditiam naturalem, quam hoc die lauando parietes, seu pauimenta Ecclesiæ, & altaria, futuræ solennitati Paschali præparamus, mystica consistit in altarium significatione, quæ vniuersa Ecclesia sic semper accepit: idcirco semper vnxit, vt per ea intelligeretur Christus, quæ nostra altaria, præfigurata sunt in illo lapide, cui indormierat Iacob, & viderat scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ: quem lapidem tulit Iacob, & fundens desuper oleum, erexit in titulum; in statuam, & vocauit eum domum Dei, & ad illum lapidem, votum vouit Deo; votum plenissimum. erit mihi (inquit) Dominus in Deum, hoc est toto corpore & tota anima supremo cultu seruiam tibi; decimas quoque offeram tibi, id est omnibus exterioribus facultatibus meis seruiam tibi. Nos itaque præfiguratum istum lapidem in vnctione Iacob, illum qui sæpe seipsum vocauit lapidem angularem, lapidem offensionis, istum & nos significamus lapidibus, quos inungimus, & in alterum erigimus, sub quo ponimus Martyres, super quo benedicimus & ponimus, & ex quo sumimus pignus vitæ nostræ, Christum Dominum, qua de re sic ad hunc diē Rupertus: significat autem altare Christum, quia sic illud in templo, quomodo Christus toti corpori Ecclesiæ dignitate & honore præeminet. Quod si & authoritas desideratur, occurrit illa Domini, dicentis per Moysen: Altare de terra facietis mihi,

quod

quod Beatus Gregorius ſic exponit: Altare de terra facere, eſt in incarnatione mediatoris ſperare. Tunc quippe a Deo noſtrum munus accipitur, quando in hoc altari noſtra humilitas, id eſt ſuper Dominicæ incarnationis fidem poſuerit, quidquid operatur. In altari ergo de terra, oblatum munus Dominicæ incarnationis fide ſolidamus. Cum itaque nuaum altare conſpicimus, dignum illud memoria quod magnifice Propheta flebiliterq; deplorat, noſtris intimis perſonare auribus, noſtris interius præſentialiter debet apparere conſpectibus Ecce vidimus eum & non eſt ſpecies ei neque decor: & nos conſideravimus eum aſpectum & nouiſſimum virorum; virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: vere languores noſtros ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe portauit. Hæc de paſſione eius dicta eſſe, perſpicuum eſt. Ille enim ſpecioſus præ filiis hominum, qui ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens; maxime in paſſione ſua viſus eſt, non habens ſpeciem, neque decorem, & quaſi abſconditus vultus eius: Nam antea decorus incedebat, & magnificabatur ab omnibus quia ſicut laudatur in Canticis: venter eius eburneus diſtinctus erat Saphiris, id eſt naturæ infirmitas interdum cœleſtibus in illo reſplendebat miraculis at nunc quia Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrum, aſcendit ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Illa facies eius & oculi, ex quibus (vt ait Hieronymus) ignium quiddam & ſidereum radiabat, verbi gratia, quando vendentes & ementes eiecit de templo, quod infinitus facere non poſſit exercitus; illa inquam facies nunc deſpiciebatur, alapis cædebatur, velabatur, conſpuebatur, vellebantur gena eius, quæ ſicut arcola aromatum

gratum prope accedentibus ſpirant odorem, ita conuentibus benignitatem eius exprimebant, & manſuetudinem: manus eius, quæ ita faciles erant ad operanda miracula diuini beneficij, vt merito dicta fuerint tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, vinculis adſtrictæ ſunt, clauis confixæ ſunt. Propter talia dictum eſt: & aſpectus in eo non eſt, & non eſt ei ſpecies neque decor. Inſuper hoc ad denudati altaris cauſam pertinet, quod idem Dominus veſtimentis ſuis ſpoliatus eſt, milites namq; cum crucifixiſſent eum, diuiſerunt ſibi veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes; vnicuique militi partem: & de tunica dixerunt: non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de illa, cuius ſit. Tale vinum bibit noſter Noë, quod interpretatur requies, ſcilicet Dominus Ieſus, in quo requiem inuenimus animabus noſtris, tale inquam vinum bibit, ex vinea ſua, quam plantauit, ſcilicet ex gente Iudaica, quam de Ægypto tranſtulit, quia cunctis amaritudinibus inebriatus ſoporatus eſt ſomno mortis, & in cunctis, a diuinitatis ſuæ gloria nudatus, ad tempus apparuit. Cum ergo altare Chriſtum ſignificet, recte ob commemorationē horum, veſtitu & ornatu ſuo ſpoliatum eſt, de ablutione altarium, quæ fit aqua & vino, tractat idem Rupertus cap. 31. eiuſdem libri: quo loci indicat ea re notari aquam, & ſanguinem, quæ fluxerunt de latere Domini, atque ea ratione putat, rectius fieri iſtam ablutionem in Paraſceue.

DE

DE EXPLICATIONE HODIERNÆ MISSÆ.

INTROITUS huius officii idem est, qui feria tertia præcedente de gloriatione nostra in Cruce Domini: istius enim diei officium, varie simul tradit læta & tristia; Crucem & gloriam; pœnitentes & impœnitentes, bene & male communicantes corpori Domini mundos & non omnes mundos. Lotos & mundos sed non totos mundos, & ista Antithesis continua est toto isto officio. In introitu igitur gloriamur in cruce quia in Christo sic crucifixo, est salus vita & resurrectio nostra. Audis Crucem id est, interitum, mortem & abominationem: & e contrario subinfertur salus vita & resurrectio, si gloriamur in Cruce ergo debemus esse crucifixi, considera ergo conditiones Crucis, sub cuius te deinceps sacramento oportet in hac luce versari. quia iam in non vivis, sed ille vivit in te, qui est crucifixus pro te, eo ergo habitu & figura, qua in patibulo pro nobis fuit ille suspensus, nos quoque necesse est, in hac vita degere: vt scilicet secundum Dauid affigentes de timore Domini carnes nostras, vniuersas voluntates ac desideria, non nostræ concupiscentiæ seruientia, sed mortificationi eius habeamus affixa. Sic enim Domini præceptum implebimus dicentis: Qui non accipit crucem suam & sequitur me non est me dignus. Sed forte dicas, quomodo potest homo crucem suam iugiter portare, vel quemadmodum quis viuens possit esse crucifixus? Audi rationem breuiter: Crux nostra timor Domini est: sicut ergo Crucifixus quis, iam non pro animi sui motu, membra sua quoquam

Cassianus l. 4. instit. c. 34. 35.

mouendi vel conuertendi habet potestatem : ita & nos voluntates nostras ac desideria , non secundum id quod pro nobis suaue est , ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus: & sicut is, qui patibula crucis affigitur , non iam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino sollicitudine curaq; distenditur, nulla possidendi cupiscentia permouetur, nulla superbia, nulla contentione , nulla æmulatione succenditur non de pœnitentibus dolet iniuriis , non præteritarum iam recordatur, seq; cum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum: illuc præmittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum: ita nos quoque timore Domini crucifixos, oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus, momẽtis singulis migraturos. Hoc enim modo mortificatas poterimus vniuersas concupiscentias nostras & affectus habere carnales. Sequitur in officio gloria in excelsis Deo, qui hymnus videtur ex sententia veterum interpretum, non fuisse olim hoc die frequentatus , nisi ab Episcopis celebrantibus. Collecta proponit nobis Iudam Apostolum, sumentem ex passione Domini pœnam sui reatus, & latronem præmium suæ confessionis , & idcirco petit Ecclesia, vt Domini propitiatio, fiat nobis in effectum propitiationis: vt ablato vetustatis errore , gratiam suæ resurrectionis largiatur . Passio enim Domini est sicut authoritas boni & legitimi Principis, in qua bonus inuenit tutelam contra iniurias , & laudem boni operis: contra malus, pœnam sui reatus. Epistola continet historiam noui sacerdotii, & sacramenti

in pane & vino, corpore & ſanguine redemptoris, quæ res eſt cauſa, cur hodierna miſſa ſolennister iſto modo celebretur. Et quia hoc ſacrificium ſit in commemorationem mortis Chriſti, ideo epiſtolæ ſubiungitur: Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem; mortem autem Crucis. Euangelium cõtinet hiſtoriam ablutionis pedum quæ explicatur in mandato, dicitur Credo: hoc enim flagitat & diei ſolennitas, & myſteriorum huius diei altitudo. Offertorium etiam coniungit vtrumque, mortem & gloriam, dextera Domini fecit virtutem, quam virtutem, dextera inquit Domini, exaltauit me. Magna virtus, exaltare humilem, deificare mortalem, præbere de infirmitate perfectionem, de ſubiectione gloriam, de paſſione victoriam, dare auxilium de tribulatione, vt afflictis vera ſalus Dei pateſceret, affligentibus autem vana ſalus hominis remaneret. Magna hæc, ſed quid miraris, audi quid repetat: non homo ſe exaltauit, non homo ſe perfecit, non ſibi homino gloriam dedit, non homo vicit, non homo ſibi ſaluti fuit: dextera Domini fecit virtutem, non moriar ſed viuam, & enarrabo opera Domini, hæc Dominus & in ſe, & in ſuis fecit, vbique Chriſtus beatorum Martyrum gloria eſt, vicit vapulando ferientes, patiendo impatientes, diligendo ſæuientes. Secreta & Canon quia hodierno die myſteriorum ſuorum habent originem, idcirco peculiariter etiam eius rei meminerunt. Secreta petit ab eo reddi acceptum noſtrum ſacrificium, qui illud diſcipulis ſuis, in ſui commemoratione fieri, hodierna traditione monſtrauit. Canon ad communicantes, recordatur traditionis Domini: & hoc præclare: nox enim qua Dominus fecit cœnam, præcipue fuit inſignis traditione: ſicut dies ſequens crucifixione, qua ratione le-

gimus in epiſtola huius diei: quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur: quæ verba Pauli duo indicant; & noctem fuiſſe, non etiam veſperas, cùm Dominus cœnauit; & illam noctem traditione præcipue inſignuri, notauit idem Tolet. in Ioannem, qui tradit immolari Agnum Paſchalem de luce; comedi vero non niſi nocte ſolere. Ad hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, hunc profitetur eſſe diem, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus, tradidit diſcipulis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda. Deinde ante ipſa verba conſecrationis, veterem & ordinariam formulam ſic immutat Eccleſia: qui pridie quam pro noſtra omniũq; ſalute moreretur, hoc eſt hodie, accepit panem &c. Quin multo etiam pluribus & clarioribus verbis, res iſtæ commemorãtur hodie in Canone Ambroſiano, in quo ad cõmunicantes ſic legimus.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, tu nos Domine participes filij tui, tu conſortes regni tui, tu incolas paradiſi, tu Angelorum comites eſſe voluſti, ſi tamen illæſa & intemerata fide, cœleſtis militiæ ſacramenta ſeruemus. At quid de tua miſericordia deſperare poſſumus? qui tantum munus accepimus, vt talem tibi hoſtiam offerre mereremur; Corpus ſcilicet & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſe pro mundi redemptione, piæ illi ac venerandæ tradidit Paſſioni: qui formam ſacrificij ſaluris perennis inſtituens, hoſtiam ſe primus obtulit, & primus docuit offerri. Deinde poſt illam orationem: Nobis quoque peccatoribus, quæ in officio Ambroſ. dicitur, Oratio ſacerdotis pro ſeipſo,

ſic legitur in illo officio: hæc facimus, hæc celebramus, tua Domine præcepta ſeruantes, & ad communionē inuiolabilem hoc ipſo quod corpus Domini ſumimus mortem Dominicā annunciamus. Tuum vero eſt omnipotens Pater ; mittere nunc nobis vnigenitum filium tuum, quem non quærentibus ſponte miſiſti, qui cum ſis ipſe immenſus & inæſtimabilis, Deum quoque ex te immenſum & inæſtimabilem genuiſti: vt cuius redemptionem humano generi tribuiſti, eius nunc corpus tribuas ad ſalutem.

In ſumptione quoque corporis Domini, iſto die ſunt nonnulla peculiaria: in noſtro equidem officio, quo nunc vtimur hoc ſolum eſt, quod ex hoſtiis cōſecratis, vna reſeruetur ad communionem diei ſequentis; quo nulla fit conſecratio, ſed vtimur ſolummodo præſanctificatis: quod faciunt Græci per totam quadrageſimam: & hanc hoſtiam honorifice deferimus & collocamus loco decenti, verum vetus ordo habet aliquid amplius. Poſt orationem Dominica & quod ſequitur libera nos quæſumus Domine; Epiſcopus dat benedictionem illam, quam nos poſuimus ad finem Miſſæ: & Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Tunc inquit Ordo communicet ſolus Pontifex ante altare, & Diaconus offerat ei Calicem, & non frangat oblatas, niſi eam ſolam vnde ille communicat. Illo tantummodo die poſtquam communicauerit Epiſcopus, ponat Diaconus calicem ſuper altare: deinde acceptam à Subdiacono patinam, ponat iuxta calicem delatere ſiniſtro & ſtatim à duobus Diaconis vtrumque cooperiatur de ſindone munda. Deinde vadit Epiſcopus ad ſedem ſuam cum duobus Diaconis, & poſtea fit conſecratio Chriſmatis, &

olei Catechumenorum: qua re perfecta, Pontifex lauet manus, & Diaconi vadant ad altare, & discoperiant sancta, & Pontifex veniens ad altare, diuidat oblatas ad frangendum, & communicet omnis populus ordine suo; & sumat de ipsis oblatis, integras ad seruandum vsque mane diei Paraſceues; de quibus communicet absque sanguine Domini: sanguis vero eadem die penitus cõsumatur: & schola dicat: Agnus Dei absque osculo, & communionẽ Dominus Iesus cum Psal. & gloria. Fractis autem oblatis communicent Presbyteri primo, postea Diaconi & cateri omnes, & ita perficiatur Missa pleniter ordine suo. Ambrosiani post confractionem habent ista: Ipsius preceptum est Domine quod agimus, in cuius nunc te presentia postulamus. Da sacrificio authorem suum, vt impleatur fides rei in sublimitate mysterij, vt sicut veritatem cœlestis sacrificij exequimur, sic veritatem Dominici corporis & sanguinis hauriamus. Communio in nostro Missali èst de lotione pedum, qua etiam pertinet ad mysterium communionis, quæ requirit munditiam, humilitatem, & dilectionem, qua omnia nobis commendantur in ablutione pedum, Post-comm. petit effectum communionis nempe immortalitate. Officium Ambrosianum habet aliam pulchram orationem post Communionem: Domine Deus noster, concede propitius, vt qui vnigeniti tui sumpsimus corpus & sanguinem, ab infidelis discipuli reddamur cecitate diuisi; qui Christum Dominum nostrum, verum Deum, hominemq; fatemur & colimus Qui tecum viuit. B. Augustinus epistola ad Ianuar. tractat nonnulla de obseruationibus huius feria quinta, qua illo tempore varie obseruabantur

Epist. 118 in Ecclesijs, notat quoque B. Augustinus, hoc die se-

lere

lere pœne omnes homines lauari atque ea ratione fieri, vt non ieiunent, sunt enim contraria, & quæ vetere more Ecclesiæ simul fieri non poterant; Balnea & ieiunium, causam vero huius moris sic explicat, B. Augustinus. Si autem quæris, cur etiam lauandi mos ortus sit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit: nisi quia baptizãdorum corpora, per obseruationem quadrageſimæ ſordidata, cum offenſione ſenſus ad fontem tractarentur, niſi aliqua die lauarentur. Iſtum autem diem potius ad hoc electum, quo cæna Dominica anniuerſarie celebratur, & quia conceſſum eſt hoc baptiſmum accepturis, multi cum his lauare voluerunt ieiuniumque relaxare. *Hæc Auguſtin. quibus præterea diſcimus baptizandorum corpora fuiſſe nudata & poſterioribus temporibus firmatum eſt illius diei ieiunium.*

MISSA FERIÆ V. IN COENA DOMINI.

INTROITVS.

NOs autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo eſt ſalus vita & reſurrectio noſtra; per quem ſaluati & liberati ſumus. *Gal. 6.*

Pſal. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Nos autem; dicitur Gloria in excelſis. *Pſal. 66.*

ORATIO.

DEus à quo Iudas reatus ſui pœnam, & cõfeſſionis ſuæ, latro præmium ſumpſit: cõcede nobis tuæ propitiationis effectum: vt ſicut in Paſſione ſua Ieſus Chriſtus, Dominus noſter, diuerſa vtriſque intulit ſtipendia meritorum: ita nobis ablato veteſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Qui tecum.

Lectio epiſtolæ Beati Pauli Apoſtoli, ad Corinthios.

4. Cor. 11 FRatres conuenientibus vobis in vnum, iam non eſt Dominicam cœnam manducare, vnuſquiſque enim cœnam ſuam præſumit ad manducandum, & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? aut Eccleſiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos in hoc? non laudo. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem ſimiliter & calicem, poſtquam cœnauit dicens: Hic calix nouum teſtamentum eſt, in meo ſanguine: hoc facite quotieſcunque bibitis, in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc & calicem

licem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit: non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur: vt non cum hoc mundo damnemur.

Graduale. Christus factus est pro nobis obediens v que ad mortem, mortem autem Crucis *Vers.* Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. *Philip. 2.*

Sequentia sancti Euangelij secundum Ioannem.

ANte diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo, ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, & cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciēs quia omnia dedit ei Pater in manus; & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Si- *Cap. 13.*

monem Petrum,& dicit ei Petrus:Domine tu mihi lauas pedes? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.Dicit ei Petrus:Non lauabis mihi pedes in æternum.Reſpondit ei Ieſus: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus:Domine non tantum pedes meos, ſed & manus,& caput.Dicit ei Ieſus,Qui lotus eſt,non indiget,niſi vt pedes lauet, ſed eſt mũdus totus:& vos mundi eſtis, ſed non omnes: ſciebat enim quiſnam eſſet, qui traderet eum, propterea dixit non eſtis mundi omnes. Poſtquam ergo lauit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua,& cum recubuiſſet,iterum dicit eis: ſcitis quid fecerim vobis, vos vocatis me magiſter & Domine,& bene dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros,Dominus & magiſter, & vos debitis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

Et dicitur Credo.

Pſal. 117 *Offertorium.* Dextera Domini fecit virtutẽ, dextera Domini exaltauit me; dextera Domini fecit virtutem non moriar, ſed viuam: & narrabo opera Domini.

Secreta.

IPſe tibi quæſumus Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, ſacrificium noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in ſui commemoratione hoc fieri hodierna traditione monſtrauit, Ieſus

ſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter. Qui.

Præfatio.

PEr Chriſtum Dominum noſtrum. Quem in hac nocte inter ſacras epulas increpantem, mens ſibi conſcia traditoris ferre non potuit: ſed Apoſtolorum relicto conſortio, ſanguinis precium à Iudæis accepit: vt vitã perderet quã diſtraxit. Cœnauit igitur hodie proditor mortẽ ſuã, & cruentis manibus, panem de manu Saluatoris exiturus accepit, vt ſaginatum cibo, maior pœna conſtringeret, quem nec ſacrati cibi collatio, ab ſcelere reuocaret. Patitur itaque Dominus noſter Ieſus Chriſtus, filius tuus, cum hoſte nouiſſimum participare cõuiuium: à quo ſe nouerat continuo eſſe tradendum; vt exemplum innocentiæ mundo relinqueret, & paſſionẽ ſuam pro ſeculi redemptione ſuppleret. Paſcit igitur mitis Deus immitem Iudã, & ſuſtinet pius, crudelem cõuiuam. Qui merito laqueo ſuo perituus erat, quod de magiſtri ſanguine cogitarat, ô Dominum per omnia patientem, ô Agnum inter ſuas epulas mitem, cibum eius Iudas in ore ferebat, & quibus eũ traderet perſecutores aduocabat: ſed filius tuus Dominus noſter, tanquã pia hoſtia, & immolari ſe tibi, pro nobis patienter permiſit; & peccatum quod mundus cõmiſerat, relaxauit. Qui cũ Deus eſſet in cęlis, ad delenda hominũ peccata deſcẽdit in terras: & qui humanum genus venerat liberare, tanquã obnoxius debitor, illicito pretio, Dominus à ſeruo diſtrahitur: & qui Angelos iudicat, in hominis iudicio eſt conſtitutus: vt hominem quem ipſe fecerat, de morte liberaret.

Com-

Communio. Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, lauit pedes eorum, & ait illis: Scitis quid fecerim vobis, ego Dominus & Magister; Exemplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis.

Post-Communia.

REfecti vitalibus alimentis, quæsumus Domine Deus noster, vt quod tempore nostræ mortalitatis cultu exequimur, tuæ immortalitatis munere consequamur. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Ad Benedictionem.

BEnedicat nobis omnipotens Deus, qui per vnigeniti sui passionem, vetus Pascha in nouum voluit conuerti; concedatque nobis, vt expurgato veteris fermenti contagio, noua in nobis perseueret conspersio *Amen.*

Et qui ad celebrandam Redemptoris nostri cœnam, mente deuota conuenimus, æternarum dapium epulas reportemus. *Amen.*

Ipsiusque opitulante clementia, mundemur à sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum, pedes voluit lauare discipulorum. *Amen.*

Quod ipse &c.

Finita Missa, defertur sacramentum in locum ad id destinatum, & procedendo cantatur hymnus.

PAnge lingua glorioſi,
Corporis myſterium

Sanguiniſque pretioſi:
Quem in mundi pretium,
Fructus ventris generoſi,
Rex effudit Gentium.
Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta virgine;
Et in mundo conuerſatus,
Sparſo verbi ſemine:
Sui moras incolatus,
Miro clauſit ordine.
In ſupremæ nocte cenæ,
Recumbens cum fratribus,
Obſeruatâ lege plenè,
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ,
Se dat ſuis manibus.
Verbum caro panem verum,
Verbo carnem efficit,
Fitque ſanguis Chriſti merum,
Et ſi ſenſus deficit,
Ad firmandum cor ſyncerum,
Sola fides ſufficit.
Tantum ergo ſacramentum,
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum,
Nouo cedat ritui:
Præſtet fides ſupplementum,
Senſuum defectui.
Genitori genitoque,
Laus & Iubilatio;
Salus honor virtus quoque,
Sit & benedictio:
Procedenti ab vtroque,
Compar ſit laudatio. Amen.

DE MANDATO.

MOnuimus ſupra, circa veſperam fieri mandatum, & ad commendationem huius ritus, citaueramus Alcuinum, Amalarium, Durandum, cateroſq; eius generis præclaros ſcriptores: & alterum quem nemo recuſauerit, Beatum Auguſtinum; qui ſua ætate, narrat eum morem fuiſſe in Eccleſia frequentatum. De lauandis inquit pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendauerit ſicut ipſe conſequenter expoſuit: queſitum eſt quonam tempore potiſſimum res tanta etiam facto doceretur. Erat igitur quæſtio Januarij non illa an hoc facto ſit docendum ſed quo tempore facto ſit docendum: & quando illud factum Eccleſiaſticum debeat fieri, tempore quo ipſa commendatio religioſius inhæreat reſpondet Auguſt. Hanc conſuetudinem eſſe vtilem, & vnam in huiuſmodi ſaluberrimam regulam eſſe tenendam: vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudãdo, & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum ſit. *Et hoc quod dixerat amplius detrimentum, ſic explicat:* Si enim (inquit) eo modo impediat, *(nempe euiſmodi conſuetudo)* vt maiora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, quam calumniatorum detrimẽta metuenda, ſine dubitatione faciendũ eſt; maxime illud quod etiã

de ſcripturis defendi poteſt. *Atque hæc Auguſt. Cuius facto docemur de iſta ablutione pedum, qua ratione videtur hoc poſſe affirmari, ſi oriretur in Eccleſia & latius proreperet is error qui diceret, hanc ablutionem pedũ eſſe neceſſariam partem Baptiſmi: authoritate publica videtur tolli debere ea cõſuetudo. Verum ſi ſolummodo metuantur calumniatores, quales ſunt noſtri hæretici, qui nos rident & calumniantur, de hiſtrionica Chriſti imitatione, ob illos certe omitti iſta cõſuetudo nõ debet. Et hoc eſt quod dicit Auguſt.* Ne (*inquit*) ad ipſum ſacramentum Baptiſmi videretur pertinere, multi hoc in cõſuetudinem recipere noluerunt, nonnulli etiã de conſuetudine auferre nõ dubitarunt. Aliqui autẽ vt hoc ſacratiore tempore cõmendarent, & à Baptiſmi ſacramento diſtinguerent vel diẽ tertium Octauarũ quia ternarius numerus in multis ſacramentis maxime excellit, vel etiam ipſum octauum vt hoc facerent, elegerunt. *Et quidem ſic ille de tota iſta quæſtione. Eccleſia vero Romana hanc feriam quintam putauit eſſe illud tẽpus, quo ipſa Domini commendatio religioſius inhæreret: Illam quoque nonnullorũ ſententiã de Baptiſmo, & doctrina, & hoc ipſo facto palam ſemper damnauit: paucis enim lauat pedes, vt ipſa paucitate oſtẽderet, exemplum humilitatis ſe commendare, non etiã ſacramentum ſe tradere recte enim hoc eode loco & forſan propter B Ambroſiũ dixit Auguſtinus.* Quod autem inſtituitur prẽter conſuetudinẽ, vt quaſi obſeruatio ſacramẽti ſit, approbare nõ poſsũ, etiã ſi multa huiuſmodi propter nõnullarũ vel ſanctarum, vel turbulentarũ perſonarũ ſcãdala deuitãda, liberius improbare nõ audeo. *Denim Ambroſium, libro de myſteriis, & rurſum libro 3. de*

Sacra-

Sacramentis, putat neceſſariam eſſe baptizatis pedum ablutionem, velut alterum ſacramentum, quod percipere debeant, priuſquam ad altare Domini admitti debeant: vnde ipſe ſemper illum morem ſeruauit, vt baptizatorum pedes ablueret: quam ablutione putat valere, ad originalis peccati purgationē, hoc eſt ad fomitis repreſſionem: nam alioqui reatus etiam illius peccati in Baptiſmo remittitur: ſic enim ſcribit lib 3. de ſacramentis, explicans myſteria ſacramentorum: Aſcendiſti de fonte, quid ſecutum eſt? audiſti lectionem, ſuccinctus eſt ſacerdos, licet enim & presbyteri fecerint, tamē exordium miniſterij à ſummo eſt ſacerdote: ſuccinctus inquam ſacerdos ſummus, pedes tibi lauit. *Et poſt pauca:* Non ignoramus, quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem nō habet, cuius typum & formam in omnibus ſequimur: hanc tamen conſuetudinem non habet vt pedes lauet, vide ergo ne propter multitudinem declinauit, ſunt tamen qui dicant & excuſare conentur, quia hoc in miniſterio, faciendum eſt, non in baptiſmate, non in regeneratione; ſed quaſi hoſpiti pedes lauandi ſunt, aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. Denique audi, quia myſterium eſt & ſanctificatio: Niſi lauero tibi pedes, non habebis partem mecum: Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, ſed tamen & nos homines, ſenſum habemus. *Et poſt quadam:* Qui lauit, non neceſſe habet iterum lauare, niſi vt ſolos pedes lauet: quare hoc? quia in baptiſmate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa: ſed quia Adam ſupplanta-

tus

tus à diabolo eſt, & venenum ei effuſum eſt ſupra pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, maius ſubſidium ſanctificationis accedat; quo poſtea te ſupplãtare non poſſit: lauas ergo pedes, vt laues venena ſerpentis. *Atque hæc ſic Ambroſius, imitator Petri: Qui cum audiſſet a Domino:* Niſi lauero te non habebis partem mecum, *Amore Domini & metu ſeparationis a Domino.* Domine *inquit* non tantum pedes meos, ſed & manus & caput: *Ob iſtam enim Domini eandem ſententiam:* Non habebis partem mecum, *plus tribuit Ambroſius huic lotioni, quam illi reuera erat tribuendum nec ſane vir ſanctus ambulans in terra, ſemper contingens terram, non potuit non etiam aliquo modo maculare pedes, vt officia ipſe ſua, & laudaret & commendaret: quo vitio pauci caremus, vt non etiam amemus & laudemus noſtra. Verum iſta particularis B. Ambroſij opinio, ceſſit vniuerſitati Eccleſiæ Romanæ: quæ in hoc facto Domini, intelligit myſterium eo modo; quo in omnibus Domini factis eſt aliquod myſterium: nempe vt præter viſibilem operationem ſpirituale quiddam, quod non videretur colligi inde oporteret. Verum vt tale myſterium in hac lotione intelligeretur, cuius operatio circa homines, vel eſſet abſolute neceſſaria, vt Baptiſmus & pœnitentia: vel vtilis, & eatenus neceſſaria ad ſanctificationem & gratiam, vt ſunt cætera ſacramenta: & ad quod genus retulit Ambroſ. hanc ablutionem pedum, id Eccleſia nunquam probauit: quæ hæc verba Domini,* (Niſi lauero te non habebis partem mecum) *ſic intelligit: Niſi obedieris mihi, hoc facere volenti, non habebis partem mecũ: perinde ac ſi alia occaſione recuſanti ſecũ proficiſci,*

eadem

eadem voce esset comminatus quod si Dominus fe-cisset, nemo diceret illam profectionem esse sacrame-tum, praterea eo etiam modo hac verba a Catholi-cis explicantur, vt dicatur Dominus facta Anago-ge ab externa ablutione, transtulisse sermonem ad ablutionem interiorem, perinde ac si diceret: Petre tu nunc recusas lotionem pedum tuorum, scito neces-sarium esse tibi, vt laueris; & si ego hoc tibi non fe-cero, non habebis partem mecum: Non dicit Domi-nus si non lauero tibi pedes, sed, si non lauero te, si non condonauero tibi peccatum abiurationis & periurij tui, si non lauero te spiritu sancto, sanguine martyrij tui, non habebis partem mecum. Non caret igitur ratione, quod nostris moribus neque perfectissime ad imitationem facti Christi, & vt loquitur Iansenius satis frigide huic mandato incumbimus. Hoc solum spectantes, vt hoc nostro facto, in memoriam reduca-mus nobis, illud factum Christi, quo nobis signifi-cantur ista quæ occurrunt in hodierno Euangelio. Initio, causa huius Dominici facti, recensentur duæ: nempe tempus & occasio: Tempus sciens, quia venit hora eius, vt transiret ex hoc mundo ad patrem. Omnes hinc transimus, alij cum mundo, ad illum vocatum Principem mundi huius; cui seruierunt in hoc mundo, alij transeunt ex hoc mundo ad Patrem: Istis igitur sic transeuntibus dedit Dominus com-meatum in simplicitate & humilitate specierum panis & vini: & vt illo bene vterentur, hoc facto ab-lutionis pedum, docere nos voluit bonus Dominus. Altera causa fuit Domini dilectio, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos, in fi-nem, vsque ad mortem suam, & illorum vitam æ-ternam. Forma quoque ponitur in Euangelio, qua Dominus vsus est in lauãdo, qua de re sic B. Augst.

Quid

Quid autem mirum si surrexit a cœna, & posuit vestimenta sua qui cum in forma Dei esset semetipsum exinaniuit: & quid mirum? præcinxit se linteo, qui formam serui accipiens habitu inuentus est vt homo. Quid mirum? si misit aquam in peluim, vnde lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum Quid mirum? si linteo quo erat præcinctus, pedes quos lauerat, tersit: qui carne qua erat indutus, Euangelistarum vestigia confirmauit: & linteo quidem vt se præcingeret, posuit vestimenta, quæ habebat: vt autem formam serui acciperet, quando semetipsum exinaniuit, non, quod habebat, deposuit, sed quod non habebat accepit. Crucifigendus sane suis expoliatus est vestimentis: & moriturus inuolutus est linteis: & tota illius Passio nostra purgatio est. Passurus ergo exitia præmisit obsequia, non solum eis pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi qui eum fuerat traditurus ad mortem. Causæ vero finales istius factæ Dominici, tres commemorantur in Euangelio: Dilectio Dei, & Proximi, humilitas, & mysterium. Dilectio Dei in illis verbis: Cum dilexisset suos, *nam si naturali & necessaria ratione, nihil tam est causa amoris atque amor; certe ista nimia & profusio amoris Dei, necessario requirit redamationem: dilectio proximi in illis verbis:* Vos debetis alter alterius lauare pedes. *Quæ verba sic semper sunt intellecta vt iis non solum intelligeretur humilitas istius ministerii; sed etiam charitas erga eum cui hoc præstatur, orando pro inuicem, condonando iniurias: quid enim videtur in hac altitudine sacramenti Dominus significare, cum dicit:* Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis: *Nisi quod apertissime*

tissime dicit Apostolus: Donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Dominus donauit nobis ita & vos. *Inuicem itaque nobis delicta donemus, & pro nostris delictis inuicem oremus, atque ita quodammodo inuicem pedes nostros lauamus. Atque ista ratione, hoc factũ Domini optime conuenit communioni corporis & sanguinis eius; quæ propter datum Dei, requirit summam dilectionem Dei; & propter multitudinẽ diuersorum granorum in vnum panem, racemorũ in vnum liquorem, & omnium id sumentium nempe eiusdem rei manducationem: significat etiam ista dilectionem proximi. Ad humilitatem vero pertinere hoc factum Domini singulariter & propriissime, docuit ipse Dominus:* Scitis *(inquit)* quid fecerim vobis: vos vocatis me Magister & Domine, & benedicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes vestros Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. *Qui norunt latine sciũt aliud fuisse Dominum, veteribus; cum illi voci respõderet misera seruitus, aliud nobis: quibus ea vox vulgaris est effecta. Et quidem de ista humilitate sic sanctus B. Augustinus:* Tanta est humanæ humilitatis vtilitas, vt eam suo commendaret exemplo etiam diuina sublimitas: quia homo superbus in æternum periret, nisi illum Deus humilis inueniret. Venit enim filius quærere & saluum facere, quod perierat: perierat autẽ superbiam deceptoris secutus, ergo humilitatem redemptoris sequatur inuentus. *Fuisse vero ablutionem pedum actum seruilem & demissum, & post hoc factum Christi, simul & humanitatis & humilitatis, vno atque altero exemplo est probandũ:*

1. Reg. cap 25. *sic Abigail ad nuncios Dauid Regis: Ecce famula*

tua

rua ſit in ancillam, & lauet pedes ſeruorum Domini ſui B Auguſtin. ad hunc locum. Didicimus fratres humilitatem ab excelſo, faciamus inuicem humiles, quod humiliter fecit excelſus. *Magna eſt hæc commendatio humilitatis, & faciunt ſibi hoc inuicem fratres etiam opere ipſo viſibili, cum ſe inuicem hoſpitio recipiunt, eſt enim apud pleroſq; conſuetudo huius humilitatis vſque ad factũ quod ſernatur expreſſa: vnde Apoſtolus cum viduam bene meritam commendaret, ſi hoſpitio (inquit) recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, & apud ſanctos vbicunque hæc conſuetudo non eſt quod manu non faciunt, corde faciunt, ſi in illorum numero ſint, quibus dicitur, in hymno beatorum trium virorum: Benedicite ſancti & humiles corde Domino. Multo autem eſt melius: & ſine controuerſia verius, vt etiam manibus fiat, ne dedignetur quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus: cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo, vel excitatur, vel ſi iam inerat, confirmatur ipſius humilitatis affectus. Reſtat poſtremum, quod dicebamus, myſterium huius facti: quod ibi extitiſſe probauit ipſe Dominus, dicens Petro:* Quod ego facio tu nescis modo, Scies autẽ poſtea. *Humilitatem Domini videbat Petrus, & ea occaſione exclamabat:* Domine tu mihi lauas pedes? *Quid eſt, tu. Quid eſt, mihi cogitanda ſunt potius quam dicenda, ne forte quod ex verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua: & quidem aliquo vſque explicauit Dominus myſterium: Qui lotus eſt inquit non indiget, niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: in quibus verbis videtur intelligendum, quod baptiſmo quidem totus homo abluitur, ſed dum iſte poſtea venit in ſeculo, humanis affectibus terram velut pedi-*

bus calcans, ipſa ſcilicet cõuerſatione vitæ huius, cõtrahit vnde dicat: dimitte nobis debita noſtra, & cap præcedenti ſic idem Auguſtin. Quid fratres mei, quid putatis? niſi quia homo in ſancto quidem Baptiſmo, totus abluitur non præter pedes, ſed totus omnino, veruntamen cum in rebus humanis poſtea viuitur, vtique terra calcatur: ipſi igitur humani affectus. ſine quibus in hac mortalitate nõ viuitur, quaſi pedes ſunt, vbi ex humanis rebus afficimur, & ſic afficimur, vt ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipiamus & veritas in nobis non ſit. Quotidie igitur pedes lauat nobis, qui interpellat pro nobis, & quotidie nos opus habere, vt pedes lauemus, id eſt vias ſpiritualium greſſum dirigamus, in ipſa oratione Dominica confitemur, cum dicimus: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris: ſi enim confiteamur, ſicut ſcriptũ eſt, peccata noſtra, profecto ille qui lauit pedes diſcipulorum ſuorum, fidelis eſt & iuſtus, qui dimittat nobis peccata noſtra & mundet nos ab omni iniquitate, id eſt vſque ad pedes, quibus conuerſamur in terra. *Hæc Auguſt. verba vero Domini: qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet ſed eſt mundus totus, populariter accipiuntur ab iis ſumpta ſimilitudine qui loti aſcendunt ex flumine vel egrediuntur è balneo quibus denuo idcirco lauandi ſunt pedes ſi volunt eſſe toti mundi. Atque hæc nos ob huius diei ſolennitatem, quam totam religioni tribuere eſt neceſſe, paulo prolixius.*

Ordo

ORDO MANDATI.

POst denudationem altarium hora competenti, facto signo cum tabula, conueniunt Clerici ad faciendum mandatum, & cantato a Diacono Euãgelio huius diei, scilicet ante diem festum Paschæ, maior abluit pedes minoribus, tergit & osculatur: & interim hæc subscripta cantantur, vel omnia, vel in parte pro dispositione cantorum. Antiph. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos dicit Dominus. Psal. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini Et repetitur immediate Antiphona: mandatum nouum. Et sic alia Antiph qua habent Psal. vel Versus repetuntur. Et de quolibet Psal. non dicitur nisi vnus Vers. Antiph. Postquam surrexit Dominus a cœna, misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum suorum: hoc exemplum reliquit eis. Psal. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Antiph. Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, lauit pedes eorum, & ait illis: scitis quid fecerim vobis, ego Dominus & Magister? exemplum dedi vobis, vt & vos ita faciatis. Psal Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob. Antiph. Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Vers. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dixit ei Petrus: & repetitur Antiph. Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei: Si non lauero tibi pedes, non habebis partem meçum. Vers. Quod ego facio, tu nescis modo: scies autem postea. Tertia repe-

Psal 118

Psal. 47.

Psal 84

titur, Antiph. Domine tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit ei: si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Vers. Si ego Dominus & magister vester, laui vobis pedes, quanto magis debetis
Psal. 48. alter alterius lauare pedes. Psal. Audite hæc omnes gentes, auribus percipite qui habitatis orbem. Antiph. In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Vers. Dixit Iesus discipulis suis. Antiph. Maneant in vobis fides spes, charitas; tria hæc: maior autem horum est charitas. Vers. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc: maior horum est charitas. Antiph. Benedicta sit sancta Trinitas, atque indiuisa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Vers. Benedicamus Patrem, & Filium, cum
Psal. 83 sancto Spiritu. Psal. Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: cõcupiscit & deficit anima mea, in atria Domini. Antiph. Vbi Charitas & amor, Deus ibi est. Vers. Congregauit nos in vnum Christi amor. Vers. Exultemus, & in ipso iucundemur. Vers. Timeamus & amemus Deum viuum. Vers. Et ex corde diligamus nos sincero. Et repetitur Antiph. Vbi charitas & amor, Deus ibi est. Vers. Simul ergo cum in vnum congregamur. Vers. Ne nos mente diuidamur cauteamus. Vers. Cessent iurgia maligna, cessent lites. Vers. Et in medio nostri sit Christus Deus. Et repetitur Antiph. Vbi charitas & amor, Deus ibi est. Vers. Simul quoque cum beatis videamus. Vers. Glorianter vultum tuum Christe Deus. Vers. Gaudium quod est immensum atque probum. Vers. Secula per infinita seculorum. Amen.

Post lotionem, qui aliis abluit pedes, capite detecto dicit: Pater noster. ℣. Et ne nos. *Resp.* Sed libera. ℣. Tu mandasti mandata tua Domine.

Resp.

Resp. Custodiri nimis. ℣. Tu lauisti pedes discipulorum tuorum. *Resp.* Opera manuum tuarum ne despicias. ℣. Domine exaudi orationem meam. *Resp* Et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. Oremus.

ORATIO.

ADesto quæsumus Domine officio seruitutis nostræ, & quia tu discipulis tuis pedes lauare dignatus es; ne despicias opera manuum tuarum, quę nobis retinenda mandasti: vt sicut hic nobis, & à nobis exteriora abluuntur inquinamenta: sic à te omnium nostrum interiora lauentur peccata. Quod ipse præstare digneris, qui viuis & regnas Deus, Per omnia sæcula sæculorum. ℟. *Amen.*

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

VOx Parasceue, qua Romani hanc solam feriã sextam compellant, communis est omnibus totius anni feriis sextis: quæ sic a scriptoribus Græcis passim nominantur, neque ea vox quicquam pertinet ad Domini Passionem, nisi eatenus, quod mors Domini inciderit in Parasceuen: quæ videtur fuisse causa, cur huic soli feriæ id nomen tribuerint: vt sic eam distinguerent a ceteris feriis sextis. Parasceue vero præparatio interpretatur, quo nomine Iudæi, qui inter Græcos conuersabantur, sextam sabbathi, quæ nunc a nobis sexta feria nominatur, appellabãt:

quod eo videlicet die, quæ ſabbatho forent neceſſaria, præpararent iuxta quod de manna quondam erat præceptum: ſexta autem die colligetis duplum. Qui vero inter Romanos vitam ducunt Iudæi, vſitatius eam latine cœnam puram cognominant. Atq; hæc Amalarius, & Rupertus. Fuit Dominus crucifixus primo die Azymorum, decimaquinta luna primi menſis: qui dies eo anno incidebat in Paraſceuen ſabbathi: non erat illa dies Paraſceue Paſchatis, ſed dies ordinarius ſeptimo quoque die recurrēs: aliqua forte aſſeratione honoratior cæteris feriis ſextis. Sabbathum enim quod incidit in ſeptem dies Azymorū propter concurrentiam officij, fuit aliquo modo celebrius: vt patet ex hodierno Euangelio Ioannis. Paſcha vero non habuit aliam Paraſceuen, quam illā, quæ fiebat decimaquarta luna: in qua a nona vſque ad vndecimam, immolabatur Agnus, qui de nocte manducaretur. Hunc itaque diem ob mortē Domini ſingulari cultu, ſummo luctu, arctiſſimo ſilentio, ſeueriſſimo ieiunio, omnibuſq; quibus poſſumus & corporis & animæ humiliationibus, religioſe obſeruamus, qua in re id quæritur cur ſic colamus mortē Chriſti, nos Catholici, qui mortes martyrum & dies eorum natales in gaudio & lætitia celebrare conſueuimus. Deinde alia videtur eſſe cauſa non lugendi, quia nec Chriſto aliquid accidit mali, qui hanc vitam mortalem commutauit æterna, & nobis iſta morte infinita euenerunt bona, atque iſtud ſic nō ſolum nunc proponitur ad quæſtionem, ſed re fit ab hæreticis, cum quibus nunc luctamur. Reſpondeo, falſum eſt quod dicitur Chriſto nihil accidiſſe mali, non potuit cadere in Dominum eius generis malū, quod vel eſt vel coniungitur peccato: verum qui dicunt paſſionem & mortem Chriſti, non fuiſſe malū,

De Eccleſ. offic l. 1 c. 13 & Rupert ad hanc feriam

& in

& in genere mali non peccati, grauissimum malum; illi certe vt insani sunt reiiciendi: est enim illud vere insanorum hominum grauissime laborare, & eius doloris sensum non intelligere, quod adfertur de nostro bono, quod acquisiuimus eius morte, si ea ratio valeret, sequeretur gaudendum esse filio in morte patris: quia sit heres magni patrimonij. Nec illud mouere debet Catholicos, quod adfertur de cultu Martyrũ: de solo enim Domino dicit Propheta: Propter scelus populi mei percussi eum, solus Dominus mortuus est innocens, & pro nobis. Martyres nec innocentes, nec ad iustificationem pro nobis. Nostra igitur conscientia culpæ gaudium nostrum reuerberat, vt non exultemus hac die sed ambulemus demisso capite: quia vulnera illa, nostra fecerunt peccata: quia contumaces serui commisimus, quod vapulat ille omnium Dominus quia quæ ille exoluit, nos rapuimus. Deinde Euangelicæ quoque auctoritatis, & ex Domini dictis accepimus, vt hac die gaudere Iudæis relinquamus & nos contristemur: nam cum dixisset: Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, secutus adiunxit: Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus aute gaudebit, vos aute contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Adhuc autem huic tantæ rei tristitiam conuenire, probabili exemplo confirmat, dicens: Mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ, propter gaudium: quia natus est homo in mundum. Mulieri quippe Ecclesiam suam assimilat, quæ quia Christum diligit, quem ex Deo patre genitum, in nostram naturam suscepit: recte hac die moriente illo, & per mortem quasi Rupert.

per

per partum, in vitam æternam, & in immortalitatis gloriam exeunte, tristitiam habet, & clamat, vt in vtero habens & clamat parturiens: & quia postquam resurrexit, æterno suo regno natus, gauisi sunt discipuli, viso Domino, sicut ipse dixerat: Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. & gaudium vestrum nemo tollet à vobis. Perpulchre perfecta est quæ præmissa fuerat mulieris similitudo, quæ postquam peperit iam nõ meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Differendum est igitur gaudium tantæ salutis, tantæ tamq; necessariæ redemptionis, tanti precii, cuius pondere captiuitas mũdi redempta est, inferni claustra confracta sunt, ianuæ cœlorum apertæ sunt, latro pœnitentium exemplum, cum Domino paradisum ingressus est: Differendum inquam vsque in diem tertium, quo tantus ille victor surrexit, quo nobis in semetipso, quid de nobis speremus, ostendit: & tunc, pro redemptione animarum, quæ hac die patrata est, & pro resurrectione corporum quæ illa luce condita est: pro hoc inquam duplici munere, inenarrabilis, inæstimabilis, infinita solennitas dignitatis, toto corde, toto ore, totisq; viribus concelebranda est Hac interim die tristitia regnet, hac inquam die, a tristitia denominata, id est tristi die, contristemur ad pœnitentiam, ferrum Dominicæ Passionis, nostram pertranseat animam: claui manuum ac pedum eius, carnem nostram configant: Crux eius nostram suspendat concupiscentiam: compatiamur & conregnemus. Hodie non sacrificemus, dum nobis hostia tollitur de manibus. Non sacrificent amici, dum trucidant inimici. Dominus (inquit Moyses) pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Quamdiu ergo torcular calcat solis, & indumentum eius sanguine

con-

conſpergitur, quamdiu ligatus deridetur, velata facie colaphizatur, & alapatus conſputitur, quamdiu illuditur veſte alba indutus, itemq; arundinem accipiens in dextra, veſtemq; purpuream, & ſpineam coronam, clauorumq; fixuram, quibus in cruce pendens, legis factus eſt maledictum, bibitq; aceti poculum, quamdiu tot opprobriis exſaturatur; tamdiu nos, id eſt a mane vſque ad horam nonam, inge ac profundum teneamus ſilentium, mœrori amicum, & interiorem penetrantes meditationis ſolitudinem ſoluenteſq; cum Moyſe calceamenta de pedibus noſtris, audiamus illum tanquam de medio rubi dicentem: videns vidi afflictionem populi mei, qui eſt in Ægypto, & gemitum eius audiui, & deſcendi liberare eum: Nunc enim quaſi in rubo, ſpinis inhæret, clauis confixus, ſpiniſq; coronatus: cruciſq; arbuſtum, guttis ſanguinis quaſi rubentibus pullulat moris: & (ſicut ait quidam) triſtes purgantur ſanguine culpæ: Quem contorta rubus denſis cruciatibus edit. Impium igitur eſt, ſole, à ſexta vſque ad nonam faciente Domino lugubre officium, petris ſe diſrumpẽtibus, velo templi ſe ſcindente; in tanta Domini triſtitia, cum triſtis eſſet anima eius vſque ad mortem, cum clamaret è Cruce: Deus Deus meus, quare dereliquiſti me . Cum iam accideret benedicta eius matri, quod ante ei prædixerat Simeon: Tuam ipſius animam pertranſibit gladius , inter tot tam multa, non etiam nos lugere & plangere, qua ſancta Catholicorum triſtitia , tam religioni Chriſtianæ fuit ſemper commendata, vt eam iam inde ab ipſa ſua origine, vniuerſaliter ſemper & vbique locorũ, non ſemel hoc die ſed ſeptimo quoque die recurrente, conſtantiſſime obſeruarit. Variatum fuit per Eccleſias in ieiunio feriæ quartæ & ſabbathi, verum

de

de ieiunio feriæ ſextæ nullum tempus, nulli populi, nullæ Chriſtiani nominis religiones, ante noſtros aduerſarios, vnquam dubitauerunt. Qua ratione ſi quod aliud, hoc certe genus obſeruationis, pertinet ad ea, de quibus ſic ſcribit B. Auguſtinus: Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidē toto terrarum orbe obſeruantur, dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenarijs concilijs, quorum eſt in Eccleſia ſalubertima authoritas, commendata atque ſtatuta teneri. *Praterea idem Auguſtinus loquens de iſtius & ſequentium duorum dierum myſterio, quid nobis imperetur iſtius diei ſacramento ſic explicat:* Attende ſacratiſſimum triduum Crucifixi, ſepulti, ſuſcitati: horum trium quod ſignificat Crux, in preſenti agimus vita; quod autem ſignificat ſepultura & reſurrectio, fide ac ſpe gerimus: Nunc enim dicitur homini: Tolle crucem tuam, & ſequere me. Cruciatur autem caro, cum mortificantur membra noſtra, quæ ſunt ſuper terrā, fornicatio, immunditia, luxuria, auaritia, & cætera huiuſmodi de quibus idem dicit: ſi ſecundum carnem vixeritis moriemini, ſi autem ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis: hinc etiam de ſeipſo dicit: Mundus mihi crucifixus eſt & ego mundo: & in alio loco: Scientes, inquit, quia vetus homo noſter, ſimul confixus eſt cruci cū illo, vt euacuetur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato: Quamdiu ergo id agunt opera noſtra, vt euacuetur corpus peccati, quamdiu exterior homo corrumpitur, vt interior renouetur de die in diem, tempus eſt crucis. *Hæc ſunt etiam, bona opera quidem, tamen adhuc laborioſa, quorum merces eſt requies.*

Iſtud

Istud igitur sacratissimi tridui mysterium, hodie initiatur per disciplinæ mortificationem, per arctissimum ieiunium, vigilias, orationes, eleemosynas, cæteraq; eius generis, qua de re scripsimus feria secunda huius septimanæ; Durandus & Beleth scribunt isto die non vesci Christianos, nisi vno genere cibi, quæ saltem illorum temporum consuetudo restitui facile posset.

DE PRIORE PARTE HODIERNI OFFICIJ.

DIxerat Dominus futurum, vt cum auferretur sponsus a discipulis suis tunc illi ieiunarent & lugerent: religiose igitur nostra templa, hodierno die induunt lugubrem & tristem faciem, non vocamur ad Ecclesiam consueto sonu campanarum, stant aræ sine lumine, sine ornamento. Silet cantus psallentium & laudantium Deum, procedunt ministri induti vestimentis nigris: & sine vlla vel salutatione, vel titulo, vel præfatione legitur lectio ex Osea Propheta. Secundum veterem morem incipiebat istud hora quinta, quæ est nostra vndecima meridiana: Italis hora decimaseptima: verum a nobis qui cœnas ieiuniorium in prandia commutauimus non est eadem obseruatio, illud vero in genere de officio hodierno est tenendum: Officium nocturnum quod olim inchoabatur media nocte pertinere ad ea, quæ acciderunt Domino, in domibus Annæ & Caiphæ: Matutinum ad concilium Iudæorũ quo Dominus fuit cõdemnatus: Istud vero officium, in quo nunc versamur, quod finitur multis ora-

orationibus, proprie pertinere ad ea, quæ acciderunt Domino à sententia mortis prolata mane à synedrio Iudæorum, vsque ad eius mortem, quæ accidit hora nona. Postremo adorationem crucis, & cætera quæ sequuntur vsque ad finem officij, pertinere ad Dominum iam mortuum, & de cruce depositum vt sepeliretur. In ista itaque parte diurni officij, legitur Passio Domini secundum Ioannem: non ea solum ratione, quod recitatis cæteris Euangelistis, iste quartus superfit: verum & altera maior causa est, quod Ioannes fuerit Passionis oculatus Testis: Ipse enim & Maria mater Domini, stabant sub cruce, & vtroq; allocutus est Dominus de cruce. Ipse quoque Ioannes sic de se loquitur: & qui vidit testimonium perhibuit, & testimonium eius verum est. Præterea quia Dominus habet testimonium à lege & Prophetis, præmittuntur Passioni duæ lectiones: Prior ex Osea Propheta: Venite & reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos, percutiet & curabit nos, viuificabit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos. Quæ lectio continet Passionem & resurrectionem Domini, & nostram ex eo curationem, & suscitationem: cum percussos curauerit, & curatos viuificauerit, & viuificatos suscitauerit tunc viuemus in conspectu eius, qui illo absente mortui iacebamus. In ista resurrectione monstratur vtilitas imitationis nostræ: quia si compatimur & conregnabimus. Secunda lectio est de Exodo de Agno Paschali, quæ fuit vera & propriissima figura agni immaculati Christi Domini: prout etiã ex eadem lectione Exodi, Ioannes Euangelista tribuit Domino illud de Agno Iudaico: Os non comminuetur ex eo. *Præterea ista lectio reducit Passionem Domini ad nostram imitationem: de qua dicit*

cit Petrus: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, quod ex ista lectione apertius possumus memorare: dicit enim, erit absque macula, masculus anniculus: iuxta quem ritum tolletis haedum, & seruabitis eum vsque ad quartamdecimam diem mensis huius. Agnus iste absque macula, Christi corpus significat immaculatum; haedus corpus suum, quod nos sumus, qui peccatores sumus, vtrumq; animal memoratur in religione Paschæ sicut ex scriptura discimus. Pascha nostrum in immolatione esse Christi, ita nostrã immolationem, in mortificatione vitiorum: & sine cesse fuerit in effusione omnium præsentium rerum, etiam & ipsius animæ, & sic transeundum ad Patrem. Singulas lectiones singuli sequuntur tractus, qui proprie sunt lugentium. Primus nos ad tremorẽ excitare molitur, dicente Abacuc: Domine audiui auditum tuum, & timui. Si enim Abacuc hic ex eo quod in certamen & luctamen, (vt ita dicam) amplexu cum Deo congreditur, amplexantis (id est luctantis) sortitus est nomen: Nullus enim (vt ait Hieronymus) tam audaci voce, ausus est Deum ad disputationem Iustitiæ prouocare, & dicere ei: Cur in rebus humanis tanta versatur iniquitas? vsquequo Domine clamabo & non exaudies? & cætera: si inquam hic Dei colluctator fortis & rigidus, stans super custodiam suam, & figens gradum super munitionem, dum Christum in cruce contemplatur & videt cornua in manibus eius, & ibi absconditam fortitudinem eius. Timui, ait, & expaui, quid nos longe impares longeq; minorem in die iudicii fiduciã habentes, quando videbimus manifestum in nubibus cæli fortitudinem illam, quam hic tenet abscõditam in cornibus crucis: quæ erant in manibus

eius

eius, quid facient tabulæ si tremunt columnæ? Recte ergo vt nostrum, tractus hic magis ac magis excitet timorem, in plerisq; Ecclesiis religione imitandis, ita cantatur, vt post singulos versus, semper primus vicissim, nunc a principio, nunc a medio repetatur. Tractus qui sequitur lectionem Exodi, tempore Alcuini erat recens compilatus, & eius loco in officio Romano frequentabatur Tractus: Qui habitat in adiutorio altissimi. Iste vero tractus, quo nunc vtimur, pertinet ad luctum Ecclesiæ, quæ excitata malitia eorum a quibus Dominus patitur quæ supplantauit gressus discipulorum Domini, luget similiter propter suos hostes & suum incolatum: & hoc facit confidens Domino, sic patiens & dicit: Dixi Domine Deus meus & tu: Tu Domine Domine (id est) Tu verissime Domine, non quales Domini homines, non quales Domini, qui emunt saccello, sed qualis Dominus qui emit sanguine. Conuenit etiam iste tractus lectioni Exodi, propter filios Israël liberandos e manu Pharaonis: Post lectionem passionis sequuntur multæ & variæ precationes, qua de re sic scribit Rupertus: Omni quidem tempore, pro statu sanctæ Ecclesiæ fideliter orandum est, sed hac die præcipue solennes pro illa orationes, secundum gradum vel dignitatum ordines ac diuersitates, a sacerdote perorandæ, rationabiliter institutæ sunt. Hac enim die saluator noster pro cunctis orauit, & commune pro omnibus sacrificium factus est: de quibus & passioni appropinquans, imo iam ad aram crucis pene assistens, cum pro discipulis suis rogaret, dixit: Non pro his tantum rogo, sed pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me: Nempe, hic ille erat magni consilij Angelus: de quo in Apocalypsi legimus: Stetit Angelus iuxta aram templi, habens thu-

De diuinis officiis l. 6. c. 19.

thuribulum aureum in manu sua. Hodie iuxta arã templi (id est in conspectu Ecclesiæ) assistens, aureũ immaculati corporis, thuribulum in conspectu Dei, pendens in Cruce sustulit: & orationis incensum dignum cum clamore valido, & multis lachrymis (vt ait Apostolus) pro nobis adolemt. Recte ergo & nos, cum illo solẽnes pro nobis, & pro cunctis, orationes offerimus: iuxta quod illic additum est: & data sunt ei incensa multa &c. Per omnes vero orationes genuflexionem facimus: vt per hunc habitum corporis, mentis humilitatem ostendamus excepto, quando oramus pro perfidis Iudæis: illi enim genu flectebant, opus bonum male operantes: quia illudendo hoc faciebant. Nos ad demonstrandum quod fugere debeamus opera quæ simulando fiunt, vitamus genuflexionem in oratione pro Iudæis: similiter & a pacis osculo, in istis diebus nos abstinemus: non quod pacis osculum malum sit, vbi ex charitate vera profertur; sed vt demonstretur quam iniuriam passus sit Christus, à suo proditore: vt & nos vitemus eandem iniuriam in fratribus, quod dico tale est, locutione & opere debemus subditis monstrare, vitandum esse malum Iudæ, signo doloso traditus est Christus, nec mirum, si ea intermittamus, vt nostra distinguantur a Iudaismo, cum sanctus Augustinus dicat: Nostrum diem festum Paschalem ideo transire ad Dominicam, vt nostra festinitas distinguatur à festinitate Iudæorum.

DE SECVNDA PARTE HODIERNI OFFICIJ, QUÆ CONTINET ADORATIONEM CRUCIS & COMMUNIONEM SACERDOTIS.

NOstris moribus istud officium adorationis, & communionis, coheret precedenti: & ita procuratur, vt ante meridiem omnia compleantur, quæ res primis Ecclesiæ temporibus, nulla ratione tolerari potuisset: quì enim illius temporis religio ferre hoc vllo modo potuisset, vt Domino viuo in cruce pendente, homines pranderent. Ordo Romanus & Alcuinus, dicunt expresse, si officium fiat ab Apostolico finitis orationibus, omnes tacite exire foras. Deinde ad vesperam fieri ea, quæ nunc tractamus: si vero officium non fit ab Apostolico, connectitur quidem virumq;, sed incipitur hora nona, id est hora tertia post meridiem: quæ consuetudo, hac saltem luctuosa die, obseruaria nobis debebat. Si enim vacui ab omni officio manemus toto tempore pomeridiano, & hoc pransi, certe religiosius ieiuni concionibus, lectionibus, vel meditationibus vacaremus Passioni Domini. Deinde Domino iam mortuo, veluti spectatores audiremus in Ecclesia historiam passionis, & oraremus, cogitantes illud Prophetæ: Præco vt me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam. Deinde toto corpore prostrati in terram, adoraremus crucem Domini. Et deinde post luctum cessantis sacrificii, postquam vnusquisque priuatim dixisset vesperas, sic tandem sumeremus vnius generis non delicatum, non multum cibum. Primum igitur in hoc officio est adoratio crucis, qua in re quæritur,

cur

cur sic colamus crucem, & non asinum qui portauit Dominum, poterat quari præterea, cur colantur claui, quibus Dominus est confixus, & cur non colitur manus qua Dominum colaphizauit. Respondeo, Tria sunt quæ isto modo veneramur: Primo reliquias corporum eorum hominum, quorum memoria est sancta in Ecclesia: secundo, res insensibiles, quæ ad illos sanctos, aliquo modo pertinuerunt: vt sunt eorum baculi, vestes, libri, & si quid est eiusmodi. Postremo veneramur etiam illas res insensibiles, per quæ passi sunt Martyres, quo in genere principem locum tenet crux Domini: in qua veneratione rerum insensibilium, quia scimus illa esse eiusmodi, in quæ nec laus cadit, nec vituperium idcirco in ijs venerandis, nihil spectamus aliud, quam memoriã illius, ad quem pertinent: & quo ex ijs res quæque significantius continet eam memoriam, eò maiore deuotione a nobis coli consueuit. Sic crucem Domini religiosius colimus, quam eius vestem, & è crucibus illam maiore veneratione, in qua vere pependit Dominus, iis crucibus, quæ facta sunt a nobis. Illa verò quæ sunt vel brutorum animalium, vel malorum hominum, nulla a nobis veneratione coluntur: & hoc propter memoriam quæ coniuncta est rebus huiusmodi, vel bestialitatis vel impietatis, quod non est in illis alijs rebus insensatis: crux itaque, siue illa quam ex quouis ligno nobis faciunt fabri, siue illa vera, cui affixus fuit Dominus, nihil est aliud quam purum putum lignum, quod nullam vnquam habuit neq; vnquã est habiturum verã laudem, verũ quia eo genere supplicij liberauit nos Dominus, quia tanta sunt in eare mysteria, & vitæ æterne & vitæ sanctæ in sæculo, quia hoc sibi fecit Dominus signũ, signum filij hominis: idcirco adoramus crucem id est

ipſum crucifixum, nam quemadmodum qui mandatum Imperatoris ſuſcipit, illius ſignum oſculando, non ipſam ceram aut characterem, aut plumbum veneratur, verum Imperatori ipſi adorationem & cultum exhibet: ſic quoque Chriſtianorum filij, typum crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, ſed per hoc eum, qui in illo eſt crucifixus, Chriſtum ipſum ſalutamus & adoramus, & quemadmodum genuini filij, patre longo tempore peregrinante, ingenti amore ex animo erga eum affecti, quidquid illius viderint, ſiue baculum, ſiue ſedem, ſiue chlamydem, hæc omnia cum lachrymis attrectantes, amplexantur: non illa honorantes, ſed patrem, deſiderantes & venerantes: ſic nos fideles omnes, Chriſti crucem adoramus. Recte itaque B. Auguſtinus:

De doctri. Chriſt. li. 3. c. 9. *Qui veneratur vtile ſignum diuinitus inſtitutum, cuius vim ſignificationemq; intelligit, non veneratur quod videtur & tranſit, ſed illud potius, quo talia referenda ſunt: ſic venerabilem crucem adoramus, in qua Domini corpus extenſum eſt; & ſanguis ille, quo mundus vniuerſus purgatus eſt, emanauit; & ligni natura illius fluxibus irrigata, pro morte vitam perpetuam tulit: ſic crucis ſignum adoramus, quo dæmonum agmina fuganiur, & varij curantur morbi, cum ſemel in ipſo exemplari gratia & virtus ſit exhibita, & vſque ad exempla ſimilis vis ſe diffundat: clamabunt contra nos adoratores crucis, aduerſarij; & erit eorum vox eadem, quæ Iuliani Apoſtatæ: O miſeros qui Chriſti crucem adoratis: & nos ad eam vocem tum non conturbamur, vt contra toto corpore in terram proſternamur.*

Pſal. 43. *Quiſquis, inquit, Auguſtinus ita humiliatur, vt genua figat, adhuc habet quo humilietur: quiſquis autem ſic humiliatur, vt hæreat in terra, veter eius,*

ultra quo humilietur non habet. Sic proſternimur ante crucem, vt Paula proſtrata eſt, de qua Hieronymus: Proſtrataq; eſt, inquit, ante crucem quaſi pẽdentem Dominum cerneret: Proſternimur corpore ante crucem, mente ante Dominum; veneramur crucem per quam redempti ſumus, & illum deprecamur qui redemit; Proſternimur ante crucem, quia vt loquitur Origenes Tanta eſt vis crucis, vt ſi ante ponatur, & in mente fideliter teneatur, ita vt in ipſam mortem Chriſti, intentis oculis mentis aſpiciat; nulla concupiſcentia, nulla libido, nulla ſuperare poſſet inuidia, ſed continuo ad eius præſentiam, totus ille quem ſupra enumerauimus, peccati & carnis fugatur èxercitus. Iacemus ante crucem, paſſus Chriſtus pro nobis proſcriptus eſt in corde noſtro, virtutem ſanctæ crucis quam accepit ex Dei filio, adoramus: Creaturam nullam colendo vt Deũ adoramus, ſed venerando. Omnis ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt: & quæ creatura eſt, Deus non eſt. Crux Chriſti ante nos poſita, Chriſtum quaſi pendentem in ea mente tenemus, ipſa verba noſtræ deprecationis demonſtrant, quem adoremus: dicimus, crucem tuam adoramus, & ſanctã reſurrectionem tuam laudamus & glorificamus. Hæc non ſunt verba precationis, ſed oſtentationis adorandæ crucis, & glorificandæ reſurrectionis Domini. ſed & in alio loco ſolemus dicere: Deus qui vnigeniti filij tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti, pretioſo ſanguine, humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, vt qui ad adorandam vinificam crucem aduenimus à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Quem deprecer ipſum adoro, proſternor corpore ante crucem, mente ante Dominum, veneror crucem, per quam redemptus ſum ſed

Orig. l 6. in epiſt. ad Romanos.

Amalarius hic.

illum deprecor, qui redemit, vt igitur hoc bene faciamus, ante adorationem sic oremus cum Ambrosio.

Domine Iesu Christe, qui manus tuas in Crucem misisti,& nos tuo sanguine redemisti; ignosce mihi peccatori, quia omnes culpę meę à te non sunt absconditæ:veniam peto,veniam spero veniam credo:tu qui pius es, & misericors;parce & indulge mihi. Qui cum Patre & spiritu sancto.

Deinde ad primam genuflexionem, sic oremus.

DOmine Iesu Christe, Deus verus de Deo vero, qui pro redemptione generis humani serpentina suasione decepti, mundum erroribus implicatum illuminare, & crucis patibulum subire voluisti: vt & lignum ligno vinceres, & peccati hæreditariam mortem, morte potentissima superares: exaudi me miserum & indignum, prostratum ante oculos tuæ benignissimæ maiestatis,& adorantem te, & benedicentem nomen tuum sanctum atque terribile,& concede mihi,te puro corde sapere,te laudare,te prædicare,& per vexillum huius sanctæ crucis, quam hodie in tuo nomine adoraturus adueni, mentem meam, corpusque sanctifica, scuto fidei tuæ me circumtege, galeam salutis mihi impone, gladio spiritali accinge: vt contra hostem nequissimum bellaturus, & tuæ muniar miserationis auxilio, & salutiferæ crucis vexillo: cunctique tuo sancto nomine insigniti, ab

hostis

hostis perfidi sint incursione secuti. Per te Iesu Christe qui viuis.

Rursum ad secundam genuflexionem.

DEus, qui Moysi famulo tuo, in via squalentis eremi, serpentem æneum, in media populi multitudine, ad liberãdas lethali veneno infectas animas, exaltare iussisti: vt si quis mortifero vulnere afflictus, ad eum respiceret, & venenum exitiale euaderet; & optatæ salutis vitam adipisceretur: significans te ipsum futura longe post curricula, pro tui salute plasmatis, crucis extollendum patibulo: vt quos diabolus armis inuidiæ captiuauerat, tua desiderabilis passio, ad patriam reuocaret: concede tam mihi, misero, & peccatori, quam omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie sanctam passionem tuam supplices venerantur, lignumque vitæ adorant; vt diabolicas insidias te adiuuãte vincamus, & æternæ vitæ participes esse mereamur. Qui cum Patre.

Postremo ad tertiam genuflexionem.

DOmine Iesu Christe, qui nos per crucis passionem hodierna die de diabolica seruitute liberasti, vt quo die hominem condideras, eodem & reformares: exaudi me miserum & peccatorem, coram hoc signaculo crucis confitentem & deprecantem: vt huius venerabilis & vitalis ligni tuitione munitus; & hostis nequissimi ignea tela repellere, & ab inflictis euacuare vulneribus, & ad vitam æternam va-

leam peruenire. Per te saluator mundi, qui cũ Patre & spiritu sancto.

ORdo vero qui obseruatur, & in prolatione crucis eiusq; positione in Ecclesia, & in Antiphonis quæ canuntur toto eo tempore, quo crux adoratur, & a cunctis osculatur, non eadem est vbique: nequidem is ordo Romanus qui descriptus est in nostris Missalibus, idem est vel cum eo, qui legitur in Antiphonario Gregorij, vel in vetere ordine Romano. Vetus ordo Romanus dicit in laudem Crucis dici Αγιος. *Est igitur iste versus Græcus, quem dicimus hodie ante Crucem,* ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis, laus Crucis, quæ res ostendit sensum Ecclesiæ, non adorantis materiam ligni, sed ipsum crucifixum, & hoc appositissima laude & verbis conuenientissimis: quid enim potuit dici rectius, quam vt illi in speciem misero homini, excitati fide Christiana, acclamemus: Sancte Deus, vt ad tantam illius imbecillitatem fixi clauis, perforati lancea, punctis spinis, verberati arundine, sanciati flagellis, nos è contrario acclamemus: sanctus fortis, vt deinde ad conspectum morientis, & mortui, dicamus: sanctus immortalis. Postremo quia impij irrisores Domini pendentis in cruce, blasphemabant eum, mouentes capita sua, dicentes: Vah qui destruis templum, & in tribus diebus reædificas, saluum fac temetipsum, descendens de Cruce: Et similiter summi sacerdotes, illudentes vna cum scribis, sic inter se ridebant Dominum: alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: Christus Rex Israël, descendat nunc de Cruce, vt videamus & credamus, contra istas blasphemias, nos in ista laude, post prædicatam istius contemptæ diuinitatem, potestatem,*

ſtatem, & æternitatem, clamamus & dicimus ei: Miſerere nobis, quod certe directe refragatur iſtis conuiciis: nemo enim à vere miſero miſericordiam, vel petere vel expectare conſueuit. Præterea in iſta Græca laude notandum, Eccleſiam Gallicanam, ſolere eam cum ſuis verſibus canere in ipſa productione Crucis, quod etiam in Eccleſia Ruperti, (id eſt in Germania) fiebat: & ad eum cantum in progreſſu geſtantium Crucem, in humili & lenta demiſſione corporis, in ductu ipſius cantus, valde operoſe grauiter & religioſe, cuncta adminiſtrari: atque inde profectum eſſe vulgarem noſtri populi ſermonẽ, quo dicunt eos, qui faſtidioſe & nimium operoſe in ſalutando ſe gerunt, facere multos Hagios. Et hæc conſuetudo proferendi Crucem, cum tribus Antiph. Populo meus, quia ego te eduxi, & quid vltra, cum Græca laude, & trina genuflexione: & vt deinde denudetur Crux, & tunc dicatur: Ecce lignum Crucis: & vt poſtea dum omnes deoſculantur Crucem, canantur improperia, videtur eſſe valde conuenna & bona: quam etiam frequentarunt pleraq; Eccleſiæ, vt patet ex ſcriptoribus, Ruperto, vetere ordine Romano, Durando, Belleth. Et quidem præter eas Antiph. quæ ſunt in noſtro Miſſali, reperiuntur & aliæ nonnullæ, vt illa Sancti Ambroſij, ex perſona Sanctæ Mariæ: Vadis propitiator ad immolãdum pro omnibus, non tibi occurrit Petrus, qui dicebat pro te moriar: reliquit te Thomas, qui clamabat dicens: Omnes cum eo moriamur, & nullus de illis ſed tu ſolus duceris, qui immaculatam me conſeruaſti, filius & Deus meus. *Verſ.* Venite & videte Deum & hominem, pendentem in Cruce, & in Antiphonario B. Gregorij, Dum fabri-

cator

cator mundi, mortis ſupplicium patereretur in cruce, clamans voce magna tradidit ſpiritum, & ecce velum templi diuiſum, monumenta aperta ſunt : terræmotus enim factus eſt magnus, quia mortem filij Dei, clamabat mundus ſe ſuſtinere non poſſe. *Verſ.* Aperto ergo militis lancea latere crucifixi Domini, exiuit ſanguis & aqua, in redemptionem ſalutis noſtræ. *Verſ.* O admirabile pretium, cuius pondere captiuitas redempta eſt mundi, tartarea confracta ſunt clauſtra inferni, aperta eſt nobis ianua regni. Adoramus igitur iſta in Cruce, gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſalutem nobis acquiſitam, reducem vitam, ſaluationem perfectam, liberationem perpetuam: Adoramus crucem, fidei præſidium, ſpei firmamentum, caritatis ſolium, miſericordiæ titulum, pietatis argumẽtum, gratiæ vehiculum, pacis vexillum: Adoramus crucem quæ ſuperbiam excidit, inuidiam obtriuit, culpam correxit pœnam deſtruxit, Crux Chriſti ianua cœli, clauis paradiſi, diaboli deiectio, hominis erectio, captiuitatis noſtræ ſolatium, libertatis pretium. Crux expectatio Patriarcharum, promiſſio Prophetarũ, triumphus Regum, dignitas ſacerdotum. Crux tyrannos increpat, potentes inclinat, afflictos ſublenat, pauperes honeſtat. Crux tenebrarum excidium, lucis infuſorium, mortis effugium, vitæ nauigium, ſalutis imperium, Quidquid Deo proficimus, quidquid acquirimus, quidquid ſperamus, adorandæ Crucis eſt fructus. Per Crucem Chriſtus ad ſe traxit omnia: Regnum Patris, ſceptrum filij, ſigillum ſpiritus ſancti, totius eſt teſtimonium veritatis.

DE

DE COMMVNIONE CORporis, quæ fit hodierno die.

HAc de re sic habet vetus liber sacramentorum: mox autem vt Antiph. O Crux splendidior inchoata fuerit, omnes ob venerationem sanctæ Crucis in terram adorantes procident: Quam vt adoratam habuerint, Diaconus cum Subdiacono & Acolythis, pergunt in sacrarium, vel vbi positum fuerit Corpus Domini; quod pridie remanserat: illudq; cum calice & patina, summo cum honore & reuerentia, ad altare deferant. Quo supermisso, Sacerdos stans ante altare, dicat: Præceptis salutaribus moniti, & Pater noster, sequitur. Libera nos quæsumus Domine, & cum dixerint Amen: Sumet sacerdos de sancta, & ponet in Calicem, nihil dicens: Deinde communicat ipse, & omnis clerus, & fiant Missæ: qua res eget aliqua explicatione: Innocentius Papa dicit traditionem Ecclesiæ habere, vt isto biduo sacramenta penitus non celebrentur biduo vero intelligit, hanc Parascenen & sequens sabbathum: in quo olim tam sero fiebat Missa, vt non ad sabbathum pertineret, sed ad diem Resurrectionis, causam vero huius moris dicit esse Innocentius; tristitiam istius biduj, quam durare sit necesse, vsque ad Domini resurrectionem. Verum in isto biduo hæc est differentia, quod hodie communicetur de hostiis, hesterna die consecratis; crastina vero die, ne illud quidem fiat Missa enim sabbathi sancti, pertinet ad noctem sequentem. Diximus alibi quid sit Missa præsanctificatorum, quam Græci obseruant omnibus diebus ieiuniorum per quadragesimam, & nos

hac

hac feria sexta quas illi τῶν προηγιασμένων θεῖαν λειτουργίαν *appellãt, quem morem Galenus vvestcappellius docet esse Apostolicum: & putat hæc esse quæ Areopagita Eccles. Hierarchiæ cap. 7. vocat parua mysteria. Nos igitur quamdiu Dominus consecrat sacramenta corporis & sanguinis sui in Cruce, exspectamus donec ea noua faciat per resurrectionem suam: vt tum manducemus & bibamus saluberrimum illud sacramentum. Durandus multas recitat rationes hodiernæ celebrationis: Quia ille tercular calcauit solus, quia ille pugnat, idcirco tacemus ipso pugnante, & quod supra commemorauimus: non sacrificent amici, dum trucidant inimici. Sola igitur causa huius cessationis, est magnitudo luctus, quæ in homine deuoto, hoc die in summo gradu, debet esse exactissima. Ordo Romanus quem toties citamus, habet hic aliquid peculiare: Cum vero, inquit, dixerint Amen: sumit de sancta, & ponit in Calicem, nihil dicens, nisi forte aliquid secrete dicere voluerit. Pax Domini non dicit, quia non sequuntur oscula circumstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum, per sanctificatum panem; & communicant omnes cum silentio. In quibus verbis quod dicitur de sanctificatione vini, non est intelligendum de eiusmodi sanctificatione, qua fit sanguis Domini, sed qualis est Eulogiæ, & cæterarum rerum eiusmodi, quæ vel contactu vel qua alia ratione, accipiunt aliquam dignitatem, qua commendentur. Quod dicit communicare omnes, liber sacramentorum restringit ad Clerum. Amalarius Archiepiscopus Treuirensis, qui vixit temporibus Ludouici Pij Imp. cũ esset Romæ occasione istius libelli, roganit Romanũ Archidiaconum de ista obseruatione, & ille respondit: in ea statione, vbi Apostolicus salutat Crucem,*

L. 1 c. 15.

nemo

nemo ibi communicat: quæ res ostendit iampridem desiisse consuetudinem, vt vel omnes, vel omnis clerus hoc die communicet.

MISSA PRÆSANCTIFICATORVM FERIÆ SEXTÆ, IN PARASCEVE.

Lectio Oseæ Prophetæ.

HÆc dicit Dominus: In tribulatione sua mane cõsurgẽt ad me: venite, reuertamur ad Dominũ, quia ipse cępit & sanabit nos, percutiet & curabit nos, viuificabit nos post duos dies, & in die tertio suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus sequemurq́; vt cognoscamus Dominũ. Quasi diluculũ præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ. Quid faciã tibi Ephraim? quid faciã tibi Iuda? Misericordia vestra quasi nubes matutina, & quasi ros mane pertransiens. Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei, & iudicia tua quasi lux egredientur: Quia misericordiam volui, & non sacrificium, & icientiam Dei plus quam holocausta. *Osee 6.*

Tractus. Domine audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera & expaui *Vers.* In medio duorum animalium innoteſces, dũ appropinquauerint anni cognoſceris, dum aduenerit tẽpus oſtenderis. *Vers.* In eo dũ cõturbata fuerit anima mea, in ira, misericordiæ memor eris. *Vers.* Deus à libano veniet, & sanctus *Abac. 3.*

de

de monte vmbroſo,& condenſo. *Verſ.* Operuit cœlos maieſtas eius , & laudis eius plena eſt terra.

Finito Tractu, Sacerdos dicit : Oremus, Diaconus: Flectamus genua, Subdiaconus: Leuate.

DEus à quo & Iudas proditor reatus ſui pœnam; & confeſſionis ſuæ, latro præmium ſumpſit: concede nobis tuæ propitiationis effectum, vt ſicut in Paſſione ſua Ieſus Chriſtus Dominus noſter, diuerſa vtriſque intulit ſtipēdia meritorum: ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur. Qui tecum viuit &c.

Subdiaconus dicit ſine titulo, lectionem ſecundam in tono Prophetie, vt ante.

Exod. 12. IN diebus illis: Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti : Menſis iſte vobis principium menſium primus erit in menſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorū Iſraël, & dicite ei: decima die menſis huius, tollat vnuſquiſque agnum per familias & domos ſuas: Sin autem minor eſt numerus, vt ſufficere nō poſſit ad veſcēdum agnum, aſſumet vicinū ſuum, qui iunctus eſt domui ſuæ, iuxta numerū animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſque macula, maſculus anniculus: iuxta quem ritum tolletis & hędum: & ſeruabitis eum vſque ad quartamdecimam diē menſis huius: Immolabitque eū vniuerſa multitudo filiorum Iſraël ad veſperam: & ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrumq; poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum : & edent carnes nocte illa

illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus, non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. Caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis,& os eius non confringetis,nec remanebit ex eo quidquam vsque manè: si quid residuum fuerit,igni comburetis.Sic autem comedetis illũ: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus: & comedetis festinanter, est enim Phase (id est transitus) Domini.

Tractus Eripe me Domine ab homine malo,à viro iniquo libera me. *Vers.* Qui cogitauerunt malitias in corde, tota die constituebant prælia. *Vers.* Acuerunt linguas suas sicut serpẽtes:venenum aspidum sub labijs eorum. *Vers.* Custodi me Domine de manu peccatoris:& ab hominibus iniquis libera me. *Vers.* Qui cogitauerunt supplantare gressus meos,abscõderunt superbi laqueum mihi. *Vers.* Et funes extenderunt in laqueũ pedibus meis:& iuxta iter scandalum posuerũt mihi. *Vers.* Dixi Domino Deus meus es tu: exaudi Domine vocem orationis meæ. *Vers.* Domine Domine virtus salutis meę, obumbra caput meũ in die belli. *Vers.* Ne tradas me a desiderio meo peccatori: cogitauerũt aduersum me,ne derelinquas me, ne vnquam exaltentur. *Vers* Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. *Vers.* Veruntamen iusti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo. *Psal. 139*

Finito Tractu, Passio super nudum pulpitũ dicitur.

Passio Domini nostri Iesu Christi, secundum Ioannem.

Cap 18. IN illo tempore: Egressus est Iesus cum discipulis suis, trans torrentem Cedron, vbi erat hortus in quem introiuit, ipse, & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum; quia frequenter Iesus conuenerat illuc, cum discipulis suis, Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à Pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis & facibus & armis. Iesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum: Abierunt retrorsum, & cecidérunt in terram. Iterum ergo eos interrogauit: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenũ. Respondit Iesus: Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire, vt impleretur sermo, quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus, habens gladiũm eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram, Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Cohors ergo & tribunus & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum, & adduxerũt eum ad Annam primum: Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem

Caiphas

Caiphas qui consilium dederat Iudæis, quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus: Discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu, in atrium Pōtificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum: dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil? Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sum ipsis? Ecce hi sciunt, quid dixerim ego. Hæc autem cū dixisset vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu dicens: sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, Si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? negauit ille, & dixit: hō sum. Dicit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & statim Gallus cantauit. Adduxerunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat

autem manè, & ipſi non introierunt in Prætorium, vt non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eũ vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quemquam: vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Introiuit ergo iterum Pilatus in prætorium, & vocauit Ieſum & dixit ei: Tu es Rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Reſpondit Pilatus, Numquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi. Quid feciſti? Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo; ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt nõ traderer Iudæis: Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Reſpondit Ieſus: Tu dicis quia Rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam, eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha, vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamauerunt rurſum omnes dicentes: Non hunc, ſed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum,

Iesum,& flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circundederunt eum,& veniebant ad eum,& dicebant: Aue Rex Iudæorũ: & dabant ei alapas.Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam inuenio. Exiuit ergo Iesus, portans spineam coronam & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce homo.Cum ergo vidissent eum Pontifices & ministri,clamabant dicentes:Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus:Accipite eum vos,& crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam.Responderunt ei Iudæi:Nos legem habemus,& secũdum legem debet mori: quia filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem,magis timuit:& ingressus est Prætorium iterum,& dicit ad Iesum: Vnde es tu?Iesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus:Mihi non loqueris?Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatẽ habeo dimittere te?Respondit Iesus, non haberes potestatem aduersum me vllam,nisi tibi datum esset desuper.Propterea qui me tradidit tibi,maius peccatum habet, & exinde Pilatus quærebat dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris:Omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cęsari.Pilatus autem cum audisset hos sermones,adduxit foras Iesum:& sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos. Hebraicè autem Gabbatha.Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle,tolle,

Crucifige eum. Dicit eis Pilatus, Regem vestrũ crucifigam? Respondérunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Susceperũt autem Iesum, & eduxerũt, & bajulans sibi Crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locũ, Hebraicè autem Golgotha, vbi eum crucifixerunt, & cum eo alios duos, hinc & hinc: mediũ autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super Crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus, Rex Iudęorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus: & erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit: Rex sum Iudæorum. Respõdit Pilatus: quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem) & tunicam: Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Nõ scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit: Vt scriptura impleretur, dicẽs: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem, & milites quidem hęc fecerunt. Stabant autem iuxta Crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua, & ex illa hora accepit eam discipulus in suã. Postea sciens Iesus, quia iam omnia cõsummata sunt,

vt

vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est; & inclinato capite tradidit spiritum.

Hic pausatur aliquantulum, & genu flectitur.

Iudæi ergo quoniam Parasceue erat, vt non remanerent in Cruce corpora Sabbatho, (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidē fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cū eo: Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit, & verum est testimoniū eius, & ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis, facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerūt.

Hic legitur in tono Euangelij sine incēso & luminaribus & benedictione.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia, (eò quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu, & permisit Pilatus: Venit ergo & tulit corpus Iesu, venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte, primum ferens mixturam myrrhæ, & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos

est Iudæis sepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondū quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Deinde sacerdos stans in cornu Epistolę, incipit absolute.

OREmus dilectissimi nobis pro Ecclesia sancta Dei, vt eam Deus & Dominus noster pacificare, adunare, & custodire dignetur toto orbe terrarum: subiiciens ei principatus & potestates, detque nobis, quietam & tranquillam vitam degentibus, glorificare Deū Patrem omnipotentem.

Oremus. Diaconus. Flectamus genua. Subd. *Resp.* Leuate.

OMnipotens sempiterne Deus, qui gloriā tuam omnibus Christo gentibus reuelasti: custodi opera misericordiæ tuæ, vt Ecclesia tua toto orbe diffusa, stabili fide in confessione tui nominis perseueret. Per eundem Dominum &c.

Oremus & pro beatissimo Papa nostro. N. vt Deus & Dominus noster, qui elegit eum in ordine Episcopatus, saluum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ, ad regendū populum sanctum Dei.

OREMVS. Flectamus genua. *Resp.* Leuate.

OMnipotens sempiterne Deus, cuius iudicio vniuersa fundantur: respice propitius ad preces nostras, & electum nobis Antistitem tua pietate conserua: vt Christiana plebs, quæ te gubernatur auctore, sub tanto Pontifice credu-

credulitatis ſuæ meritis augeatur: Per Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Oremus & pro omnibus Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiarijs, Confeſſoribus, Virginibus, Viduis: & pro omni populo ſancto Dei.

Oremus. Flectamus genua. *Reſp.* Leuate.

OMnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu, totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur: exaudi nos pro vniuerſis ordinibus ſupplicantes: vt gratiæ tuæ munere, ab omnibus tibi gradibus fideliter ſeruiatur. Per Dominum in vnitate eiuſdem. *Reſp.* Amen.

Oremus, & pro Chriſtianiſſimo Imperatore noſtro N. vt Deus, & Dominus noſter ſubditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad noſtram perpetuam pacem.

Oremus. Flectamus genua. *Reſp* Leuate.

OMnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omniū iura regnorum: reſpice ad Romanū benignus Imperium, vt gentes quæ in ſua feritate confidunt potentiæ tuę dextera comprimantur. Per Dominum. *Reſp.* Amen.

Oremus, & pro Catechumenis noſtris: vt Deus & Dominus noſter adaperiat aures præcordiorum ipſorum, ianuamque miſericordię: vt per lauacrum regenerationis, accepta remiſſione omnium peccatorū, & ipſi inueniantur in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

Oremus. Flectamus genua *Reſp.* Leuate.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui Eccleſiam tuam noua ſemper prole fœcun-

das, auge fidem & intellectum Catechumenis nostris: vt renati fonte baptismatis, adoptionis tuæ filijs aggregentur. Per Dominum nostrũ. *Resp.* Amen.

Oremus dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, vt cũctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula dissoluat, peregrinãtibus reditũ, infirmantibus sanitatem, nauigantibus portum salutis, indulgeat.

Oremus. Flectamus genua. *Resp.* Leuate.

OMnipotens sempiterne Deus, męstorum consolatio, laborantiũ fortitudo, perueniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium; vt omnes sibi in necessitatibus suis, misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per Dominum. *Resp.* Amen.

Oremus & pro hæreticis & schismaticis: vt Deus, & Dominus noster, eruat eos ab erroribus vniuersis, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam reuocare dignetur.

Oremus. Flectamus genua. *Resp.* Leuate.

OMnipotens sempiterne Deus, qui saluas omnes, & neminem vis perire: respice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Per Dominum. *Resp.* Amen.

Oremus, & pro perfidis Iudæis, vt Deus & Dominus noster, auferat velamen de cordibus eorum: vt & ipsi agnoscant Iesum Christũ Dominum nostrum. Non respondetur Amen: sed statim dicitur:

Omni-

OMnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam à tua miſericordia non repellis: Exaudi preces noſtras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus, vt agnita veritatis tuæ luce, quæ Chriſtus eſt, à ſuis tenebris eruantur. Per eundem Dominum. *Reſp.* Amen.

Oremus & pro paganis, vt Deus omnipotẽs auferat iniquitatem à cordibus eorum: vt relictis idolis ſuis, conuertantur ad Deum viuum & verum, & vnicum filium eius Ieſum Chriſtum, Deum & Dominum noſtrum, cum quo viuit & regnat, cum ſpiritu ſancto Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Non reſpondetur Amen.

Oremus. Flectamus genua. *Reſp.* Leuate.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatorum ſed vitam ſemper inquiris: ſuſcipe propitius orationem noſtram, & libera eos ab Idolorum cultura, & aggrega Eccleſiæ tuæ ſanctæ, ad laudem & gloriam nominis tui tui Per Dominum. *Reſp* Amen.

Poſt orationes ſequitur adoratio Crucis.

Ecce lignum Crucis, in quo ſalus mundi pependit: venite Adoremus.

Interim dum fit adoratio Crucis, cantãtur improperia, & alia quæ ſequuntur.

POpule meus quid feci tibi, aut in quo contriſtaui te: Reſponde mihi. ℣. Quia eduxi te terra Ægypti, paraſti Crucẽ ſaluatori tuo, Hagios o Theos: Sanctus Deus, Hagios iſchyros: Sanctus fortis, Hagios athanatos eleeyſon hymas: Sanctus & immortalis miſerere nobis. ℣. Quia eduxi te per deſertum, quadraginta annis,

nis,& manna cibaui te, & introduxi te in terrã fatis optimam Hagios o Theos &c.Sanctus & immortalis &c.*Vers.* Quid vltra debui facere tibi,& non feci?Ego quidem plantaui te vineã meam speciosissimam,& tu facta es mihi nimis amara:aceto namque sitim meam potasti , & lancea perforasti latus Saluatori tuo Hagios o Theos,Sanctus,&c.Populo meus,vsq; ad:Quia eduxi te de terra Ægypti. *Vers.* Ego propter te flagellaui Ægyptum cum primogenitis suis, & tu me flagellatũ tradidisti,Populo meus. *Vers.* Ego eduxi te de Ægypto demerso Pharaone in mare rubrum, & tu me tradidisti Principibus Sacerdotum.Populo meus.*Vers.*Ego ante te aperui mare,& tu aperuisti lancea latus meum, Populo meus. *Vers.*Ego ante te præiui in colũna nubis,& tu me duxisti ad Prætorium Pilati, Populo meus.*Vers.*Ego te paui manna per desertum,& tu me cecidisti alapis & flagellis.Populo meus.*Vers.* Ego te potaui aqua salutis de petra, & tu me potasti felle & aceto: Populo meus.*Vers.*Ego propter te Chananæorũ reges percussi,& tu percussisti arundine caput meũ. Populo meus.*Vers.*Ego dedi tibi sceptrum regale,& tu dedisti capiti meo spineam Coronã. Populo meus. *Vers.* Ego te exaltaui in magna virtute, & tu me suspendisti in patibulo Crucis.Populo meus. Hæc Antiph. Crucem tuam adoramus cum Psal. Deus misereatur nostri: cantatur communiter,& repetitur immediate post Vers. Antiph. Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam tuam resurrectionẽ laudamus & glorificamus: Ecce enim propter lignum venit gaudium in vniuerso mũdo.Psal.

Deus

Deus miſereatur noſtri,& benedicat nobis: illuminet &c. Deinde hymnus: Crux fidelis, cum verſibus hymnorum ſequentium: Pange lingua: Luſtris ſex qui iam. Hymnus, Crux fidelis inter omnes arbor vna nobilis, nulla ſilua talem profert, fronde flore germine. Dulce lignũ, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinet. Hymnus. Pange lingua glorioſi prælium certaminis: & ſuper Crucis trophæo, dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus, vicerit. Repetitur Crux fidelis, vſque dulce lignum dulces clauos. *Verſ.* De parentis protoplaſti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morſu, in mortem corruit: ipſe lignũ tunc notauit, damna vt ligni ſolueret. Repetitur dulce lignum. *Verſ.* Hoc opus noſtræ ſalutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars, vt artem falleret, & medelam ferret inde, hoſtis vnde læſerat. Repetitur Crux. *Verſ.* Quãdo venit ergo, ſacri plenitudo temporis, miſſus eſt ab arce Patris, natus, orbis conditor: atque ventre virginali, Caro factus prodiit. Repetitur, dulce lignum. *Verſ.* Vagit infans inter arcta conditus præſepia: membra pannis inuoluta virgo mater alligat: & manus, pedeſq; crura ſtricta cingit faſcia. Repetitur Crux fidelis: Alius Hymnus: Luſtris ſex qui iam peractis, tempus implens corporis, ſe volente natus ad hoc, Paſſioni deditus, Agnus in Cruce leuatur immolandus ſtipite. Repetitur dulce lignum. *Verſ.* Hic acetum, fel, arundo, ſputa, claui, lancea: mite corpus perforatur, ſanguis, vnda profluit, terra, pontus, aſtra, mundus, quo lauantur flumine. Repetitur Crux fidelis. *Verſ.* Flecte ramos

mos arbor alta, tensa laxa viscera, & rigor lentescat ille, quem dedit natiuitas: vt superni membra Regis, miti tendas stipite. Repetitur dulce lignum. *Vers.* Gloria & honor Deo vsquequaque altissimo, vna patri filioque, inclyto paraclito, cui laus & potestas per æterna sæcula. Amen.

Post adorationem proceditur ad locum, vbi repositum erat Sacramentum, & procedendo cantatur hymnus: Vexilla regis prodeunt, & post benedictum incensum, incensationem Altaris, ablutionem manuum, dicitur clara voce: Pater noster, & Libera nos quæsumus & omissis. Pax Domini, & Agnus Dei, dicitur sola sequens oratio.

PErceptio corporis tui Domine Iesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proueniat in iudicium & condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi, ad tutamentum mentis, & corporis, & ad medelã percipiendam: Qui viuis &c.

Panem cœlestem accipiam, & nomen Domini innocabo.

Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Iesu Christi, custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Non

Non dicitur, Post communio, nec Placeat; nec datur benedictio, sed sine cantu dicuntur vesperæ, & denudatur altare.

Loco Benedictionis in discessu.

OMnipotens Deus, qui vnigeniti sui Passione tribuit nobis humilitatis exemplum, concedat nobis per eandem humilitatem percipere suæ benedictionis ineffabile donum. *Amen.*

Ipsius resurrectionis percipiamus consortia, cuius patientiæ veneramur documenta. *Amen.*

Quo ab eo sempiternæ vitæ munus percipiamus, per cuius temporalem mortem, æternam nos euadere credimus. *Amen.*

Quod ipse &c.

SABBATHVM SANCTVM.

ISTud Sabbathum habet duplicem rationem vnã quæ pertinet ad quadragesimam, & ad diem illius quietis, quo corpus Domini fuit in sepulchro, & eius anima in inferno: Alteram quæ pertinet ad diẽ insequentem ad Pascha, notant quoque illud interpretes hunc diem esse medium, inter mortem & resurrectionem, & significare requiem corporum ab omni molestia & labore: per quam fit transitus per resurrectionem carnis ad illam vitam, quam Dominus noster Iesus Christus sua resurrectione præmonstrare est dignatus. Respondet quoque hoc sabbathum diei septimo creationis, quo Dominus quie-

nit

uit ab opere creationis : Et quidem ad quadrageſimam ſeu tempus paſſionis pertinet, huius diei altum ſilentium, & rigidum ieiunium : ſiletur enim hodie non ſolum a cantu reliquorum officiorum, ſed vetere more, vt ſupra monuimus, nec miſſa quidem celebratur hoc die, ſcio nunc aliter rem geri, ſed nos toto hoc genere ſcriptionis vetera laudamus, ad eum morem canones & veterum ſcripta examinamus, noua tamen non reprehendimus: neque enim in eo genere iſta nouitas verſatur, qua vel doctrinã corrumpat, vel mores ſubuertat : eſſet forſan res vtiliſſima reſtitui vetera: verum res ea non eſt noſtræ facultatis, vel inſtituti. De ieiunio vero huius diei, nõ facile dixerim, Græci, cæteriq; qui ieiunium ſabbathi toto anno pari religione abominantur ; quo diei dominicæ : illi nihilominus ita ieiunant hoc Sabbatho, vt a veſpera Paraſceues, vſque ad noctem Dominicæ Reſurrectionis, nihil guſtent, qua de re ea ſcribit B. Auguſtinus, quæ ante à nobis ſunt recitata. Innocentius Papa ex iſta ieiunatione magni ſabbathi quam obſeruant Græci, putat recte probari ieiunium omnium reliquorum ſabbathorum: Sabbatho (inquit) ieiunandum eſſe, ratio euidentiſſima demonſtrat, nam ſi diem Dominicam ob venerabilem reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, non ſolum in Paſcha celebramus, verum etiam per ſingulas hebdomadas, ipſius diei imaginem frequentamus, ac ſicut ſexta feria, propter Paſſionem Domini ieiunamus: ſic Sabbathum prætermittere non debemus: quoniam intra triſtitiam & lætitiam temporis illius videtur incluſum: nam vtiq; conſtat Apoſtolos biduo iſto & in mœrore fuiſſe, & propter metum Iudæorum, ſe occultaſſe quod vtiq; non dubium eſt in tantum eos ieiunaſſe biduo memorato : vt traditio

c. Sabbatho de cõſecr. diſt. 4

Eccle-

Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari, quæ forma etiam per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius, semper est celebranda, quod si putant semel, atque vno sabbatho ieiunandum, ergo & Dominica, & sexta feria, semel in Pascha erit vtiq; celebranda. Et quidem in ea Orientalium deuotione, sic ieiunantium, hoc magno sabbatho, & Latinorum sententia sic id probantium: vt occasione istius sabbathi, ieiunentur cetera sabbatha totius anni, id equidem in nostris moribus sæpe sum miratus, qua ratione acciderit: vt hoc die non etiam exactissime ieiunemus, quinimo vt loquitur Ordo Romanus, eodem die Dominus Papa & cæteri Romani oua manducent, & formaticum (id est caseum) istis verbis benedictum: Dignare Domine omnipotens benedicere, & sanctificare hanc creaturam casei, quam ex adipe animalium producere dignatus es: vt quicunque ex populis tuis fidelibus inde comederint, omni benedictione cœlesti, & gratiæ tuæ saturitate repleantur in bonis: Per si non ea est ratio, quod hoc sabbathum aliquo modo pertineat ad Pascha: vnde dicit ordo: Tunc finitis omnibus, descendat Pontifex cum omni decore, vsque in cubiculum suum, cum pace, & gaudio: & quod oua & formaticum non fuerint comesta, nisi finitis omnibus.

FINIS TOMI SECVNDI.

Digitized by Google

Digitized by Google

2 - 2 - 1

Digitized by Google